
3 1761 08825314 1

ΕΥΣΕΒΙΟΥ ΤΟΥ ΠΑΜΦΙΛΟΥ

ΙΣΤΟΡΙΑΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΙΚΗΣ

ΛΟΓΟΙ ΔΕΚΑ.

EUSEBII PAMPHILI

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBRI DECEM.

ANNOTATIONES VARIORUM.

[edited by Osborne Gordon]

TOMUS I.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO ACADEMICO.

MDCCCXLII.



ANNOTATIONES

AD

EUSEBII HIST. ECCLES.

LIB. I.

Tit. p. lxxviii. Εὐσεβίου τοῦ Παμφιλοῦ] In Maz. et Fuk. scriptum est τοῦ Παλαιστινοῦ. Sed Med. utramque habet lectionem, τοῦ Παμφίλου, τοῦ Παλαιστινοῦ. Certe Theodoritus Eusebium nostrum vocare solet Palæstinum. Ita in proœmio Commentariorum in Canticum, et proœmio interpretationis in Epistolam ad Hebræos. Idem in Epistola ad Sporacium, qua libros hæreticarum fabularum ei nuncupat, de Eusebio Pamphilo et de Eusebio Emiseno loquens, alterum Palæstinum vocat, alterum Phœnicem: καὶ Εὐσεβίου τοῦ τε Παλαιστινοῦ καὶ τοῦ Φοίνικος. Basilius quoque in libro ad Amphilochium de Spiritu Sancto, Eusebium nostrum Palæstini cognomento afficit. VALES.

τοῦ Παμφίλου dicebatur Eusebius sc. συνήθης. Vid. Mart. Hankius de Byzantinarum rerum scriptoribus Græcis, Lips. 1677. 4. p. 1. c. 1. §. 3—10. Eutyches contra temere propterea ita dictum putabat Eusebium, quod Episcopus urbis Philes fuerit. Cf. Danz. de Eusebio Cæsariensi p. 6. not. 1. HEIN.

τάδε περιέχει] Solebant antiqui scriptores libris suis indicem capitulorum præfigere, ut lectores quid in singulis libris tractaretur uno quasi intuitu agnoscerent. Id autem duobus modis præstare consueverant. Nam aut omnium simul librorum capitula universo operi præponebant, sicut a Plinio Secundo factum est in libris Historiæ Naturalis, aut singulis libris titulos capitulorum præfigere solebant, ut in Historia Ecclesiastica fecit Eusebius noster. Neque enim dubitandum est, quin Eusebius ipse hos indices seu titulos capitulorum composuerit, et historiarum suarum libris sicut hodie legun-

tur, prænotaverit. Certe observare licet, in istis capitulis semper Eusebium de se ipso loqui in prima persona. Exempli causa post titulos capitulorum libri secundi hæc leguntur: Ὅτι συνῆκται ἡμῖν ἡ βίβλος ἀπὸ τῶν Κλήμεντος, Τερτυλλιανοῦ, Ἰωσήπου καὶ Φίλωνος. Id est: *quod hic liber a nobis collectus est ex Clementis, Tertulliani, Josephi ac Philonis operibus.* Præterea in libro 7. hic est titulus ultimi capituli: Περὶ τῶν καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς διαπρεψάντων ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν. Id est: *de viris Ecclesiasticis qui nostra ætate floruerunt.* Ex quibus manifeste colligitur, Eusebium ipsum hujus historiæ parentem, capitulorum etiam auctorem extitisse. Adde quod Rufinus, qui sexaginta circiter annis post Eusebii mortem Ecclesiasticæ Historiæ libros Latine interpretatus est, in Græco suo exemplari eadem reperit capitula, quæ in nostris exemplaribus hodie leguntur. Idque apparet ex manuscriptis Rufini exemplaribus, quorum unum ante septingentos annos descriptum penes me habeo. In iis enim semper tituli capitum singulis libris præfiguntur, eodem ordine quo in nostris codicibus Græcis positi cernuntur. Et Rufinus quidem ea vocat *capitula*, Cassiodorus vero in præfatione Hist. Trip. *titulos* rectius nominat; et Cyprianus in exhortatione martyrii ad Fortunatum, *Compendium feci*, inquit, *ut propositis titulis, quos quis noscere debeat et tenere, capitula Dominica subnecterem.* Ubi vides titulos a capitulis distingui. Sed et Suidas in voce κεφάλαιον, et in voce τίτλος, notat titulos differre a capitulis. Matthæum enim verbi gratia continere titulos sexaginta octo, capita vero 355, et sic de ceteris Evangeliis. Capitulum proprie est pars libri, quæ integram alicujus rei continet narrationem. Titulus vero est index, qui capitulo superponitur, et interdum quidem titulus unus plura continet capita, ut videre est in Pandectis juris civilis. Idem olim cernebatur in Evangelio Matthæi, quod plura habebat capita quam titulos teste Suida. Sic etiam in reliquis Evangeliis. Nam quod legitur in Suida, Marcum habuisse titulos 48, capita vero 36, mendosum est. Et pro 36 corrigendum est 233, ut aperte colligitur ex Canonibus Evangeliorum, quos Eusebius noster composuit. Interdum vero singuli tituli singulis capitulis respondent, ut in his Ecclesiasticæ Historiæ libris. Et in Maz. quidem ac Medic. tituli uniuscujusque libri notis numeralibus prænotantur. In Fuket.

autem post titulum additur κεφάλαιον cum nota numerali. Sed hæc vox in optimis illis codicibus, ut dixi, nunquam reperitur. Immo ejus loco περιοχῆς vocabulum positum inveni in principio libri quarti supra ipsos capitum titulos: λόγου τετάρτου περιοχαί. VALES.

1, 1. Ταύτης sc. ἐκκλησίας, quod ad sensum inest in præcedenti voce ἐκκλησιαστικήν. Est hæc synesis quæ vocatur, optimis scriptoribus Græcis frequentata. Vid. Hom. Od. i. 390, ubi βασιλεύειν latet in voce βασιλῆα. Aristoph. Plut. v. 502. 566. αὐτὸν sc. τὸν κλέπτην, quia præcesserat κλέπτειν. Plat. Phædr. 59. Gorg. 104. vid. Hemsterhuis. ad Lucian. Nigrin. i. Hinc vertit Valesius: *qui præcipue eidem Ecclesiæ non sine laude præfuerint.* HEIN.

Ib. Μάλιστα ἐπισημοτάταις eodem modo, quo paulo inferius μάλιστα διαφανεστάτων dictum est. cf. Ælian. V. H. II, 35. πάνυ σφόδρα πρεσβύτην ὄντα. Æschin. diall. ii. 1. 16. 19. 25. 38. 40. Plat. Euthyphr. 1. HEIN.

Ib. Παροικίαις] Non possum probare interpretationem Christophorsoni, qui παροικίας *provincias* vertit. Non placet etiam emendatio Curterii aut alterius cujuspiam, qui *ecclesias* interpretatur. Παροικία quidem significat ecclesiam apud Christianos scriptores, et nominatim apud Eusebium nostrum non uno in loco. Cujus significationis origo ex eo manasse mihi videtur, quod ecclesia in terris duntaxat inquilina sit et πάροικος, ejus autem patria et municipatus in cœlo sit. Sic in Epistola Smyrnensis Ecclesiæ apud Eusebium in lib. 4. ἐκκλησία ἡ παροικοῦσα ἐν Σμύρνῃ. Et in lib. 4. cap. 23. de Dionysii Corinthii Epistolis: καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ δὲ τῇ παροικούσῃ Γόρτυναν. Sic etiam in Epistola Lugdunensis Ecclesiæ ad Asianos, quæ refertur ab Eusebio in lib. 5. Et ante hos omnes Clemens in Epistola ad Corinthios ita scribit: ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἡ παροικοῦσα Ῥώμην, etc. Denique in Epistola Sardicensis Concilii: πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, καὶ πάσῃ τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ παροικούσῃ. Sed in hoc Eusebii loco non licet *ecclesiam* interpretari. Bis enim in eodem membro repetendum esset nomen ecclesiæ hoc modo: *Qui in illustrissimis ecclesiis ecclesiæ cum laude præfuerunt.* Quod quidem ut vitaret Christophorsonus, παροικίας *provincias* vertit. Ego *civitates* aut *sedes* malim vertere, aut cum Rufino

in celeberrimis locis. Intelligit enim Eusebius Ecclesiam Romanam, Alexandrinam, Antiochenam et Hierosolymitanam [a]. Porro παροικία dupliciter sumitur. Interdum generaliter pro tota diœcesi, ut apud Eusebium sexcentis in locis occurrit, et apud Cyrillum in Catechesi 14., ubi de Jacobo fratre Domini loquitur: ἐπισκόπῳ δὲ πρώτῳ τῆς παροικίας ταύτης. Interdum autem παροικία strictius sumitur, non pro tota diœcesi, sed pro particulari ecclesia, in quam singuli fidelium adscripti sunt. Sic in libello protestationis presbyterorum Mareotici Nomi, quam refert Athanasius in Apologia, sumitur παροικία. De episcopis enim missis a Synodo Tyri ita scribunt: ἀπήντησαν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ παροικίᾳ. Sed et Apollonius in libro adversus Cataphrygas: καὶ ἡ ἰδία παροικία αὐτὸν, ὅθεν ἦν, οὐκ ἐδέξατο. Quæ verba refert Eusebius lib. 5. cap. 18. Sic *parœciæ* vocabulum duobus modis sumitur apud Latinos: nonnunquam pro tota diœcesi, ut apud Augustinum in Epistola 261., aliquando pro singulari ecclesia, quæ vulgaris significatio est. Plura vide apud Jac. Sirmondum in Notis ad Epistolam ultimam Sidonii. VALES.

Ib. Ψευδωνύμου] Cf. Epiphan. Hær. xxvii. 1. Ἐκ πάντων τούτων——ἡ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως ἐφύη αἵρεσις, ἥτις Γνωστικοὺς τοὺς αὐτῆς ὠνόμασεν, ἀφ' ἧς οἱ Γνωστικοὶ ἤδη μοὶ δεδήλωνται, Καταγνωστικοὶ ὄντες τὸν τρόπον. Cf. Hær. xxv. 7. HEIN.

1, 3. Ἀπὸ πρώτης ἄρξομαι τῆς κατὰ τὸν Σωτῆρα οἰκονομίας] Veteres Græci οἰκονομίαν vocarunt quidquid Christus in terris gessit ad procurandam salutem generis humani. Itaque ἡ πρώτη τοῦ Χριστοῦ οἰκονομία est incarnatio, sicut postrema οἰκονομία est passio. Errant enim, qui existimant οἰκονομίαν nihil aliud significare, quam incarnationem. Quippe longe latius patet vox οἰκονομία, et totam Christi inter homines vitam complectitur. Recte ergo Nicephorus pro hac voce, τὴν ἐν σαρκὶ πολιτείαν posuit in cap. ii. lib. 1. Sic Eusebius in capite quinto hujus libri τῆς ἐνσάρκου πολιτείας αὐτοῦ χρόνους dicit. Eo sensu οἰκονομίαν posuit Justinus Martyr in disputatione adversus Tryphonem; μεθ' ὃν τῆς οἰκονομίας ταύτης

[a] Παροικίαι h. l. nihil sunt nisi singularum civitatum ecclesiæ, quibus unus episcopus præerat, et propterea nobiliores, quæ est consueta vocis significatio. Vid. Suiceri Thesaur. eccles. T. II. p. 598. Π. Amstelod. 1682. Ipse Eusebius sub finem capitis ἐκκλησίας μνημονευομένας dixit. Rufinus liberius vertit, ideoque non satis recte. HEIN.

τοῖς ἐν ἀνθρώποις αὐτοῦ γενομένοις χρόνοις παύσασθαι ἔδει αὐτά. Et in eadem disputatione pag. 331.: *πρὶν τὸν Χριστὸν εἰς τὴν οἰκονομίαν τὴν κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Πατρὸς γεγενημένην ὑπ' αὐτοῦ ἐπὶ τῷ σταυρωθῆναι ἐλθεῖν.* Pari modo Epiphanius in hæresi Alogorum pag. 448. *οἰκονομίαν τοῦ πάθους* dixit. Et ante illum Justinus contra Tryphonem pag. 247., Clemens quoque in sexto Strom. Et Irenæus in cap. 10. lib. 1. passionem Christi simpliciter vocat *οἰκονομίαν*. Joannes etiam Chrysostomus, in Homilia 2. in Matthæum, *οἰκονομίαν* sumit eo sensu quem dixi. Quærens enim, cur Matthæus Evangelium suum librum generationis Christi vocaverit, sic ait: *καίτοι γε οὐ τοῦτο ἔχει μόνον τὴν γέννησιν, ἀλλὰ πᾶσαν τὴν οἰκονομίαν· ὅτι πάσης τῆς οἰκονομίας τὸ κεφάλαιον τοῦτο καὶ ἀρχή.* Vides, ut *οἰκονομίαν* distinguat a generatione seu incarnatione Christi, et incarnationem caput esse dicat ac principium dispensationis: eodem plane sensu quo Eusebius hoc in loco incarnationem vocat *τὴν πρώτην οἰκονομίαν.* Sed et Cyrillus *οἰκονομίαν* ita usurpat in lib. 6. contra Julianum pag. 213. et in lib. 8. pag. 259, et Origenes in principio tomi xi. Commentariorum in Joannem. Eodem modo etiam Latini dispensationem dicunt. Ita enim Ambrosius, seu quis alius autor Comment. in Epist. ad Heb. de Christo loquens. *Nam et ipsum nomen Christi a sancto chrismate vocatur, sed in illa natura unctus dicitur, quia dispensatione et natus et mortuus et surrexisse veraciter Christus dicitur.* Item Aug. in tractatu 36. in Joannem, *Quidquid ergo humiliter positum audistis de Domino Jesu Christo, susceptæ carnis dispensationem cogitate.* VALES.

1, 5. *Ὅτι μὴ σμικρὰς αὐτῶν μόνον προφάσεις*] Hoc loco Rob. Stephanus conjecturæ suæ infeliciter indulsit. Nam in codice Regio et in veteribus schedis legitur: *μὴ ὅτι σμικρὰς αὐτὸ μόνον προφάσεις.* Ita etiam in Maz. Fuk. ac Sav. scriptum inveni, longe rectius. *Μὴ ὅτι* idem significat quod *πλὴν ὅτι.* Itaque vertit Rufinus *nisi quod.* Sic Aristoteles in quinto de Generat. Animal. ait, linguam inter exteriora membra numerandam esse, *μὴ ὅτι ἐν τῷ στόματι σκεπάζεται*: id est, *nisi quod ore tegitur*, vel *tametsi ore obtegitur.* Atque ita sumit Eusebius lib. 3. cap. 4. et alibi[b]. Optime etiam in MSS. exempla-

[b] Vid. Tyrwhitt. ad Aristot. Poët. ed. Tauchn. Herm. ad Vig. p. 804. p. 128. cf. Chrysost. de Sacerd. i. 5. 58. HEIN.

ribus legitur *αὐτὸ μόνον*. Sic enim loqui solet Eusebius passim, et omnibus propemodum paginis. Ubi vocabulum *αὐτὸ* eleganter [c]*παρέλκει*. Προφάσεις autem idem hic esse videtur quod *ἀφορμαὶ*, id est, *ansa*, *occasio*. Rufinus interpretatur *indicia*. VALES. Rufini interpretatio unice vera. Πρόφασις enim, cum descendat a *προφαίνω*, prima significatione est, *quod ante nos apparet seu lucet*, i. e. signum s. indicium. Liberius quidem, sed recte vertit ipse Val. *vestigia*. Cf. Passow. in Lexic. s. v. ed. 2. 1826. HEIN.

1, 7. Ἀναγκαιότατα—μέρος satis ostendunt, libera animi voluntate ad opus suum conscribendum esse nostrum incitatum. Cf. Vita Constant. M. I, 10. 11. infra verba inde ab *ἐπεὶ—δύναμιν* et *ὅσα—σωματοποιῆσαι*. Vid. Danz. l. i. p. 23. 24. sq. p. 16. §. 12. 1. 2. 3. cf. Kestner. de Eusebii auctoritate et fide diplomatica p. 3. §. 5. HEIN.

1, 9. *Οἰκονομίας τε καὶ θεολογίας*] Cum in Christo duplex sit natura, altera divina, altera humana, quæ inter se junctæ unam personam efficiunt, quoties de illo sermo instituitur, duas in partes disputatio distribuenda est. Et ea quidem quæ de humanitate ejus dicuntur, pertinent ad *οἰκονομίαν*, ut superius dictum est; quæ vero de divinitate, referuntur ad *θεολογίαν*. Ita Gregorius Naz. in Oratione 38. in Natalem Christi seu in Theophania, œconomiam distinguit a Theologia his verbis: *ταῦτά μοι περὶ Θεοῦ πεφιλοσοφήσθω τανῦν· οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ ταῦτα καιρὸς, ὅτι μὴ θεολογία τὸ προκείμενον ἡμῖν, ἀλλ' οἰκονομία*. Et Joannes Chrysostomus in sermone de sigillis, qui habetur in tomo sexto, ait, priores quidem tres Evangelistas, cum Evangelium Christi cunctis gentibus prædicare vellent, sermonem exorsos esse ab ejus dispensatione seu *οἰκονομία*: Joannem vero post illos tres præcones ad explicandam Theologiam accessisse, et a Christi divinitate initium sumpsisse dicendi. Ex quibus apparet, cur Eusebius hoc loco dixerit, *τῆς κατὰ τὸν Χριστὸν ἐπινοουμένης οἰκονομίας τε καὶ θεολογίας*. Christum enim cum dicimus, duas naturas intelligi necesse est. VALES. Cf. Suicer. Thes. s. vv. HEIN.

Ib. *Καὶ θεολογίας*] Veteres Theologicen dicebant, quam nos

[c] Minime vero; vid. Herm. dissertatio de pronomine *αὐτὸς* inserta Beckii Actis Seminarii Regii, vol. i. p. 42–76. De formula ipsa vid. Valken. ad Fr. Callim. p. 38. Bast. Ep. Crit. p. 135. ed. Lips. HEIN.

vulgo Theologiam vocamus. Hieronymus in Epistola 155. ad Paulam Urbicam: *Et quomodo Philosophi solent disputationes suas in Physicam Ethicam Logicamque partiri; ita et eloquia divina aut de natura disputant, ut in Genesi et in Ecclesiaste; aut de moribus, ut in Proverbiis et in omnibus passim libris; aut de Logica, pro qua nostri Theologicen sibi vindicant.* Ita scribitur in veteri codice Henrici Memmii quem olim vidi, non ut vulgo excusum est sine sensu *Theoricen sibi vindicant.* Eodem modo *Geometricen* et *Magicen* Plinius dicit, quam nos Geometriam et Magiam vocamus. Certe in libris Hieronymi nunquam Theologiam dici reperias, sed Græce θεολογίαν. Sic in caput 40. Ezechielis pag. 1018. VALES. Hæc non esse probata, facile apparet. Cf. Cic. Academ. iv. 7. ed. Schütz. HEIN.

1, 10. Θειοτέρας ἢ κατὰ τὸ δοκοῦν τοῖς πολλοῖς] Hæc verba ad vocem προσωνυμίας retulit Christophorsonus. Sic enim vertit: *Propterea quod diviniore quadam appellatione, quam plerisque videatur, ab illo dignati sumus.* Nos vero ad vocem οἰκονομίας hæc Eusebii verba retulimus. Quod et Musculus in versione sua fecisse deprehenditur. Confirmat autem interpretationem nostram Eusebius ipse paulo supra, cum dicit: ὑψηλοτέρας καὶ κρείττονος ἢ κατὰ ἄνθρωπον, οἰκονομίας. Fefellit Christophorsonum prava interpunctio editionis Rob. Stephani, in qua post vocem πολλοῖς virgula adscribitur. Sed in codice Maz. Fuk. Med. ac Regio eam distinctionem non reperimus, sed illam ipsam quam hic fideliter expressimus. VALES.

2, 2. Τὸ παλαιὸν] Constat vel propter antiquitatem a patribus potissimum apologeticis religionem Christianam esse commendatam, non satis in eo sibi constantibus, quod alias ipsi professi sunt, quamvis aliquid sit novum, tamen si sit bonum, esse suscipiendum. Vid. Arnob. contra Gentes ii. 66. 70. 75. ed. Orell. et maxime Lactant. Inst. div. iii. 16. qui philosophiam esse vanam perperam inde concludit. HEIN.

2, 3. Τὴν γενεὰν αὐτοῦ] Jes. liii. 8. Luc. x. 22. HEIN.

2, 4. ὑπουργὸν] Eusebius scripserat ὑπουργόν. Sic enim infra loquitur de Dei Filio, ex sententia veterum Theologorum qui ante Concilium Nicænum scripsere. Certe Justinus in dialogo adversus Tryphonem pag. 284. eodem plane modo loquitur, quo hic Eusebius noster. Nam et ἀρχιστράτηγον et

ἄγγελον in scripturis ait dici Filium Dei ob ministerium, quod exhibet Deo Patri ὑπηρετοῦντα τῷ ὑπὲρ κόσμον Θεῷ. Et paulo post, ἐκεῖνα γὰρ πάντα προσονομάζεσθαι ἔκ τε τοῦ ὑπηρετεῖν τῷ πατρικῷ βουλήματι. Denique vetus omnis Christianorum Theologia Deo quidem Patri *monarchiam* attribuit, Filio vero ac Spiritui Sancto οἰκονομίαν, id est, administrationem ac dispensationem, ut docet Tertullianus adversus Praxeam. Verum hujusmodi locutiones cum antea sine ulla erroris suspicione usurpatæ fuissent, tandem post Concilium Nicænum repudiatæ sunt a Catholicis, et Arianis relictæ. Itaque in Medicæo codice Græcus Scholiastes ita annotarat: ἄπαγε τοῦ ἀτοπήματος· οὐ γὰρ ἀρχιστράτηγον καὶ ὑπουργὸν οἱ θεῖοι πατέρες, ἀλλ' ὁμοφυῆ καὶ ὁμόχρονον καὶ ἰσοδύναμον ὁμολογοῦσιν Υἱόν. Id est, *O impietatem! Neque enim principem militiæ nec ministrum Patris, sed consubstantialem et coæternum æqualisque potentiæ sancti patres Filium confitentur.* VALES.

ib. δεύτερον] Sic loqui solet Eusebius de Filio Dei, ut videre est tum infra in hoc prooemio, tum in oratione quam habuit in dedicatione ecclesiæ Tyri, quæ lib. 10. inserta habetur; tum in Panegyrico, quem dixit in Tricennalibus Constantini, ubi Filius Dei secunda causa dicitur non tempore, sed origine. VALES.

ib. Μυστικαὶ Val. vertit: *ex secretioribus sacræ scripturæ sermonibus.* HEIN.

2, 6. Καθ' ὁμοίωσιν] Quæri potest, utrum observaverit Eusebius notum illud discrimen, quod præeunte potissimum Clemente Alex. Strom. ii. p. 499. ed. Potter. Οὕτως τινὲς τῶν ἡμετέρων τὸ μὲν κατ' εἰκόνα, εὐθέως κατὰ τὴν γένεσιν εἰληφέναι τὸν ἄνθρωπον· τὸ μὲν καθ' ὁμοίωσιν δὲ ὕστερον κατὰ τὴν τελείωσιν μέλλειν ἀπολαμβάνειν ἐκδέχονται, inter voces εἰκών, צֶלֶם, et ὁμοίωσις, דְּמוּת, statuerunt plures patres ecclesiastici. HEIN.

2, 6. Αὐτὸς εἶπε] Psalm. xxxiii. 9. HEIN.

2, 7. Τὸν δὲ τούτῳ δευτερεύοντα Θεοῦ λόγον] Hæc Eusebii verba affert Joannes Zonaras in Vita Constantini Maximi, dum probare vult, Eusebium Ariani dogmatis labe aspersum fuisse. VALES.

1, 8. Καθαροῖς διανοίας ὄμμασι φαντασθέντες] Christophorsonus vertit: *Puro sinceroque mentis et intelligentiæ lumine illus-*

trati. Quanto rectius Musculus, qui sic vertit: *Repurgatis mentis oculis contemplantes.* Certe φαντάζεσθαι idem est ac κατανοεῖν. Sic Eusebius in libro 1. de Vita Constantini non procul ab initio: κἀνταῦθα τὴν τρισμακαρίαν ψυχὴν αὐτῷ Θεῷ συνοῦσαν φαντάζεται. Quare in hoc loco φαντασθέντες referri debet ad vocem τοῦτον, quæ initio periodi posita est. Porro verbum hoc φαντασθέντες legitur etiam apud Nicephorum in lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. qui hoc principium Historiæ Eusebii nostri, elegans profecto atque eximium, additis et interpolatis verbis quibusdam, compilavit. VALES.

2, 9. ὦφθαι] Constat omnes patres Antenicænos v. c. Justinum M., Theophilum, Tertullianum et defensores verbi ὁμοούσιος acerrimos visiones Dei in V. T. commemoratas non tribuisse Patri, ut qui tanquam summus Deus videri ab hominibus nullo modo possit, sed Filio, Patri nullo modo æquali. Augustinus primus bene vidit, cum genuina doctrina de Trinitate illud non posse conciliari, et propterea illas visiones toti Trinitati tribuendas, atque ipsam Filii missionem ac Spiritus S. ἐκπόρευσιν pro communi quadam totius Trinitatis efficacia habendam esse. Cf. Münscher *Handbuch der Dogmengeschichte*, t. iii. p. 506 sqq. HEIN.

2, 10. ῥήμασιν αὐτοῖς λέγων] Gen. 18, 25. HEIN.

2, 11. Οὐσίαν Θεοῦ] Hoc loco οὐσίαν sumit pro hypostasi. Ita enim loqui solebant ecclesiastici scriptores ante Synodum Nicænam, ut docet Photius in Bibliotheca, cap. 119. VALES. Cf. Epiphan. Hær. 76. Gregor. Nyss. adv. Eunom. xii. Eodem modo apud Latinos *essentiæ* et *substantiæ* s. *subsistentiæ* vocabula solebant confundi. Cf. Augustin. de Trin. v. 8. Discrimen illorum verborum ex Græcis maxime observatum voluere Basilius Magnus, Gregorius Naz. et Nyss., Chrysostomus. De tota autem re et variis quæ inde secutæ sunt disceptationibus, et adeo inter Græcam Latinamque ecclesiam verborum potius quam rerum litibus, ita egit Cramer *Fortsetzung. des Bossuet*, t. iii. p. 334 sqq. 337. 339. 341. 343. ut equidem nihil nisi acta agere videri deberem, si plura monere vellem. cf. Suicer. Thes. t. ii. p. 528. HEIN.

2, 12. ἀναγορεύει λέγων·] Gen. xix. HEIN.

Ib. τῷ Ἰακὼβ] Gen. xxxii. HEIN.

2, 16. Γέγραπται γοῦν] Jos. v. 13. HEIN.

2, 17. Ὅτι μὴ ἕτερος οὗτος εἴη τοῦ καὶ Μωϋσεῖ κεχρηματικότος.] Probare hic vult Eusebius, eum qui Jesu filio Nave se videndum præbuit et principem militiæ Domini semetipsum vocavit, eundem esse cum illo qui Mosi apparuerat in rubo. Id autem concludit ex eo quod princeps iste iisdem verbis Jesum alloquitur, quibus Deus ex rubo Mosem fuerat allocutus. Idem sensit ante Eusebium Justinus Martyr in disputatione adversus Tryphonem, et alii quidam teste Theodoreto in quæstionibus ad librum Josuæ. Sed reliqui Patres principem illum militiæ Domini non ipsum Dei Filium, sed potius Michaelem archangelum esse censuerunt. In vetustissimo codice Maz. ad hæc verba scholion appositum est, quod hic quoque meretur adscribi: Ἀλλ' ἡ ἐκκλησία, ὦ ἁγιώτατε Εὐσέβιε, ἑτέρως τὰ περὶ τούτου νομίζει καὶ οὐχ ὡς σύ· τὸν μὲν γὰρ ἐν τῇ βάτῳ φανέντα τῷ Μωϋσῇ θεολογεῖ· τὸν δὲ ἐν Ἱεριχῷ τῷ μετ' αὐτὸν ὀφθέντα, τὸν τῶν Ἑβραίων ἐπιστασίαν λαχόντα, μάχαιραν ἐσπασμένον, καὶ τῷ Ἰησοῦ λῦσαι προστάττοντα τὸ ὑπόδημα, τοῦτον δέ γε τὸν ἀρχάγγελον ὑπείληφε Μιχαήλ· καὶ δῆλον ὅτι κρεῖττον ὑπείληφε σοῦ· πόθεν; ἐρωτηθεὶς παρὰ τῇ βάτῳ φανεὶς ὁ Θεὸς ἐν εἴδει πυρὸς τῷ ἑαυτοῦ θεράποντι Μωϋσεῖ, καὶ δηλῶν ὅστις εἴη, τοῦτο αὐτῷ τρανώτατα παριστᾷ, ὅτι δὴ ὁ Θεὸς ἐστίν· ὁ δὲ τῷ Ἰησοῦ φανεὶς, οὐδὲ Θεὸν ἑαυτὸν, ἀλλ' ἀρχιστράτηγον ὠνόμασε τοῦ Θεοῦ. Τοῦτο δὲ τὸ ἀξίωμα τῆς ἀνωτάτω δυναστείας τε καὶ θεότητος ὑποδεέστερον ὂν, καὶ οὐκ ἀρχικὸν, ἀλλ' ὑπαρχικὸν ὥσαν εἴποι τις * * *. Id est: *Atqui ecclesia aliter de his sentit, O sanctissime Eusebi, non perinde ac tu. Eum enim, qui Moysi apparuit in rubo, Deum prædicat. Illum vero, qui Moysis successori apparuit in Hiericho, præsidem ac tutorem gentis Hebræorum, qui strictum gerebat gladium, et qui Jesu præcepit ut calceos solveret; illum, inquam, ecclesia censet esse archangelum Michaelem. Nec dubium est, quin illa rectius sentiat quam tu. Undenam vero id colligimus? Deus, qui juxta rubum Moysi famulo suo instar ignis apparuit, interrogatus ab eo quisnam esset, hoc ipsum manifestissime declaravit, se Deum esse. Ille vero, qui apparuit Jesu, nequaquam se Deum nominavit, sed principem militiæ Dei. Hæc vero dignitas cum inferior sit suprema potestate ac divinitate, nec regia atque imperatoria sit, sed præfectoria ut ita dicam* * * *. Reliqua præ nimia vetustate legi non potuerunt, quod quidem dolendum est. Nam et elegantissimum

est hoc scholion, et ipsius antiquarii qui codicem illum scripserat, id est, doctissima et vetustissima manu exaratum. VALES. Præterea observanda est constructio: ἕτερος τοῦ—κεχρ. ut supra οὐχ ἕτερον—τοῦ κηρυττομένου. Eodem enim modo loqui constat veteres. cf. Plat. Phæd. c. xix. Xen. Mem. iv. 4, 25. Imitati sunt Latini. Cic. ad Fam. xi. 2. Nec quidquam *aliud libertate communi* quæsivisse. Inest enim in ἕτερος ἄλλος et similibus comparationis notio. Hinc vel ἢ et Genitivus post ἄλλος interdum invenitur. Plat. Alcib. ii. 22. cf. Fischer. ad Weller. Gr. t. iii. a. p. 351. HEIN.

2, 18, εἶπεν αὐτῷ] Exod. iii. 4. HEIN.

2, 19. Ὑφεστῶσα] Longe aliter loco Prov. viii. usi sunt patres Eusebio priores, non ὑποστασίαν λόγου inde concludentes, sed δύναμίν τινα λογικὴν esse probantes, et Filium Dei cum λόγῳ certe non semper confundentes. Insignis hanc in rem est locus jam laudatus Justini M. Dialog. cum Tryph. p. 284. Videatur hac de re potissimum egregia illa commentatio Löffleri *Kurze Darstellung der Entstehungsart der Dreieinigkeitslehre* repetita in ejusdem *Kleine Schriften*, Vimariæ, 1817. Tom. i. p. 12 sqq. p. 68. 69. 70. 76. cf. Rösler *Bibliothek der Kirchenväter*, p. 161. HEIN.

2, 23. Τί δή] Cf. locus Arnobii allatus supra cap. 2. not. 2. et Euseb. Demonstr. Evang. proœm. lib. iii. Gregor. Nyss. Orat. in Natalem Domini, t. iii.; quos laudavit Reading. HEIN.

2, 25. πολὺ χείρους] Potissimorum Græcorum patrum sententias de libertate voluntatis post peccatum originis, quod vocant Theologi, residua bene exposuit A. Hahn in *Zweite Denkschrift der historisch-theol. Gesellschaft zu Leipzig*, p. 51—72. HEIN.

Ibid. βίον ἀβίωτον] Notum est illud Ennianum: *Queis potest esse vita vitalis?* apud Cic. Læl. c. vi. et βίος ἀβίωτος s. οὐ βιωτὸς apud optimos scriptores Græcos. cf. Plat. Sympos. 38, 8. Apol. 28. Xen. Mem. iv. 8, 8. Cyr. iii. 3, 24. vid. Valcken. ad Theocrit. Adoniaz. p. 215. Opponitur βιωτὸν apud Plat. Crit. viii. cf. Chrysostom. de Providentia ii. μοχθηρὸς καὶ ἀβίωτος βίος. Homil. xlviii. tom. v. p. 329. HEIN.

Ibid. Φιλοσοφίας, ut sequens ἀρετῆς docet, h. l. est *studium vitæ sanctæ*, quo sensu sæpius legitur illa vox apud patres

ecclesiasticos: cf. ii. 23. Locus tamen huc non pertinet Theophylacti in cap. ix Lucæ, p. 367. Ἡ καθ' ἡμᾶς φιλοσοφία λόγῳ καὶ πράξει μερίζεται καὶ οὔτε δεῖ λέγειν ἄπρακτα, οὔτε πράττειν ἄλογα, quem attulit Suicer. Thesaur. s. v. φιλοσοφία, ii. 1. a. p. 1441. Contra vid. Gregor. Nyssen. Orat. de Baptismo, t. ii. p. 217. πολλοὺς χρόνους ἐχαρίσω τῇ ἡδονῇ, δὸς καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ σχολήν. Ἀπόδυσαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον. Chrysost. Homil. xv. in Matthæum, p. 94. ἡ ἀπόνοια πηγὴ κακίας —ἡ ταπεινοφροσύνη φιλοσοφίας ἁπάσης ἀρχή. Alius notabilis vocis illius usus ille est, quo retento tamen proprio significatu, qua in re discedo a Suicero, i. 1, monachi κατ' ἐξοχὴν φιλοσοφίαν habere dicuntur, quam in rem clarissimus locus est Chrysostomi de Sacerdot. i. 4. ed. Tauchn. τὸν τῶν μοναχῶν μεταδιώκειν βίον καὶ τὴν φιλοσοφίαν τὴν ἀληθῆ. Alienus est locus allatus a Suicero ex Sozomen. Hist. v. HEIN.

2, 26. Γῆν μὲν ἐπιτειχίζειν.] Mirum est in hujus verbi explicatione et Musculum et Christophorsonum lapsos esse. Musculus enim vertit: *cælum tellure obstruere conati.* Christophorsonus vero longe pejus: *terram interposito muro, cælo adjungere.* Rectius Joannes Langus, qui Nicephorum Latine interpretatus est: ἐπιτειχίζειν Græcis est *exstruere munitionem adversus aliquem:* ut cum dicunt Lacedæmonios muniisse Deceliam adversus Athenienses. Vide Harpocrationem in voce ἐπιτείχισμα. Sed et τεῖχος Græcis *munitio* est. Porro ridiculum est credere, homines eo dementiæ unquam progressos esse, ut exstructis aggeribus cælum conscendere, Deumque exturbare aggressi sint, quod tamen hoc loco credidisse videtur Eusebius. Sunt hæc figmenta poetarum, qui superbiam hominum illius ætatis et divini numinis contemptum hac imagine declarare voluerunt:

Ter conati sunt imponere Pelion Ossa, etc.

Gigantes quidem commemorat sacra scriptura; sed de illis nihil ejusmodi dicit. Et turrim illam non a gigantibus, sed a filiis et posteris Noë post diluvium ædificatam esse testatur. VALES.

Equidem potius improprie h. l. quam inepte loqui putaverim Eusebium. Dicit enim hoc, ad eandem insaniam, quo gigantes illos fabulosos, vere progressos esse alios, et ad eos recte posse transferri illud, quod dicatur de gigantibus. Accedit, quod θεομάχος ita dicitur infra ii. 25. cf. Eurip.

Iphig. A. 1409. τὸ θεομαχεῖν γὰρ ἀπολιποῦσ' ὃ σοῦ κρατεῖ. cf. Act. v. 39. HEIN.

2, 27. Πρωτότοκος τοῦ Θεοῦ σοφία.] Non dubito, quin Eusebius scripserit πρωτόκτιστος τοῦ Θεοῦ σοφία, ut in quatuor codicibus scriptum habetur. Hæc enim vox magis convenit Eusebiano sensui, cum paulo supra locum illum ex proverbiis citaverit, κύριος ἔκτισέ με. Certe veteres Theologi, ac præcipue ii qui ante concilii Nicæni tempora scripserunt, per vocabulum κτίζειν non solum creationem intellexerunt, quæ ex nihilo fit, sed omnem generaliter productionem, tam quæ ab æterno esset, quam illam quæ in tempore. Hinc est, quod Melito librum scripserat, περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ, ut videbimus ad lib. iv. hujus historiæ. Quod si hic legamus πρωτότοκος, inepta esset repetitio quam ταὐτολογίαν vocant: ἡ πρωτόγονος καὶ πρωτότοκος. Adde quod πρωτότοκος non convenit generationi divinæ. Rectius ergo est πρωτόκτιστος. Certe Clemens Alexandrinus in lib. v. Stromatei Filium Dei vocat πρωτόκτιστον σοφίαν. VALES. Πρωτόκτιστος legit quoque Strothius. Cf. Münscher *Handbuch der Dogmengeschichte*, t. iii. p. 356. §. 39. p. 428. Kestner de Eusebii auctoritate et fide diplom. p. 23 sq. *Verisimilior alia est ratio, qua Eusebium verba post concilium Nicænum damnata, nempe* ἔκτισε *ex loco sap.* c. 8. *et* σοφία πρωτόγονος καὶ πρωτόκτιστος *usurpasse notatur.* HEIN.

Ib. Τοῖς ὑποβεβηκόσι exhibent omnes Codd. pariter atque editiones. Nihilo tamen minus illam lectionem tanquam parum aptam ejecit Strothius et τῶν ὑποβεβηκότων scripsit. At enimvero, ut quidem puto, temere. Quod enim primum dicit, nullam rationem adesse, cur homines dicantur h. l. ὑποβεβηκότες, illud facile eo refutatur, quod illud eodem sensu accipi potest, quo statim postea θεοφιλῶν ἀνδρῶν i. e. hominibus ei servientibus, eum colentibus Christus apparuit. Levius etiam est, quod dicit Stroth., non posse dici *omnibus* hominibus apparuisse angelos. Neque enim illud dicitur h. l. Similiter non obstat, quod supra commemorantur ἄγγελοι ὑποβεβηκότες, nisi homines simili modo non posse dici demonstratur. Porro Christus vel h. l. dicitur angelorum ministerio uti iisdemque præesse, sola autem Rufini auctoritas, qui ad angelos retulit h. l. vocem ὑποβ., tot codd. consensu non puto esse majorem.

Denique non contraria est verborum ratio et relatio, neque Θεοῦ δύναμις opponitur verbis τῶν ὑποβεβ., sed pertinet illud tum ad δι' ὀπτασίας ἀγγέλων tum ad δι' ἑαυτοῦ, ut sensus hic sit: Λόγος semper apparuit tanquam Θεοῦ δύναμις σωτήριος iis, qui eum et Deum colebant, vel angelorum ministerio vel ipse humana forma indutus. Confirmatur nostra interpretatio verbis quæ supra legebantur: καὶ τίσιν εἰ καὶ μὴ τοῖς πᾶσιν ὁ θεῖος λόγος ἐπεφαίνετο. Cf. quæ sequuntur ἑνί που καὶ δευτέρῳ. Valesius autem, quomodo τοῖς ὑποβ. vertere potuerit *creaturis suis*, non video. De insolentiori vocis illius significatione vid. Index s. v. Rectius supra vertit Val. τὴν τῶν ὑποβεβηκότων ποίησιν, *inferiorum substantiarum creationem.* HEIN.

2, 29. Ταῖς παλαιαῖς ἀγωγαῖς ἐκδεδιῃτημένοις] Male hunc locum intellexit Nicephorus, quasi in laudem Judæorum hoc ab Eusebio dictum fuisset. Sic enim habet Nicephorus: τοῦτο μὲν ὡσανεὶ ταῖς πάλαι καὶ πρὸ βραχέος διαίταις καλῶς ἐντεθραμμένον, etc. Quæ sic vertit Langus: *Ei genti quæ et antiquitus et non ita pridem vita et moribus recte exculta esset*, etc. At contrarium plane sensum habent Eusebii verba. Ait enim cum Judæi prioris vitæ contagione corrupti essent, Deum satis habuisse legales eis cæremonias præscribere, et velut signa quædam ac symbola arcanorum mysteriorum eis tradere, utpote adhuc rudibus et superstitioni Gentilium assuetis. Idem scribit Chrysostomus in Matthæum. Id manifesto sibi volunt hæc verba: ταῖς παλαιαῖς ἀγωγαῖς ἐκδεδιῃτημένοις. Pro quo male Christophorsonus legit ἐνδεδιῃτημένοις, a Nicephoro, ut videtur, in errorem inductus. Ἐκδιαιτᾶσθαι Græcis idem est, quod *corrumpi*, et ex pristina disciplina in mollitiem labi. Unde ἐκδεδιῃτημένος βίος est *vita mollis ac soluta:* translatione ab intemperantibus hominibus, qui nullam in cibo ac potu et in toto genere vivendi legem observant. Quæ vox frequenter occurrit in libris Dionis Cassii. VALES. Cf. Thucyd. i. 132. Nicol. Damasc. p. 108. ed. Orell. HEIN.

2, 30. Ἡμερώτατα φρονήματα] Hunc locum non intellexerunt interpretes, ut ex versione eorum apparet: nam vocem φρονήματα retulerunt ad νομοθετῶν καὶ φιλοσόφων. Christophorsonus quidem vertit: *Cumque propter mansuetissimas legumlatorum et philosophorum tot ubique commentationes ac præcepta*, etc. Musculus vero: *per placidissimos eorum qui ubique*

leges ferebant et philosophorum sensus, etc. Atqui longe alia Eusebii mens est. Neque enim tantum tribuit legumlatoribus philosophisque Gentilium, ut prisca illa mortalium feritas atque immanitas præceptis illorum atque institutis paulatim ad humaniorem cultum revocata sit. Sed hujus rei causam confert in legem Mosaicam, quæ cum universo terrarum orbi innotuisset, omnium hominum mores tandem mansuefecit. Etenim legislatores ac philosophi Gentilium, cum optima quæque præcepta ex illius legis fontibus hausissent, ea posthæc auditorum suorum mentibus infuderunt; quibus exculti homines, ad Evangelicæ legis notitiam accipiendam idonei tandem extiterunt. Quippe lex Mosaica velut prævia ac prænuntia fuit Evangelii, Christique prædicationi viam stravit. Scribendum est igitur hoc loco: *τοῖς πλείοσι τῶν ἐθνῶν διὰ τοῦ πανταχόσε νομοθετῶν τε καὶ φιλοσόφων ἡμέρωτο τὰ φρονήματα*, ut diserte scriptum habent nostri codices. Certe nisi ita scripseris, non cohærebit oratio. Quo enim referetur particula illa *ὡς δὲ*, quæ posita est initio periodi. Est et alia difficultas in hoc Eusebii loco, quidnam sibi velint hæc verba *ἐξ αὐτῶν*. Ait enim Eusebius: *ἤδη τότε ἐξ αὐτῶν καὶ τοῖς πλείοσι* etc. ut supra. Quæ quidem verba non sine causa posita esse mihi videntur; ut ostendat Eusebius quidquid a legumlatoribus ac philosophis commode dictum est, id omne ab Hebræis eos esse mutatos. Atque ita hunc locum accepit Rufinus, ut ex interpretatione ejus liquido[d] apparet. Multa in hanc sententiam disserit Eusebius in libris de præparatione, ubi ostendit Græcorum philosophos ex Mosis libris pleraque suffuratos fuisse. VALES. Præ ceteris in hac sententia erat Clemens Alex. vid. Cohort. ad Gentes p. 60. ed. Potter.: *πόθεν, ὦ Πλάτων, ἀλήθειαν αἰνίττῃ; πόθεν ἡ τῶν λόγων ἄφθονος χορηγία τὴν θεοσέβειαν μαντεύεται;——οἶδά σου τοὺς διδασκάλους, κἂν ἀποκρύπτειν ἐθέλῃς, γεωμετρίαν παρὰ Αἰγυπτίων μανθάνεις, ἀστρονομίαν παρὰ Βαβυλωνίων, ἐπῳδὰς τὰς ὑγιεῖς παρὰ Ὀράκων λαμβάνεις, πολλά σε καὶ Ἀσσύριοι πεπαιδεύκασι, νόμους*

[d] Val. *ἐξ αὐτῶν* ita accepit, ut referatur ad *τῆς νομοθεσίας*. Vertit enim: *ex illa*. Jam quamvis hoc fieri possit et neutrum potius ad præcedentia in universum spectare, tamen faciliorem puto ordinem verborum esse hunc: *ἤδη τότε τοῖς πλείοσι ἐξ αὐτῶν τῶν ἐθνῶν*. Ἐξ *αὐτῶν* vero præmisit Eusebius, quippe in quo summa insit orationis vis h. l. Nihilominus ipsi illi philosophi cogitandi sunt h. l. sola institutione Mosaica facti mitiores et sapientiores, quia statim ante dixerat Eusebius: *εἰς ἅπαντας ἀνθρώπους*. HEIN.

δὲ τοὺς, ὅσοι ἀληθεῖς καὶ δόξαν τὴν Θεοῦ παρ' αὐτῶν ὠφέλησαι τῶν Ἑβραίων. HEIN.

2, 35. Ἐν οἰκείοις ὑπομνήμασι] Intelligit libros de Evangelica Demonstratione, ex quibus decem duntaxat ad nos pervenerunt. In vetustissimo codice Maz. scholiastes quidam notat hic intelligi libros de Præparatione et Demonstratione Evangelica; σημείωσαι ὅτι ὑπομνήματα τὴν εὐαγγελικὴν προπαρασκευὴν αὐτοῦ καὶ ἀπόδειξιν καλεῖ. Id est, *nota quod Commentarios vocat, libros suos de Præparatione ac Demonstratione Evangelica.* Ceterum hæc Eusebii Ecclesiastica Historia tanto nobis commendatior esse debet, quod post reliqua fere ejus opera exarata est, adeoque post libros chronologicorum Canonum, ut ipse Eusebius supra testatus est. At Blondellus in Apologia pro sententia B. Hieronymi de episcopis et presbyteris cap. 19. libros de Evangelica Demonstratione ab Eusebio scriptos esse censet post Ecclesiasticam Historiam. Quippe Eusebius, inquit, in libro 6. de Demonstratione cap. 13. Historiam suam citat. Sed Blondellum decipit Latina interpretatio, quæ sic habet: *Quodsi quidquam nostra quoque historia valet, nostris ipsorum temporibus illam antiquitus celebratam Sion junctis bubus a Romanis viris arari, oculis nostris inspeximus.* Verum longe aliud sonant Græca Eusebii verba, quæ hic ponam: εἰ γοῦν τι δύναται καὶ ἡμετέρα ἱστορία, καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς τὴν πάλαι βοωμένην Σιὼν ζεύγεσι βοῶν ὑπὸ Ῥωμαίων ἀνδρῶν ἀρουμένην ὀφθαλμοῖς παρειλήφαμεν. Id est: *Quod si nostrum quoque testimonium aliquid ponderis habet, Sionem illam quæ olim tantopere celebrata est, ætate nostra a Romanis arari, ipsi oculis nostris vidimus.* Vides Eusebium non de Historia sua loqui. Nam ἱστορία eo loco nihil aliud est quam testimonium oculorum. VALES.

Ib. ἐκλογάς] Sic autem vocat Eusebius locos excerptos de libris Prophetarum, in quibus agitur de vocatione Gentium, et de adventu Christi. Certe in libris Demonstrationis nihil aliud agit Eusebius, quam ut testimonia Prophetarum ex eorum libris colligat. Quibus deinde uberiorem expositionem ac demonstrationem adjecturum se esse promittit. In prooemio libri secundi vocat τὰς ἐκ τῶν προφητικῶν φωνῶν μαρτυρίας. VALES.

3, 1. Ὅτι] Ad rem cf. Euseb. Demonstr. Evang. iv. 17. Lac-

tant. Inst. iv. 7. Tertull. Apol. c. 3. Sigillatim de nominibus Jesu egit Pearson *Expos. in Symb. Apostol.* teste Readingo. HEIN.

Ib. φήσαντι αὐτῷ] Exod. xxv. 40. HEIN.

3, 2. Θεῖόν τι χρῆμα, i. e. *divinum.* Sæpius ita legitur apud veteres χρῆμα et πρᾶγμα. Vid. Charit. ad in. θαυμαστόν τι χρῆμα παρθένου. Plat. Ion. t. iv. ed. Bipont. p. 18. Cf. Gronov. *Observ.* iv. 15. Viger. p. 139. 156. sq. Plat. Crit. 15. ubi recte vertit Schleiermacherus, egregius Platonis interpres: *Dass Socrates ganz verächtlich erscheinen wird*, verba: καὶ οὐκ οἴει ἄσχημον ἂν φανεῖσθαι τὸ τοῦ Σωκράτους πρᾶγμα. Et Wolfius: *ut inhonestum negotium illis videatur Socrates.* Similiter enim *negotium* dicunt Latini, eo tamen discrimine, quod in malam tantum partem illa voce illi utuntur, cum Græci in utramque illa verba soleant usurpare. Cic. ad Att. i. 12. *Teucris illa lentum negotium, ein langsames Wesen, Geschöpf.* Optime contra ad illud θεῖόν τι χρῆμα nostro loco et similia alibi accurate exprimendum Latine diceremus: *divinum nescio quid.* Hoc enim non solum de re parva et contemnenda, sed etiam de excellenti, insigni, et ejusmodi usurpatur, cujus magnitudinem mens nostra videatur vix posse assequi. Cic. pro Arch. vii. 15. Cf. de Fin. v. 20, 10. Ernesti in *Clav. Cic.* s. *nescio.* ed. V. 1818. p. 494. HEIN.

3, 4. Ὀνόματι δὲ ἑτέρῳ τῷ Αὐσῇ.] In vetustissimo codice Maz. hoc scholium appositum est ad marginem: σημείωσαι ὅτι ὁ τοῦ Ναυῆ Ἰησοῦς πρότερον Αὐσῆς ἐκαλεῖτο. Id est, *nota quod Jesus Filius Nave prius Auses vocabatur.* Sed Hieronymus in caput 1. Hoseæ notat hunc esse errorem omnium codicum tam Græcorum quam Latinorum, qui Ause scriptum habent pro Osee. *Osee*, inquit, *in lingua nostra salvatorem sonat: quod nomen habuit etiam Josue filius Num, antequam ei a Deo vocabulum mutaretur. Non enim (ut male in Græcis codicibus legitur et Latinis) Ause dictus est: quod nihil omnino intelligitur: sed Osee, id est salvator.* Clemens in libro 1. Recognitionum: *Igitur Moyses*, inquit, *his administratis Ausem quendam nomine præponens populo, qui eos revocaret ad patriam terram.* Sic et Lactantius iv. 17. Et ante eum Tertull. contra Marc. iii. 16. adv. Jud. c. 9. VALES.

3, 7. Ἱερεμίας λέγων] Thren. 4, 20. HEIN.

3, 9. Μόνον προφητῶν ἀρχιπροφήτην] Vox προφητῶν delenda mihi videtur, utpote otiosa ac superflua. VALES. Repugnat recte Stroth. *deutsche Uebersetzung des Eusebius* t. i. p. 20. not. 1. ubi sensum nostri loci exponit ita: *Wie die Propheten den Menschen göttliche Dinge offenbaren, so offenbart er* (der Logos) *solche selbst den Propheten; und ist also den Propheten ein Prophet.* HEIN.

3, 12. Τοσαύτη γέγονε κίνησις] Male Christophorsonus *persecutionis tumultum* interpretatur. Κίνησις hoc loco verbum est medium, quod tam in bonam quam in malam partem sumi potest, ac tam de benevolis et amicis quam de hostibus ac persecutoribus debet intelligi. Itaque Eusebius dixit κίνησιν περί τινα, non autem κατά τινος. Vult enim dicere nunquam ullius hominis causa talem tantumque motum omnium gentium extitisse, quantus Servatoris nostri causa extitit, aliis religionem ejus amplectentibus, aliis impugnantibus. Eleganter, meo quidem judicio, Nicephorus hunc motum σεισμὸν τῆς οἰκουμένης appellat. VALES.

3, 21. Τὴν σεβάσμιον] Nec aliter citat Johannes Zonaras in Vita Constantini, ubi hunc Eusebii locum adducit, quo probet Ariani dogmatis sectatorem illum fuisse. Ego vero non video, quid in his verbis reprehendere potuerit Zonaras. An quod Eusebius dicit Christum adorari ut Deum? Atqui hoc dici potest etiam de vero Deo. Nam ut cum supra in hac periodo dixit Eusebius, Christum glorificari ut pontificem, δοξάζεσθαι ὡς ἂν ἀρχιερέα, id non prohibet, quominus Christus verus esse pontifex intelligatur: ita cum dicit Christum adorari ut Deum, non ideo negat, Christum vere Deum esse perinde ac Patrem. An forte Zonaras hæc Eusebii verba notare voluit: τὴν σεβάσμιον τιμὴν παρὰ τοῦ Πατρὸς ὑπειληφότα; Idem supra in capite 2. longe apertius dixit Eusebius: τὸ κῦρος ὁμοῦ καὶ τὸ κράτος αὐτῇ θεότητι καὶ δυνάμει καὶ τιμῇ παρὰ τοῦ Πατρὸς ὑποδεδεγμένον. In his tamen verbis nihil est quod merito possis reprehendere, modo Christum ab æterno hæc omnia accepisse intelligas. Ariani quidem Christum honorem, potentiam ac divinitatem a Patre accepisse aiebant: sed non ab æterno, nec divinitatem in Filio ἰδιοκτητὸν esse affirmabant, sed ex Patris nutu ac voluntate pendentem. Vide Eusebium in lib. 5. Demonstrationis pag.

227. Athanasium in libro de Synodis Arimini et Seleuciæ. VALES.

4, 1. Ταῦτα μὲν οὖν] i. e. de Christi tanquam λόγου προϋπάρξει et summa majestate. HEIN.

Ib. Ἵνα—ὑπονοήσειε] Cf. cap. 2. init. Præterea νέα vocatur διδασκαλία, i. e. nondum diu orta, *recens*. Similiter statim post νέος Christus et νέον ἔθνος Christiani appellantur. Sed paulo inferius καινὸν ὄνομα τὸ Χριστιανῶν, quod nescio an dici credendum sit pro νέον. Καινὸν enim est, quod succedit in locum rei, quæ ante non affuit, quod nondum est usu tritum, *novum*. Hoc in ὄνομα vix quadret. Quanquam cf. I. A. H. Tittmann. *Lexici Synonymorum in N. T. Specim.* 3. p. 11. sq. HEIN.

4, 2. Πολυανθρωπότατον] Laudat ad. h. l. Readingus Tertull. Apol. c. 37. Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. HEIN.

4, 3. οὕτως;] Cf. Jes. 65. HEIN.

4, 5. Ἀτὰρ καὶ τὸν Ἀβραὰμ] Musculus vertit *utpote Ataram et Abrahamum.* Ad quem locum notat Joannes Grynæus legendum sibi videri *Thare*, qui fuit pater Abrahæ, de quo in cap. xi. Geneseos. Quin etiam ad marginem codicis Moræi vir doctus annotaverat forte θαρὰμ scribendum esse. Sed hæc nugæ sunt. Neque enim Tharram, pater Abrahæ, fuit ex numero eorum, quos Deus præcipuo quodam amore dilexit. Id certe non legitur in sacris voluminibus. Immo plane contrarium ex his elici potest. Siquidem Deus cum Abrahamum sibi eligere vellet, et ad maximarum rerum spem ac promissionem vocare, ante omnia eum ex domo Tharram patris sui migrare jussit. Atque ita Tharramo repudiato, Deus Abrahamum ejus filium elegit. Certe Tharramum dæmonum cultui deditum fuisse ipse testatur Eusebius, cum ait paulo post de Abrahamo τῆς πατρῴας μὲν ἀποστὰς δεισιδαιμονίας. Ἀτὰρ igitur hic adverbium est, ut recte in ora codicis Regii adnotatur ad hæc verba: ἀτὰρ καὶ, τοῦτ' ἔστι καὶ δὴ, ἢ πλὴν, ἅτε δὴ, ἢ ὅμως, ἢ ἀντὶ τοῦ δέ. VALES.

4, 8. Φάσκουσαν—φωνὴν] 1 Paral. xvi. 22. HEIN.

Ib. Φάσκοντος] Gen. xv. HEIN.

4, 10. Λέγων] Gen. xxii. 18. HEIN.

4, 11. Ἔργοις ἀρετῆς] Ostendit his Eusebius, bene ipsum intellexisse, quid sit δικαιοσύνη διὰ πίστεως. HEIN.

5, 1. Ἤδη λοιπόν] Non satis ordinem rei, quem ipse se esse delecturum dixerat Eusebius cap. 1. extr., h. l. observat. Debebat enim proprie ab οἰκονομίᾳ, non θεολογίᾳ Christi capere initium. HEIN.

Ib. Βοηθόν] Cf. supra cap. 1. θεὸν—εὐχόμενοι. HEIN.

5, 2. δεύτερον καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος] Idem numerus habetur in Chronico Eusebiano. *Anno* 42. *Augusti Jesus Christus Filius Dei in Bethleem Judæ nascitur.* Annus porro primus Augusti juxta supputationem Eusebii is est, quo Hirtius et Pansa consules fuerunt. Proinde secundus et quadragesimus Augusti annus cadit in consulatum ejusdem Augusti tertium decimum. Hæc de anno natali Christi [e]. Diem vero neutrubi expressit Eusebius [f]. Orosius quidem in lib. vii. cap. 2. postquam juxta sententiam Eusebii, quem ubique sequitur, Christum natum esse dixit anno imperii Augusti 42. addit die 7. Calendas Januarias. Nec aliter legitur in veteribus Fastis, quos sub Idacii nomine primus edidit Jac. Sirmondus: fuitque hæc communis opinio Occidentalis ecclesiæ. Sed cum Orientales aliter senserint, Christum scilicet natum esse 8. Idus Januarias, in hac quoque sententia Eusebium fuisse minime dubitandum est. Itaque ex sententia Eusebii, primus Christi annus concurrit cum anno 42. imperii Augusti. Sic certe in vetustissimis codicibus Eusebiani Chronici, Acutiano, Lipsii et Ortelii scriptum habetur, ut testatus est Miræus. Sic in antiquissima editione Mediolanensi, quam nec Scaliger nec Pontacus viderunt. Male in editione Scaligeri primus Christi annus componitur cum anno 43. Augusti,

[e] Frustra diem Christi natalem definire accuratius studuerunt VV. DD., nihil certi efficientes, nisi æram Dionysii exigui esse non satis veram. Vid. Anton. Bynæus *de natali J. C.* libb. ii. Amstel. 1689. 4to. Magnani *problema de anno nativitatis Christi.* Rom. 1772. 8vo. Ernesti *Opusc. philologico-critica* ed. 2. p. 420. Paulus *Commentar über das Neue Testament*, t. i. p. 36. 206. sqq. ed. 2. Süskind *neuer Versuch über chronologische Standpunkte für die Apostelgeschichte und das Leben Jesu* in Bengel *Archiv für die Theologie*, t. i. f. i. ii. cf. Luc. iii. 1. 23. Iren. iii. 25. et Tertull. adv. Jud. viii. annum Augusti quadragesimum primum, Clemens Alex. Strom. i. p. 339. vicesimum octavum Actiacum nominat. Præterea cf. Pagi *Crit. Baron.* VII. sqq. Fabricii *Bibliographia Antiquaria*, p. 255. Reuterdahl *de Fontt. Hist. Eccl. Euseb.* p 9. sqq. HEIN.

[f] Contra vel in eo inanem operam plures collocarunt. Cf. Clem. Al. Strom. i. p. 340. Epiphan. Hær. li, 24. Sulpic. Sev. Hist. Sacr. ii, 27. HEIN.

contra fidem scriptorum codicum, adeoque contra ipsius Eusebii sententiam. Etenim Eusebius in fine lib. vii. ait historiam ecclesiasticæ successionis a se conscriptam, a natali Christi ad usque subversionem ecclesiarum complecti annos quinque ac trecentos. Atqui si primus Christi annus ab anno 43. Augusti ducitur, inde ad 19. Diocletiani annum quo destructæ sunt ecclesiæ, quatuor tantum ac trecenti sunt anni. Verissimum igitur est, quod supra dixi, Euseb. initium annorum Christi anno 42. Augusti, mense Januario collocavisse. Et sic Epiphanius adversus hæresim Alogorum ex Eusebii Chronico, ut opinor. VALES. Readingus laudavit Pagi in *Apparat. ad Annal. Baron.* p. 37. ubi hæc leguntur: Eusebius in fine libri vii. ait, historiam ecclesiasticæ successionis a se conscriptam a *Servatoris ortu usque ad ecclesiarum eversionem, quinque ac trecentos annos complecti*, ultimo scil. termino incluso. Nam Eusebius annos incarnationis, sicut et annos Abrahæ ac Olympiades incipit a mense Octobri cum anno civili: a quo mense annoque periodi Græco-Romanæ 5491 ad annum ejusdem periodi 5796, quo annus æræ Christianæ 303 persecutionis Diocletianæ primus inchoatur, mensemque Octobrem anni trecenti et quinque completi numerantur. Quare fallitur Valesius in notis ad lib. i. Eusebii cap. 5. ubi asserit, Eusebium eos annos quinque ac trecentos dinumerare a consulatu XIII. Augusti, seu ab anno sequenti. Licet enim Eusebius existimaverit Christum natum die sexta Januarii anni sequentis, ut communis suo tempore opinio in Ægypto ferebat, in Historia tamen, sicuti et in Chronico, primum Christi annum a Septembri antecedenti cum anno populari auspicatus est. HEIN.

5, 2. *Κυρηνίου ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας*] Id est, *cum Quirinius legatus esset Syriæ.* Legatos Cæsaris, qui in provincias mittebantur, civilia simul et militaria recturi, Græci fere *ἡγεμόνας* vocant. Ita Strabo in fine lib. xvii. Dio Chrysostomus, aliique. VALES.

5, 3. *Ταύτης δὲ τῆς κατὰ Κυρήνιον ἀπογραφῆς Ἰώσηπος μνημονεύει*] Josephus quidem mentionem facit descriptionis illius quæ a Quirinio facta est in Syria ac Judæa statim post relegationem Archelai. Sed hujus descriptionis, quam Lucas regnante adhuc Herode factam esse ait, non meminit. Ac mihi

quidem videtur error in textum Lucæ irrepsisse in Quirinii nomine, et pro Quirinio restituendum esse nomen Sentii Saturnini. Hic enim præses fuit sub finem regni Herodis teste Josepho. Certe Tertullianus in lib. iv. adversus Marcionem census in Judæa actos scribit per Sentium Saturninum. Ex quo apparet, Tertulliani tempore quosdam in evangelio Lucæ pro Quirinio Saturninum legisse. Ceterum mirum est hanc primam descriptionem a Josepho prætermissam fuisse, qui tamen patriæ suæ historiam tanta diligentia persecutus est, ut et præsides Syriæ omnes recensuerit. Nam et Sentium Saturninum commemorat, ejusque successorem Quintilium Varum. Hæc cum intelligeret Eusebius, sic censuit, unam eandemque esse descriptionem, cujus Lucas et Josephus meminisset, sed Josephum falli, qui eam descriptionem post relegationem Archelai contigisse scriberet. Itaque idem Eusebius in Chronico, tumultum illum Judæ Galilæi, qui descriptionem illam a Quirinio factam subsecutus est, sub ortum Christi et extrema Herodis tempora collocat. Neque enim adeo stupidus fuit Eusebius, ut non videret Lucam et Josephum in adsignando descriptionis tempore inter se dissentire. Quippe id patebat etiam cæco. Sed in hac dissonantia, ob evangelii reverentiam Lucam sequi maluit, et Josepho fidem abrogare. Quæ quidem sententia longe commodior est et expeditior, quam illa Scaligeri, qui duas fuisse censet Judææ descriptiones, utramque a Quirinio factam. Sed in hac Scaligeri sententia multa occurrunt parum verisimilia. Primo enim Quirinium bis missum fuisse oportet legatum in Syriam, bis ad eandem rem, videlicet ad census agendos: primum quidem circa ortum Christi, deinde vero decem circiter post annis, cum relegatus fuisset Archelaus. Atqui non est probabile, eundem hominem bis missum fuisse ad regendam provinciam. Certe Josephus diligentissimus scriptor, cum Quirinii adventum in Syriam ac Judæam narrat, eum jam antea in Syriam venisse non dicit, nec descriptionem aut ab illo, aut ab alio quopiam Romano judice jam antea factam fuisse. Quod si jam facta fuerat descriptio, cur iterum fit per eundem virum? Nam si recte et sine fraude facta fuerat, novam facere nihil necesse erat. Sin male et inique facta, alium mitti oportebat, qui æquiorem faceret descriptionem. Præterea

prior illa descriptio quomodo fieri potuit a magistratu Romano, regnante Herode, cum Herodes optimo jure rex esset Judææ a Senatu appellatus, nec jus esset magistratui Romano quicquam in Judæa pro imperio agere, quandiu rex Herodes vixit? Mitto quod circa extrema illa Herodis tempora, quibus natus est Christus, Saturninus et Varus legati Cæsaris in Syria fuerunt, non autem Quirinius, ut jam supra dixi. Hæc sunt argumenta, quibus potissimum impulsus, Scaligeri sententiam minus probabilem duco, qui duas descriptiones fuisse contendit. Nec obstat quod ait Lucas, descriptionem illam, quæ facta est paulo antequam Christus nasceretur, primam fuisse. Hoc enim vocabulo id tantum significatur, tunc primum in Judæa census a Romanis actos fuisse, nec ullam antea factam descriptionem. Falsum item est quod ait Scaliger, posteriorem descriptionem ad tetrarchiam Archelai, et ejus bona duntaxat pertinuisse. Immo Josephus in lib. xvii. et initio xviii. diserte scribit, Quirinium a Cæsare missum ad census agendos per Syriam ac Judæam. Scaligeri sententiam secutus est Petavius, cui hoc unum adjecit in *Rationario Temporum*, utramque hanc descriptionem a Quirinio cum extraordinaria potestate in Syriam misso factam esse. Verum Lucæ ac Josephi verba id refellunt. Nam Lucas quidem ait *ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου*: et Josephus habet *δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἐσόμενος*, quod non nisi de ordinario rectore dici potest. Eandem viam in conciliandis Lucæ ac Josephi locis secutus est Casaubonus in *Exercitationibus*. Sed omnes, meo quidem judicio, oleum atque operam perdiderunt. Nam ex duobus alterutrum falli necesse est. Quod cum de evangelista dicere, aut omnino suspicari nefas sit, satius est in Judaicum scriptorem causam erroris conjicere [g]. Quod si cui id durius videbitur, una hæc restat conciliandi ratio, quam supra indicavimus: ut in textu Lucæ pro Quirinio Saturninum restituamus, ejusque tempore descriptionem non a magistratu Rom., sed ab ipso Herode rege factam esse dicamus. Hac ratione optime inter se consentient Lucas ac Josephus. Posset etiam dici, descriptionem illam absolutam quidem ac terminatam

[g] Minime vero. Cf. de Wette *über Religion und Theologie*, p. 176. 178. ed. 2. De re ipsa vid. Interpp. ad Luc. ii. 2. Cf. Möller *de Fide Eus.* p. 112. sq. HEIN.

fuisse sub Quirinio præside post exsilium Archelai, diu tamen antea cœptam esse sub finem Herodis, quo tempore natus est Christus. Hac ratione omnis inter Lucam ac Josephum dissensio tollitur. Nam evangelista descriptionem illam, quæ sub ortum Christi, superstite adhuc Herode fieri cœpta est, vocat descriptionem præsidis Quirinii, eo quod sub Quirinio tandem terminata est. Hæc meo quidem judicio, commodissima est interpretatio loci illius ex evangelio Lucæ, quippe quæ unam duntaxat descriptionem factam fuisse supponit, non autem duas, ut Scaliger aliique ejus opinionem secuti, contra fidem historiæ confinxerunt. VALES. Equidem assentior Strothio *Uebersetzung des Eusebius,* t. i. p. 31. not. 1. qui hæc attulit : *Alle Mühe, welche man sich giebt, diese Schwierigkeit mit befriedigender Gewissheit zu heben, ist vergebens. ——— Die Taxirung durch den Quirinius, deren Josephus I. A. B.* 18. *K.* 1. *gedenkt, geschahe eben diesem Schriftsteller zu Folge* (*K.* 3.) *im* 37*sten Jahre nach der Schlacht bei Actium, folglich im* 8*ten Jahre des Alters Christi. Sollte Lucas Saturninus oder Quintilius (der sich eine Zeitlang in Jerusalem beim Herodes aufhielt, Joseph. B.* 17. *K.* 7.) *geschrieben haben, so müsste die Veraenderung in Quirinius,——— sehr früh geschehen seyn, dass sie in alle Abschriften geflossen.* Cf. Pagi *Appar. ad Annal. Baron.* p. 30, 31. HEIN.

5, 4. Μετὰ τοῦτον] Act. v. 37. HEIN.

Ib. Ἰούδας ὁ [g] Γαλιλαῖος ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς.] Scaliger in lib. vi. de Emendatione Temporum, et in Animadversionibus Eusebianis, ait Lucam in Actibus Apostolorum, non de prima professione loqui, sub qua natus est Christus, sed de secunda, quæ facta est post relegationem Archelai: et Eusebium graviter reprehendit, qui has duas professiones inter se confuderit. Sed Scaliger ipse gravissime fallitur, qui nullo auctore fultus, duas descriptiones nobis obtrusit, cum unam tantum fuisse et Josephus et Lucas ipse confirmet. Non enim addit Lucas τῆς δευτέρας ἀπογραφῆς, sed tantum dixit τῆς ἀπογραφῆς, unicam fuisse innuens descriptionem. Origenes quoque in libro i. contra Celsum cum Eusebio consentit his verbis : καὶ μετ' ἐκεῖνον, ἐν ταῖς τῆς ἀπογραφῆς ἡμέραις, ὅτε ἔοικε γεγεννῆσθαι ὁ Ἰησοῦς,

[g] Cf. I. E. A. Schulze de Juda Galilæo ejusque secta *Exercitt. Fasc.* ii. p. 104. HEIN.

Ἰούδας τὶς Γαλιλαῖος πολλοὺς ἑαυτῷ συναπέστησεν ἀπὸ τοῦ λαοῦ, id est: *Post illum in diebus census, quo tempore Jesus natus est, Judas quidam Galilæus fecit multos e populo ad se deficere.* Eadem igitur opera Origenem reprehendet Scaliger, quippe qui eadem dixerit quæ Eusebius noster. Neque enim Origenes duas Judææ descriptiones distinxit. Porro Eusebius noster secum ipse optime consentit. Nam cum evangelicam secutus auctoritatem, censum illum Quirinii in exordia natalis dominici conjecerit, consequens fuit, ut motum Judæ Galilæi in idem tempus conferret. In quo dissentit quidem a Josepho, ut supra dixi, sed cum Luca, et secum ipse egregie concordat. Quod si quis nostram sententiam amplecti maluerit, nulla inter Lucam ac Josephum reperietur dissensio. Nos enim descriptionem illam, cujus tempore natus est Christus, cœptam esse dicimus Herode in Judæa regnante, eandem vero decem circiter post annis Archelao Herodis filio in exilium misso, a Quirinio absolutam ac terminatam fuisse. Quo quidem tempore tumultum Judæ Galilæi exstitisse asserimus, post relegationem scilicet Archelai. Certe ante exauctorationem Archelai nulla subesse potuit causa, cur Judas populum Judæorum ad defectionem concitaret. Siquidem nec census illic agi potuit a magistratu Romano, ubi rex imperabat socius et amicus populi Romani, nec ullum Judæis imminebat periculum, ne alienigenis servirent, cum Judæo, id est gentis suæ regi parerent. Ex quo apparet, et censum et motum Judæ Galilæi nonnisi post exsilium Archelai contingere potuisse. VALES.

Ib. Καὶ ἀπέστησε λαὸν πολύν] Cf. Act. v. 37, 38. Joseph. Antiq. xviii. 1. xx. 5. B. i. ii. 8. 1. HEIN.

6, 2. Ἀλλόφυλος Ἡρώδης] Herodem non fuisse alienigenam, abunde docuit Josephus Scaliger in notis ad Eusebii Chronicon. Certe Josephus in libro xx. Antiquitatum cap. 6. Herodem vocat Judæum genere. Οἱ μὲν γὰρ Ἰουδαῖοι πρωτεύειν ἠξίουν, διὰ τὸ κτίστην τῆς Καισαρείας Ἡρώδην αὐτῶν βασιλέα, γεγονέναι τὸ γένος Ἰουδαῖον. VALES. Contra Valesium et Scaligerum disputantem vid. Petavium in *Ration. Temp.* t. i. p. 198. et Reading. ad h. l., qui præterea laudat Joseph. Antiqq. xiv. 2. Euseb. Chronic. et Demonstr. Evang. viii, 1. HEIN.

Ib. Φασὶν οἱ τὰ κατ' αὐτὸν ἀκριβοῦντες] Rufinus vertit; *Africanus autem, qui et ipse præcipuus in historiographis habetur; aiunt, inquit, qui de eo diligentius explorarunt, Antipatrum quendam patrem esse Herodis Ascalonitæ, qui et ipse fuerit Herodis cujusdam filius, templi Apollinis æditui.* Putavit scilicet Rufinus verba hæc esse Africani, quæ citat Eusebius, ab eo loco φασὶν οἱ τὰ κατ' αὐτὸν ἀκριβοῦντες, etc. Sed fallitur Rufinus. Locus enim Africani, quem hic indicat Eusebius, integer habetur infra in cap. 7. ex epistola Africani ad Aristidem. Ex quo apparet, Eusebium hoc loco opinionem duntaxat ac sensum Africani, non verba retulisse. VALES. Josephus Antiqq. xiv. 2. cf. xx. 6. diserte dicit, Herodis avum Antipam appellatum, ejusque patrem Antipatrem Idumæum fuisse. cf. Kestner *de Eus. auct. et fide dipl.* p. 71. *Facile quidem ei* (Eusebio) *ignoscerem, quod sæpe narrationes, quibus ipse suffragatur, relictis aliis, licet verisimilioribus, quas adire etiam et comparare potuisset, commemorat.* HEIN.

Ib. Ἱεροδούλων καλουμένων] Rufinus et Christophorsonus *æditnos* vertunt, quod non probo. Nam ἱερόδουλοι sunt servi templorum. Varro in lib. 7. de lingua Latina, *ut societatum, ut fanorum servi.* Tales erant Venerei in Sicilia, servi templi Veneris Erycinæ, de quibus Cicero in Divinatione, et in 3. Verrina. Tales etiam apud Larentinates servi Martiales teste Cicerone pro Cluentio. Hujusmodi item erant Corinthi Venereæ meretrices, quas ἱεροδούλους vocat Strabo in libro 8. quæ a dominis Veneri erant mancipatæ. Denique et Comanis Bellonæ servi erant quamplurimi teste eodem Strabone in lib. xii. Firmicus quoque in libro viii. Matheseos, *hierodulos* distinguit ab *æditnis.* Porro ut servi, sic etiam liberti fanorum erant, qui pecunia libertatem sibi comparaverant. Quare et liberta Veneris Erycinæ dicitur a Cicerone in Divinatione. Ἱερόδουλοι nominantur etiam Esdræ cap. 8. VALES.

6, 4. Περιελθούσης βασιλείας] Cf. Joseph. Antiqq. xiv, 8. 15. B. i, 17. 5. HEIN.

6, 9. Ἐναργῶς—ἐνστάσης] i. e. Cum Christi præsentia esset *perspicua* et *evidens.* Ἐναργὲς enim sæpius apud ipsos Græcos dicitur, quod *manifestum* quasi est et plane perspicuum, σαφές. vid. Plat. Phædr. 65. δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας (ἡ φρόνησις) εἴ τι τοιοῦτον ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν. cf. Cic. de

Offic. i. 5. *Formam quidem ipsam,—et tanquam faciem honesti vides: quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sui.* de Fin. ii. 16. Plat. Crit. 2 ext. ἐναργὲς μὲν sc. τὸ ἐνύπνιον. Et ipse Eusebius supra cap. ii. ἐναργεῖς μυσταγωγίας dixit. cf. Ruhnken *Epistolæ Critt.* p. 29. ed. 1. Cic. Acad. i. 6. ed. Schütz. *propterea quod nihil esset clarius* ἐναργείᾳ, ut Græci: (*perspicuitatem*, aut *evidentiam* nos, si placet, nominemus.) Hinc ante ita verti. Vales. reddidit: *cum Christi corporalis præsentia orbi illucesceret.* HEIN.

6, 10. Τὸν Ἰώσηπον] Cf. Antiqq. xx. 8. Ceterum Josephus ab Eusebio sæpius laudatur egregie. cf. cap. v. ὁ τῶν παρ' Ἑβραίοις ἐπισημότατος ἱστορικῶν. iii, 9. ἄξιος πιστεύεσθαι. Contra Josephi auctoritatem scripsit Io. Harduinus in *Prolus. Chronologiæ ex nummis antiquis restituendæ* Lutet. 1694. pro ea La Croze in *Vindiciis vett. scriptor. contra Joh. Harduinum*, p. 35. et Cph. Cellarius in *Diss. qua Fl. Josephi de Herodibus historia a νοθείας suspicione vindicatur.* Hal. 1700 4. Præterea vid. Fr. Oberthürius ad Fabricii Bibl. Gr. vol. v. p. 10. sqq. quos laudavit Danz. de Eus. p. 110, qui item recte animadvertit, Josephum ab Eusebio nonnisi de rebus ad ejus fere ætatem pertinentibus testem afferri et libris Josephi de bello Judaico maximam tribuendam esse fidem. Sed in eo lapsus est Danzius, quod ex Euseb. iii. 10. conjecit, de Josephi fide jam Eusebii ætate fuisse dubitatum. HEIN.

6, 11. Ὁ δ' αὐτὸς] Antiqq. xviii. 6. xx. 1. HEIN.

6, 12. Περὶ ὧν ἐν ἑτέροις διειλήφαμεν] Intelligit libros Demonstrationis Evangelicæ. Etenim in octavo ejus operis libro agit de hebdomadibus Danielis, quas adventu Christi completas esse contendit juxta sententiam Africani. Eundem Eusebii locum ex lib. viii. Demonstrationis Evangelicæ citat Hieronymus in Commentariis in Danielem. VALES.

Cap. vii. 1. Διαφωνεῖν] Vid. de hac re *Magazin für Religions-philosophie, Exegese und Kirchengeschichte* P. V. p. 146. Schmidt *Bibliothek für Krit. und Exeg. des N. T.* tom. i. p. 101. 400. Paulus *Commentar über das N. T.* t. i. p. 260. ed. ii. præ reliquis autem Hug *Einleitung ins N. T.* t. ii. p. 232 sqq. ed. ii. cf. Grotius ad Luc. iii. 23. et Millius in N. T. editione. Quod Eusebius satis speciosam Africani conjecturam secutus est, ejus fidem non minui, per se patet. cf. Möller *de fide Eus.* p. 113. sqq. HEIN.

7, 3. Συνεπεπλάκει, vel quod idem est συνεπεπλάκη legisse videtur Rufinus: sic enim vertit: *Reconjunctum namque est sibi invicem genus, et illud quod per Salomonem, et illud quod per Nathan deducitur*, etc. Ubi vides Rufinum duas illas præpositiones verbi συνεπεπλάκει totidem Latinis exprimere voluisse. In vulgatis quidem Rufini editionibus legitur *conjunctum namque est sibi invicem genus*, etc. Verum in duobus manuscriptis codicibus, altero bibliothecæ Regiæ, altero Parisiensis ecclesiæ, et in vetustissimis editionibus legitur *reconjunctum*. Nec tamen probare possum interpretationem Rufini. Nam *reconjungi* quidem dicuntur duæ familiæ, quæ cum ex eadem gente ortæ sint, mutuis postea connubiis inter se rejunguntur. Sed in hoc loco longe alia Africani mens est. Non enim dicit Africanus Nathanæos ac Salomonios qui ex eadem gente Davidica originem ducebant, mutuis inter se connubiis postea rejunctos fuisse, verum hoc dicit, generationes illas, tum quæ a Nathane, tum quæ a Salomone ducuntur, implexas esse atque intricatas, ob secundas scilicet nuptias viduarum et seminum suscitationes, quæ in multis generationum illarum gradibus occurrunt. Proinde præpositio illa ἐπὶ in verbo συνεπεπλάκει, non exponenda erat per *re* ut fecit Rufinus, sed potius per præpositionem *super*. Ad verbum: συνεπεπλάκει *superimplexum est*. VALES.

7, 3. Ἀναστάσεσιν ἀτέκνων[h]] Vir doctissimus Joannes Langus qui Nicephorum Latine interpretatus est, hunc locum ita vertit: *Implicata enim inter se sunt genera, et quod a Salomone et quod a Nathan descendit, repræsentatione eorum qui liberos non creassent secundisque nuptiis ac resuscitatione seminum.* Rufinus vero liberius quidem, sed non sine elegantia ita vertit: *Reconjunctum namque sibi est invicem genus, et illud quod per Salomonem, et illud quod per Nathan deducitur, per legales substitutiones quæ fiebant his qui sine liberis decedebant, et per secundas nihilominus nuptias, quibus unus atque idem aliis parentibus progenitus, aliorum esse filius videbatur.* Omisit Rufinus verba illa Africani καὶ ἀναστάσεσι σπερμάτων, quæ certe superflua videntur. Cum enim jam antea dixerit ἀναστάσεσιν ἀτέκνων rejunctas fuisse familias, quid opus est addere ἀναστάσεσιν σπερμάτων, quod unum idemque est teste Africano in hac ipsa ad Aristidem epistola? Damascenus quoque in oratione 3. de nativitate b.

[h] Val. vertit. *reparatione nominis eorum, qui sine prole decessissent.* HEIN.

Mariæ omisit hæc verba. Ceterum obscurum est quod hic ait Africanus, reparatione scilicet seminis eorum qui sine liberis decessissent, misceri solitas esse familias. Nam quoties frater eodem patre natus relictam fratris sui in conjugium ducebat, nulla erat agnationis mutatio. Sed si forte frater uterinus, viduam fratris sui uxorem duceret, tunc aliqua familiarum permixtio nasci poterat. Itaque merito addidit Africanus *καὶ δευτερογαμίαις*. Hæc enim præcipua fuit causa permixtionis familiarum, quoties mulier susceptis jam liberis ex priore matrimonio, ad secundas nuptias transvolabat, et filios ex posteriore etiam viro pariebat. Quo facto, filium ex priore matrimonio natum, uxorem duxisse, et improlem postea obiisse fingamus. Tunc si frater illius uterinus viduam in conjugium duxerit, et ex ea liberos sustulerit, in persona liberorum erit aliqua familiarum confusio, ita ut natura quidem hujus, lege autem, illius filii dicantur. VALES.

7, 5. *Χηρεύουσαν γυναῖκα*] Hoc loco Africanus *χηρεύειν* promiscue dixit tam de mulieribus repudiatis, quam de iis quarum viri fato functi sunt. VALES.

7, 6. *Διαφόρων δύο γενῶν*] Hoc loco *γένος* sumitur pro *familia*. Gens enim dividitur in familias. Sic gens Cornelia verbi gratia, in plures erat divisa familias, puta Scipionum, Sullarum, Lentulorum, qui omnes, ex diversa quidem familia, sed ex una eademque erant gente, ac proinde gentiles dicebantur. Eodem modo Matthan et Melchi ex diversa erant familia; ambo tamen ex eadem gente Davidica quæ in duas familias erat divisa, Salomoniorum scilicet et Nathanæorum. VALES.

Ib. *Τὴν γὰρ κατὰ νόμον γένεσιν*] Hic vero nimium argutari videtur Africanus. Cum enim Lucas de Christo dixerit: *ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Μελχί*, etc. Africanus voces illas *ὡς ἐνομίζετο* referri vult non solum ad illa verba *υἱὸς Ἰωσήφ*, sed etiam ad illa quæ sequuntur *τοῦ Ἡλί*. Quod etsi acutum videtur, est tamen ineptum atque insulsum. Nam si Lucas evangelista his vocibus *ὡς ἐνομίζετο*, legalem illam generationem seu adoptionem intelligit, ut vult Africanus, sequeretur Christum filium fuisse Josephi per adoptionem legalem, eodem plane modo quo Josephus filius fuit Heli. Ita dicendum esset Mariam post mortem Josephi nupsisse ejus fratri, atque ex eo Christum peperisse, quod impium est et absurdum. Id tamen necessario sequitur ex verbis Africani. Præterea si

voces illæ, ὡς ἐνομίζετο extenduntur ad ea verba τοῦ Ἡλὶ, eadem ratione extendi etiam poterunt ad omnes generationum gradus qui sequuntur. Nulla enim ratio est, cur in secundo gradu subaudiantur potius quam in reliquis lineis. Hoc igitur primo improbandum est in explicatione Africani[i]. Secundo loco notandum est, quod ait in generatione illa Christi quam refert Lucas, tertium esse Melchi, atque in evangelio Lucæ tertius nominatur Mathat, avus scilicet Josephi, Melchi vero quintus, abavus scilicet Josephi. Itaque aut Africanum memoria lapsum esse dicendum est; aut certe in codice Evangelii quo usus est Africanus, Melchi scriptum fuisse pro Mathat; quæ est conjectura Bedæ in caput iii. Lucæ. Certe Gregorius Nazianzenus in carmine 38. de Christi genealogia, Africanum sequens Melchi pro Mathat posuit. Et Ambrosius in lib. iii. Comm. in Lucam. VALES.

Ostendere præterea voluit ex hoc loco Kestner. p. 71. Eusebium libris sacris non nimium tribuisse auctoritatis, et propterea omnium maxime sese commendare tanquam historicum, quod res in libris sacris narratas cum aliorum testimoniis sæpissime conferret. cf. cap. 9. 11. At enim vero neque ex nostro loco sequitur, Eusebium non tribuisse summam libris sacris auctoritatem, quippe qui Africani sententiam eo tantum consilio afferat, ut ne quis de illa dubitare incipiat propter illum Lucæ et Matthæi in rationibus illis genealogicis dissensum, neque aliunde illud puto posse doceri. Quodsi alios scriptores confert Eusebius cum librorum sacrorum narrationibus, semper istas nonnisi aliorum causa vult magis stabilire. cf. cap. 9. Ad rem autem plane non pertinet cap. 11. Cæca denique fiducia Lucam nostrum esse secutum cap. 10, ubi Christi temporibus Lysaniam Abilenæ tetrarchum fuisse dicit (cf. Luc. iii. 1.) Kestnerus ipse (cf. p. 72.) concedit. Neque tamen Eusebius in eo a se ipse descivit, quod Kestnerus statuit. HEIN.

7, 8. Ἀντίπατρον Ἡρώδου τινός] Hæc narratio prorsus fabulosa est et commentitia. Nam Antipater patrem habuit non

i Injuriam facere Valesium Africano, bene vidit Stroth. *Uebersetzung des Eusebius* t. i. p. 41. not. 3. ubi hæc leguntur: *Hierinn* (in den Worten, ὡς ἐνομίζετο) *sucht Africanus nichts, sondern in dem Unterschiede, dass Lucas sagt:* der war ein Sohn, *und Matthæus:* er zeugte. *Denn der erstere Ausdruck ist zweideutiger als der letztere, und kann sowohl einen leiblichen als angenommenen Sohn bedeuten.* HEIN.

Herodem hierodulum templi Apollinis, sed Antipatrum Idumæum, ut scribit Josephus in lib. xiv. cap. 2. Quem Antipatrum Alexander Judæorum rex præfectum totius Idumææ constituit. Primusque hic Antipater auctor fuisse videtur hujus potentiæ, ad quam posteri ipsius postea pervenerunt. Nam et præfecturam Idumææ gessit Alexandro et Alexandra regnantibus, et hospitio atque amicitia cum Ascalonitis et Gazæis et Arabibus inita, maximas sibi opes comparavit. VALES. De Antipatro cf. quos laudavit Readingus, Euseb. Chron. p. 143. edit. Pontac. Dio Cass. lib. xxxvii. in M. Ciceronis et C. Antonii consulatu. Strabo Geogr. lib. xvi. p. 1106. ed. Amstel. 1707. Pagi *Apparat. Chron.* sect. 45. 61. HEIN.

Ib. Τὸν ἱερέα] Improprie sacerdotem vocat, qui erat hierodulus. Longe enim hæc inter se differunt, ut supra notavi. Fieri tamen potuit, ut idem esset sacerdos et hierodulus; puta, si hæc erat conditio sacerdotii, ut non nisi exuta libertate sacerdotes caperentur. VALES.

7, 9. Ἐπιμελητὴς τῆς Παλαιστίνης προκόψας] Antipater Herodis parens, sub Hyrcano Judæorum rege procurationem totius regni gessit, et negotia tam civilia quam militaria administravit. Itaque ἐπιμελητὴς τῆς Ἰουδαίας et ἐπίτροπος vocatur a Josepho in dicto libro. VALES.

7, 10. τῶν ἄχρι προσηλύτων] Bene vidit et probavit Stroth., lectionem ἄχρι profectam esse a librario verbi ἀναφέρεσθαι vim haud intelligente, et propterea scripsi cum eo καὶ τῶν ἀρχιπροσηλύτων ἀναφερομένων. Sunt enim ἀναφερόμενοι h. l., ut monet Strothius, in numerum Judæorum relati eorumque jura ac privilegia adepti, quod nos dicimus: *Naturalisirte.* cf. infra. vi. 5, εἷς τις ὢν τῶν ἐν στρατείαις ἀναφερομένων et Deyling. *Observ. Sac.* t. ii. p. 35. Valesius contra vertit: *eorum, qui ad Proselytos, id est advenas genus suum referebant.* Hoc sensu supra legebatur: Μελχὶ ὁ ἐπὶ τὸν Νάθαν κατὰ γένος ἀναφερόμενος, et de Luca paulo post: τὴν ἀναφορὰν ποιησάμενος ἕως τοῦ Ἀδάμ. Veram autem esse illam explicationem atque lectionem, Stroth. his argumentis probat. Primum triplex hominum genus commemoratur, quorum quodque nomine sibi conveniente notatur; unum κατ' ἐξοχὴν γένη, alterum ἀναφερόμενοι, tertium ἐπίμικτοι. Deinde ex verbis τῶν—συνεκπεσόντων parti-

cula τε cum præcedentibus junctis apparet, Africanum de antiquioribus hominibus et eorum genere deorsum ducto, non de recentioribus ac genere horum sursum ducto seu ad antiquiores relato loqui. Denique ipsa scriptoris explicatio hoc docet, cum dicit per ἀρχιπ. ἀναφ. significari ejusmodi homines, ut Achior et Ruth, cum alias dicere debuisset ὡς τῶν ἄχρι τοῦ Ἀχιώρ. Ἀρχιπροσήλυτοι autem sunt ii proselyti, quorum in sacris et aliis Judæorum libris mentio fit, quique horum librorum testimonio illustres facti sunt. HEIN.

Ib. Ἐνέπρησεν αὐτῶν τὰς ἀναγραφάς] Hanc etiam narrationem parum certam existimo. Nam Josephus in libro de vita sua originem et antiquitatem stirpis suæ commemorans, ex publicis archivis eam repetit. Igitur restabant adhuc ætate Josephi publica tabularia, in quibus Judaicarum familiarum origines continebantur. Ac proinde falsum est Herodem ea combussisse. Porro hæc tabularia erant in templo Hierosolymitano sub custodia scribarum, ut equidem existimo. Itaque optime Rufinus verba Africani ita vertit: *Omnes Hebræorum generationes descriptæ, in archivis templi secretioribus habebantur.* VALES.

Ib. ἢ προσηλύτοις] Mallem scribere ἀρχιπροσηλύτοις ut supra. Neque enim de noviciis ac recentibus proselytis hic loquitur Africanus, sed de nobilissimis quibusque et antiquissimis, quorum nomen in sacris libris commemoratum est; cujusmodi fuit Achior, de quo in libro Judith sæpe fit mentio. Quippe hoc loco agit Africanus de nobilitate; cujus præcipuum insigne est antiquitas generis. Ait enim Herodem origines familiarum ideo concremasse, ne quis ex publicis monumentis probare posset, se ab ipsis patriarchis aut a prophetis originem generis sui ducere. Quod si novellos proselytos intelligamus, perit omnis hujus loci sententia, cum Herodis ætate innumerabiles essent in Judæa, qui genus suum ad novellos proselytos referrent, utpote avo nati proselyto. Qui profecto archivorum suffragio opus non habebant, ut se ex proselytis oriundos esse approbarent. Huc accedit, quod ex proselytis originem ducere, ignobile potius quam splendidum apud Judæos habebatur, exceptis ut dixi antiquis illis proselytis, quorum fides ac religio sacris literis nobilitata est. VALES.

Ib. Τούς τε καλουμένους γειώρας] Id verbum legitur in Exod.

xii., ubi Deus Mosi in Ægypto adhuc consistenti loquitur his verbis: πᾶς ὃς ἂν φάγῃ ζυμωτὸν, ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐκ συναγωγῆς Ἰσραὴλ ἔν τε τοῖς γειώραις, καὶ αὐτόχθοσι τῆς γῆς. Africanus γειώρας interpretatur τοὺς ἀπ' Αἰγύπτου συνεκπεσόντας ἐπιμίκτους. Id est, *convenas qui ex Ægypto simul cum Israelitis egressi fuerant.* Duplex enim hominum genus Judæis ab Ægypto egredientibus sese adjunxit, alterum Ægyptiorum indigenarum, quos Moses αὐτόχθονας vocat: alterum convenarum, id est, promiscuæ multitudinis qui γειῶραι dicebantur. Hesychius γέωρες, γεωφύλακες, μέτοικοι, πάροικοι. Georæ ergo apud Ægyptios dicebantur homines extranei, qui terram colendam acceperant sub certa pensione: quales erant in Ægypto Judæi antequam exiissent. Eos cum indigenis Ægyptiis confudisse videtur Africanus; quem tamen refellit Moses in dicto loco. Utrosque vero, tam Georas quam indigenas Ægyptios, uno ἐπιμίκτων nomine comprehendit sacra scriptura in dicto cap. versu 38. καὶ ἐπίμικτος πολὺς συνανέβη αὐτοῖς, id est, *promiscua turba*, συμμιγὴς λαός. Origenes tamen lib. iii. de principiis, ἐπιμίκτων nomine Ægyptios solos intellexisse videtur, qui Hebræis permixti ex Ægypto egressi sunt. Σκληρυσμὸν μὲν ἤλεγχε τὸν τοῦ Φαραὼ, διὰ τὴν κακίαν αὐτοῦ, πειθὼ δὲ τὴν τῶν ἐπιμίκτων Αἰγυπτίων συνεξορμησάντων τοῖς Ἑβραίοις. Drusius in lib. ii. de tribus sectis Judæorum, agens de proselytis, vocem γειῶρα Hebraicæ originis esse dicit, eaque significari proselytum seu advenam. Idem scribit Hesychius, γειώρας, γείτονας ἐξ ἄλλου γένους, καλουμένους τῷ Ἰσραὴλ προσηλύτους. VALES.

7, 11. Δεσπόσυνοι] Satis esse suspectam istam de δεσποσύνοις narrationem ostendit primus Dodwell *Diss. in Iren.* 1. §. 20. et post eum accuratius I. L. Schulzius Disp. de δεσποσύνοις Hal. 1777. 4. p. 6. vid. Danz. de Euseb. p. 111. cf. Vales. not. 19. Δεσπόσυνος autem teste Suida est παῖς τοῦ δεσπότου, propinquus domini et ex eo ortum ducens. vid. Suicer. *Thesaur.* t. i. p. 842. cf. Du Fresne *Glossarium mediæ et infimæ Græcitatis*, t. i. p. 282. sq. Lugduni 1688. HEIN.

Ib. Ἀπό τε Ναζάρων καὶ Κωχαβά] Cochaba vicus fuit in Basanitide juxta Decapolim, ut tradit Epiphanius in Hæresi Ebionæorum cap. 2. et 18. VALES.

Ib. Τὴν προειρημένην γενεαλογίαν] Nicephorus habet τὴν

προκειμένην, et sic in codice regio prius scriptum fuit, sed recentiore manu emendatum est *προειρημένην*. VALES.

Ib. Ἔκ τε τῆς βίβλου τῶν ἡμερῶν] Per librum dierum intelligit Africanus ephemeridas, quas paulo ante ἰδιωτικὰς ἀπογραφὰς appellavit. Plerique enim apud Judæos originum suarum studiosi, privatos generis sui commentarios ex archivis publicis descriptos penes se habebant; quemadmodum apud nos etiamnum a nobilioribus fieri videmus. Porro hoc in loco aliquid deesse apparet ex particula τε, quæ in omnibus nostris codicibus et apud Nicephorum habetur. Quare supplenda videntur hæc verba καὶ ἀπὸ μνήμης ἐς ὅσον ἐξικνοῦντο. Ita certe legisse videtur Rufinus, qui sic vertit: *Ordinem supradictæ generationis partim memoriter, partim etiam ex dierum libris, in quantum erat possibile, perdocebant.* VALES. Consentit Stroth., qui tamen præfert ἐκ μνήμης. Sed ex Rufino certe, utrum ἐκ an ἀπὸ legendum non potest cognosci, neque certum est, duplex ἐκ librarium fefellisse. cf. viii. 12. in. ἐπ' ὀνόματος, Plat. Theæt. i. ab init. Arrian. de Exped. Alex. ii. 13. ubi legitur ἀπὸ γλώσσης i. e. *viva voce.* Aristid. ad Capit. p. 545. ἀπὸ τῶν ὀνόματων i. e. *nominatim.* Hoc tamen recte monet Strothius, non post ἡμερῶν sed ante ἔκ τε inserenda esse vel ἀπὸ vel ἐκ μνήμης. Itaque ἐκ μνήμης suo loco putavi restituendum, quamvis nec Valesius nec Strothius in textum illud recepissent. HEIN.

7, 12. Εἰ καὶ μὴ ἐμμάρτυρος] Quanti facienda sit hæc evangelici loci explicatio, patet ex his Africani verbis, quippe qui fatetur eam nullo testimonio fulciri veterum scriptorum. Admitti tamen eam vult a nobis, eo quod nulla melior afferri possit. Quæ cum ita sint, nollem Eusebium nostrum in vestibulo Historiæ suæ, mentionem hujus rei fecisse. Satius profecto fuisset ac consultius, hanc evangeliorum dissonantiam silentio involvere, ne lectoribus a fide nostra alienis, cujusmodi tunc temporis erant quamplurimi, occasio subministraretur de evangeliorum veritate dubitandi. Certe Julianus Augustus in libro contra Christianos, hanc evangelistarum dissentionem nobis objicit, teste Hieronymo in Commentariis in Matthæum. Locus Juliani exstat apud Cyrillum in libro octavo contra Julianum. Auctor quæstionum veteris et novi Testamenti cap. 56. de hac dissonantia loquens, Africani opinionem im-

probat. Sed ipse aliam affert minus probabilem. VALES. Cf. quæ supra monui 6. HEIN.

Ib. Ματθὰν ὁ ἀπὸ Σολομῶνος] Mira est varietas accentus in hoc nomine. Maz. quidem et Fuk. codex accentum habent in antepenultima. Nicephorus vero et Fuk. codex paulo antea penultimam circumflectunt. In Regio ac Med. duplex est accentus, tum in penultima tum in antepenultima syllaba. Idque in aliis etiam nominibus supradicti codices observant, quoties ambiguum est quonam accentu notanda sint vocabula; ut denotetur in aliis quidem exemplaribus hunc accentum, in aliis vero illum reperiri. Quinetiam nostri codices paulo ante scriptum habent ἀπὸ τοῦ Δαβὶδ διὰ Σολομῶντος τὰς γενεὰς καταριθμουμένοις. Sic enim omnes nostri codices, excepto Regio qui Σολόμωνος illic habet[k]. VALES.

Ib. Ὁμομήτριοι ἄρα ἀδελφοὶ] In hac conciliatione quam refert Africanus, duo sunt quæ nonnihil difficultatis habere videntur. Primum enim dubito, an licuerit uterino fratri viduam fratris sui uxorem ducere, et ex ea liberos procreare in nomen ac familiam fratris sui transituros. Lex enim Deuteronomii cap. xxv. loquitur de fratre qui habitat in eadem domo, et qui est συγγενής. Quod quidem solis germanis aut consanguineis competit. Nam uterinus frater non est ex eadem domo neque ex eodem genere; cum genus præsertim apud Judæos ex paterna stirpe ducatur. Certe Africanus diserte testatur, Jacobum et Heli fratres uterinos contribules quidem fuisse, ex diverso tamen genere ἐκ διαφόρων δύο γενῶν. Secundo loco dubitare quis non immerito possit, utrum in generationibus recensendis ratio a Judæis habita sit patrum adoptivorum. Exemplum habemus illustre in Obed, cujus in genealogia Christi fit mentio. Nam cum Maalon mortuus fuisset in Moabitide, et Ruth viduam absque liberis reliquisset, Booz agnatus Maalonis, proximiore agnato jus suum ipsi concedente, Ruth uxorem accepit, quo semen Maaloni suscitaret. Ex ea tamen genitus Obedus, non Maalonis sed Boosi filius dicitur ab evangelistis, qui Christi prosapiam texuerunt, et in libro qui inscribitur Ruth. Scio quid responderi possit: Moysem

[k] Cf. Knapp. *Commentatio Isagogica* p. xlv. præfixa editioni N. T. iii. Winer. *neutest. Gramm.* p. 35. §. 8. ed. ii. HEIN.

scilicet de fratre duntaxat locutum, Boosum vero fratrem non fuisse Maalonis, ac proinde legem qua jubebatur, ut filius ex fratris vidua susceptus ejus nomine appellaretur, ad Boosum non pertinuisse. Deinde dici potest Boosum idcirco nominari in generatione Christi, quod illustrior extitisset quam Maalon. VALES.

7, 13. Ἐκ τοῦ αὐτοῦ δήμου καὶ πατριᾶς] Judæi divisi erant in tribus, quæ φυλαὶ dicebantur. Singulæ autem tribus dividebantur in δήμους, ut manifeste patet ex capite 36. Numerorum. δῆμοι ergo idem sunt quod apud Romanos *familiæ;* sicut φυλαὶ Judæis sunt quas Romani *gentes* vocabant. Jam vero πατριαὶ idem erant, quod δῆμοι, et recte vetus interpres in libro Numerorum *familias* vertit, ubi 70. interpretes πατριὰς posuerant. Horus Grammaticus *φατρία σύνταγμα, οἷον πατριὰ, ὅτ' ἂν ἀφ' ἑνὸς καὶ εὐγενοῦς ἀνδρὸς, ὡς πατρὸς, κατὰ διαδοχὰς ἐπέκτασιν λάβῃ τὰ γένη, τό τε ἐπί τινα ἀναφέρεσθαι. Ὡς Ἡρακλεῖδαι.* Exstat hic illustris locus Hori Grammatici apud auctorem Etymologici. Atque hinc πατρίαρχαι vocabantur generis auctores apud Judæos, a quibus unaquæque familia nomen acceperat, quemadmodum videre est in cap. 26. Numerorum. Chrysostomus Homilia 7. in Epistolam ad Ephesios πατριὰς et γένη idem esse ait. Ita etiam B. Hieronymus in cap. 3. Ep. ad Ephesios, et in lib. adv. Helvidium: *Cognatione*, ait, *fratres vocantur*, *qui sunt de una familia*, *id est* πατριᾷ: *quod Latini paternitate interpretantur*, *cum ex una radice multa generis turba diffunditur.* VALES. Cf. Suicer. t. ii. p. 637 sq. HEIN.

8, 3. Προοίμια] Προοίμια recte vertit Val. *præludia:* Legitur autem sensu improprio illa vox sæpius apud ipsos antiquos. cf. Schäfer. *Meletem. crit.* p. 29. Sed proprio sensu invenitur apud Chrysost. Hom. t. xii. p. 371. A. ed. Montefalc. Ἐπειδὴ γὰρ εἶδεν—τὰ προοίμια λαμπρὰ καὶ ἡλίου φανερότερα καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς βάλβιδος ἐπιδεικνυμένα, de evangelio. Nos diceremus, *gleichsam den Aufgang der evangel. Lehre.* Hoc sensu apud Græcos non legi videtur illa vox. cf. Passow. s. v. Chrysost. t. i. p. 316. E. t. ii. p. 501. A. t. x. p. 617. B. HEIN.

8, 4. Οὐδὲν οἷοντε καταλέγειν] In Maz. et Fuk. codice scribitur οὐδὲν οἷον τὸ νῦν καταλέγειν. Atque ita codex Med. prius scriptum habuit. Est quidem hæc locutio familiaris Eusebio. Sic in cap. 13. libri hujus, historiam Abgari referens

οὐδὲν δὲ οἷον καὶ αὐτῶν ἐπακοῦσαι τῶν ἐπιστολῶν. Et sexcentis aliis in locis. Verum hic non convenit ea locutio. Quare non dubito, quin una dempta litera scribendum sit οὐδὲ οἷόν τε &c. Conjecturam nostram plane confirmat Nicephorus, qui hæc Eusebii verba ita expressit τόγε νῦν ἔχων διεξιέναι, οὐ πρέπων οἶμαι καιρός. VALES. Recte hæc monuit Valesius, sed male ipse et Stroth. οὐδὲν οἷόν τε retinuit. Nam οὐδὲν οἷον est *nihil vetat*, quod minime in h. l. quadrat. Vid. Schol. ad Aristoph. Av. 966. ubi per οὐδὲν κωλῦόν ἐστιν interpretatur illam locutionem: cf. Aristoph. Nub. v. 96. 144. Devar. *de particc.* s. v. οἷον. Neque in loco a Val. laudato et aliis (cf. iii. 732. vii. 23.) οὐδὲν οἷον verti potest per: *nihil præstat*, ut vim illius formulæ definiendam potius esse contendit contra Vigerum Hermann. ad Vig. p. 725, 80. Optime autem hac de formula exposuit Passow. in *Lex.* t. ii. p. 233. s. v. οἷος. *i.* Est enim illa proprie: *nichts ist so gut, als.* Sensus contra nostri loci est: Herodis facinora ne *possim quidem* nunc, sc. quamvis velim, recensere. Vales. non satis recte: *ne numerando quidem* nunc possim recensere. HEIN.

Ib. Ὡς δ' ἅμα τῇ κατὰ τοῦ Σωτῆρος καὶ τῶν νηπίων ἐπιβουλῇ] Editus est anno superiore libellus de loco Josephi, in quo Jesu Christi fit mentio. In eo libro hic Eusebii nostri locus graviter suggillatur. Ac primo quidem Eusebius noster fraudis arguitur, qui a Josepho id dictum esse confinxerit, de quo Josephus ne cogitavit quidem. Neque enim Josephus Herodem tantis doloribus ante mortem cruciatum esse dixit, ob persecutionem Christi, vel ob cædem infantum. Objicit præterea Eusebio nuperus ille scriptor, quod dixerit statim post cædem Bethleemiticorum infantum, cruciatus illos Herodi contigisse, cum inter βρεφοκτονίαν et Herodis fœdissimum illum morbum, septem anni, ut ipse ait, intercesserint[1]. Sed utramque objectionem refellere facillimum fuerit. Neque enim dicit Eusebius id quod ipsi objicitur. Utitur quidem testimonio Josephi, ut probet Herodem maximis affectum doloribus interiisse, ob scelera quæ toto vitæ spatio admiserat: non vero ut probet, eos cruciatus ob cædem infantum et persecutionem Christi Herodem pertulisse. Quamobrem non est culpandus Euse-

[1] Taxandus potius Eusebius, quod ex Josepho supplevit, quæ ibi non leguntur. Cf. Kestner. *de Euseb. auct.* p. 74. §. 63. 2. HEIN.

bius, sed potius laudanda est ejus fides atque industria: qui cum ex evangelicis libris compertum haberet, Herodem nascenti Christo insidias comparasse, et infantes Bethleemiticos trucidasse, ut eorum cæde Christum quoque involveret; cumque ex Josephi testimonio didicisset, Herodem paulo postea pestilenti ulcere consumptum inter gravissimos dolores animam exhalasse, utrumque simul aptissime conjunxit. Ac Josephi quidem testimonium attulit, ut rem ipsam prout acciderat, exponeret. Veram autem causam ob quam Herodes tot ac tanta perpessus fuerat, a Josepho ignoratam commemoravit. Nullum igitur hic est peccatum Eusebii; sed potius ejus qui Eusebium temere et inconsulte reprehendit. Nam Eusebius quidem sibi ipse constat. Quippe in Chronico mortem Herodis anno post cædem infantium evenisse scribit: omnesque adeo chronologi non diu post infanticidium Herodem vixisse consentiunt. Atque hæc ideo scripsi, non quo auctorem illius libelli reprehenderem, cujus etsi consilium non probem, ingenium tamen ac eruditionem laudo: verum ut Eusebium nostrum defenderem. Cujus acumen et elegantia passim in his libris, sed in hoc præcipue loco elucet. Est enim hic figura qua oratores maxime uti solent, cum id quod ab adversario dictum esset, arripiunt: quod Græci eleganter dicunt *συναρπάζειν*. VALES.

8, 6. *Πνεύματός τε ὀρθία ἔντασις*] Sigismondus Gelenius *tentiginem* interpretatus est. Rufinus vero utrumque sensum in versione sua complexus est. *Spiritus quoque incredibilis inflatio, et tentigo obscena satis et exsecranda.* Sed Josephus suimet ipse interpres est. Nam in lib. i. de Bello Judaico *ὀρθόπνοιαν* pro eodem dicit. Sed et quæ sequuntur, manifeste arguunt intentionem spiritus hic intelligi, non autem obscenam tentiginem *καὶ αὐτὴ λίαν ἀηδὴς, ἀχθηδόνι τε τῆς ἀποφορᾶς καὶ τῷ πυκνῷ τοῦ ἄσθματος,* ubi *ἀποφορὰν* *respirationem* vertit Langus, Musculus et Christophorsonus. At Rufinus *fetorem* vertit: quem nos cum Gelenio secuti sumus. VALES.

8, 7. *Ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν ἱστοριῶν*] Verba Josephi hodie leguntur in lib. i. cap. 21. de Bello Judaico. Verum in manuscriptis codicibus Josephi alia fuit librorum distinctio, quam Rufinus sequi noluit, qui librum primum ad nimiam molem produxit, ut ad Herodis usque mortem eum perduceret. Ita-

que in hoc Eusebii loco nihil mutandum est. Savilius hunc Eusebii locum aliter intellexit. Putavit enim δευτέραν τῶν ἱστοριῶν ab illo dici opus de excidio urbis Hierosolymitanæ, quod opus secundum est respectu ἀρχαιολογίας. Verba sunt ipsius Savilii, quæ profecto tanto viro excidisse nollem. VALES.

8, 12. Λαβὼν δὲ μῆλον] Omnino scribendum est: λαβὼν δὴ μῆλον. Has enim particulas inter se confundi frequenter observavimus. VALES.

9, 1. Ἅμα Λυσανίᾳ] Id de suo adjecit Eusebius, quem merito reprehendit Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebianum. Neque enim Josephus Lysaniæ meminit in hujus rei narratione, constatque, Herodis regnum in tres duntaxat partes post ejus mortem divisum fuisse. Tacitus in lib. v. Historiarum de Judæis loquens: *Gentem coërcitam liberi Herodis tripertito rexere.* Idem testatur Philo in oratione adversus Flaccum pag. 968, ubi dicit Caium dedisse Agrippæ magni Herodis nepoti tertiam partem avitæ ditionis, quam Philippus tetrarcha obtinuerat. Γάϊος Καῖσαρ Ἀγρίππᾳ τῷ Ἡρώδου βασιλέως υἱωνῷ, δίδωσι βασιλείαν, τῆς παππῴας λήξεως τρίτην μοῖραν, ἣν Φίλιππος, ὁ τετράρχης θεῖος ὢν αὐτῷ πρὸς πατρὸς, ἐκαρποῦτο. VALES. Cf. Jos. Ant. xvii. 15. xviii. 3. Pagi *Appar. ad Ann. Baron.* p. 13. HEIN.

Ib. Διεῖπον] Sic legendum ex MSS. Codd. Hoc cum non vidisset Scaliger, frustra Eusebium nostrum reprehendit in animadversionibus ad Chronicon Eusebianum pag. 164. Qui si manuscriptos Eusebii codices consuluisset, ut certe facere debuerat, animadvertisset profecto Eusebium nostrum hic quidem omni culpa vacuum esse. VALES.

9, 3. Τὰ ὑπομνήματα] Conficta sunt hæc Acta Pilati a Christianæ religionis inimicis, in persecutione illa Maximini, ut testatur [m] Eusebius in lib. ix. cap. 5. Quamquam ex actis præsidialibus sanctorum martyrum Tarachi, Probi et Andronici colligi potest, Acta illa jam antea ficta ac divulgata fuisse.

[m] Cf. Justin. M. Apol. i. p. 16. 84. τὰ ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενόμενα ἄκτα. Tertull. Apolog. v. 21. Vid. Van Dale de Actis Pilati in *Oraculis Veterum Gentil.* p. 608. Henke *Programm. de Pilati Actis probabilia,* Helmst. 1784. repetitum in ejusd. *Opusc. Academm.,* Lips. 1802. p. 199. Cf. Fabricii *Cod. Apocryph. N. T.* t. i. p. 214. sqq. p. 298. t. iii. p. 456. Cave *Script. Eccl.* vol. i. p. 24. HEIN.

Sic enim legitur in actis illorum martyrum cap. 9. *Præses dixit: Inique, non scis, quem invocas Christum, hominem quidem fuisse, factum sub custodia Pontii Pilati et punitum, cujus exstant acta passionis?* Inducti sunt autem in judicium supradicti martyres Diocletiano IV. et Maximiano III. Coss., ut docet titulus Actorum. Ex quo sequitur, Acta Pilati jam ante persecutionem Maximini concinnata fuisse. Verum Maximinus cum paucis adhuc nota essent, ea latius publicavit, et in scholis legi et ubique cantari ad Christianorum opprobrium jussit. Male autem Musculus et Christophorsonus ὑπομνήματα *commentarios* verterunt, cum *acta* vertere debuissent, ut recte interpretatus est Rufinus. Græci enim ὑπομνήματα vocant quæ Latini acta, tam senatus quam magistratuum. Exempla passim occurrunt in Dionis Cassii historia, et apud alios, ubi tamen fere labuntur interpretes. VALES.

Ib. Ὁ τῆς παρασημειώσεως χρόνος] Hoc loco παρασημείωσις est titulus seu notatio temporis, quæ actis præfigi solebat. Sic enim acta judiciaria concipiebantur: *Consulatu Tiberii Augusti septimo, inducto in judicium Jesu*, etc. Ita apud Ammianum Marcellinum in lib. xxii. *et acta super eo gesta, non sine magno legebantur horrore, cum id voluminis publici contineret exordium: Consulatu Tauri et Florentii, inducto sub præconibus Tauro.* Eodem modo in gestis purgationis Cæciliani. Sed et in actis conciliorum idem observari consueverat. Nec consulatus modo, verum etiam dies ac mensis præscribebatur. Videtur autem in his Eusebii verbis esse enallage ὁ τῆς παρασημειώσεως χρόνος, pro eo quod alii dicerent ἡ τοῦ χρόνου παρασημείωσις. Utitur porro Socrates eadem voce in lib. i. cap. 13. ubi scribit de tempore concilii Nicæni: Καὶ ὁ χρόνος δὲ τῆς συνόδου, ὡς ἐν παρασημειώσεσιν εὕρομεν, etc. VALES. Apud seriores παρασημείωσις dicitur de præcipuis litis capitibus breviter comprehensis. Vid. Du Fresne *Glossar. med. et inf. Græcit.* t. i. p. 1114. HEIN.

Ib. Τὰ περὶ τὸ σωτήριον αὐτοῖς πάθος τολμηθέντα] De Judæis id dici putavit Rufinus, quem secuti sunt Musculus et Christophorsonus. Sed cum nullum de Judæis verbum præcesserit, de falsariis illis id intelligere malui, qui Pilati acta confinxerant. Vox igitur αὐτοῖς referenda est ad ea verba quæ præcesserunt: τῶν πεπλακότων. VALES.

10, 1. Ἡρώδου καὶ Λυσανίου] Nescio, cur Eusebius inter Herodem ac Philippum, magni Herodis liberos, Lysaniam medium collocaverit. Lucas enim, cujus hic verba sequi se profitetur Eusebius, in celeberrimo illo loco de baptismo Christi, post Herodem ac Philippum, tertio loco Lysaniam nominavit. Quare debuerat etiam Eusebius eundem ordinem observare, maxime cum Lysanias non fuerit ex liberis aut successoribus Herodis. Illud etiam in Eusebio hoc loco reprehendendum videtur, quod postquam dixit Pilatum Judæi procuratorem tunc fuisse, addit reliquam Judæam paruisse tetrarchis Herodi, Philippo ac Lysaniæ. Atqui Lysanias nullam Judææ portionem unquam obtinuit. Neque enim Abila Judææ urbs fuit, sed Syriæ Cœles, seu Decapolitanæ. Excusari tamen potest Eusebius, si dicamus Judææ nomine eum intellexisse totam ditionem Herodis magni. Constat enim Herodem magnum tetrarchiam Lysaniæ possedisse, donatam ipsi ab Augusto. Solebant quippe imperatores Romani, has tetrarchias dono dare regibus fœderatis atque amicis populi Romani, quo illos sibi magis devincirent. Cujus rei exempla suppetunt apud Josephum. Id ipsum significat Plinius in lib. v. cap. 18. his verbis: *Intercursant cinguntque has urbes tetrarchiæ, regionum instar singulæ, et in regna contribuuntur*, etc. et cap. 23. ejusdem libri: *præter tetrarchias in regna adscriptas.* Porro de hoc Lysania cujus meminit Lucas, mirum est nullam exstare mentionem apud Josephum, nec apud Dionem et reliquos. Quod si apud Lucam ita legeretur: Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, καὶ τῆς Λυσανίου Ἀβιληνῆς expuncta voce τετραρχοῦντος quæ sequitur, res esset planissima. Nam Philippus tetrarchiam Lysaniæ, quæ Zenodoro ante tradita fuerat, ab Augusto donatam accepit, ut testatur Josephus. VALES. Joseph. Antiqq. xv. 4. Lysaniam jam quadraginta quatuor annos ante Christum n. mortuum esse, satis probabiliter ostendit. Cf. Kestner. *de Euseb. Auct. et Fide Dipl.* p. 71, 72. Grotius ad Luc. iii. 1. HEIN.

10, 2. Ἐπὶ ἀρχιερέως Ἄννα καὶ Καϊάφα] Ita legitur in omnibus nostris codicibus. Apud Lucam in cap. iii. scriptum est ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα. Ceterum hæc verba Lucæ nullatenus id significant, quod sibi persuasit Eusebius, Chri-

stum scilicet prædicare cœpisse ab eo anno quo sacerdos Judæorum fuit Annas, usque ad pontificatum Caïphæ. Nam primo quidem Lucas ibi loquitur non de prædicatione Christi, sed de prædicatione Joannis, quæ prædicationem Christi antecessit. Deinde eam Joannis prædicationem cœpisse dicit sub pontificibus Anna et Caïpha: non quod anno illo quo prædicare cœpit Joannes, duo simul pontifices fuerint apud Judæos, ut putavit Scaliger in lib. vi. *de Emendatione Temporum* cap. i. Id enim absurdum est et inauditum. Nec verior est Theodori Bezæ interpretatio: quam postea amplexus est Scaliger in *Prolegomenis ad Chronicon Eusebii*, et Casaubonus in *Exercitationibus*, Annam videlicet fuisse vicarium Caïphæ summi pontificis, seu δεύτερον ἀρχιερέα, atque idcirco una cum Caïpha nominari. Nam si Anna vicem gessit Caïphæ, cur priore loco nominatur, non solum in Evangelio, verum etiam in Actibus Apostolorum? cur simpliciter et absolute pontifex dicitur a Luca perinde ac Caïphas? Tria nobis probent oportet illius sententiæ fautores. Primum est, pontifices Judæorum habuisse vicarios perpetuos atque ordinarios: secundum, vicarios illos in actis publicis una cum pontificibus nominatos fuisse ad temporum notationem: postremo illos dictos esse simpliciter ἀρχιερεῖς seu pontifices. Sed profecto nunquam hæc probabunt. Certe Josephus qui in Antiquitatum libris universos Judæorum pontifices accurate percensuit, nunquam perpetuos illos vicarios commemoravit. Unius duntaxat meminit in lib. xvii. Josephi scilicet, qui in spatium unius diei creatus est pontifex, ut vice Matthiæ pontificis sacra faceret. Ex quo apparet, perpetuos vicarios summi pontificis nullos tunc fuisse. Nam si Matthias pontifex hujusmodi vicarium habuisset, nil opus erat ob nocturnam illam pollutionem subito vicarium illi constituere. Existimo igitur Lucam his verbis nihil aliud significare voluisse, quam anno quintodecimo Tiberii Cæsaris Caïpham summum fuisse pontificem, Annam vero ex pontifice. Nam cum Annas socer esset Caïphæ, et paulo antea pontificatum gessisset, summamque inter Judæos auctoritatem obtineret, merito cum Caïpha conjungitur a Luca, non in Evangelio solum, sed in cap. iv. Actuum Apostolorum. Quippe hic Annas vir fuit sui temporis celeberrimus ac potentissimus, et quasi quidam perpetuus

pontifex. Ex quo enim summus sacerdos factus est a Quirinio, ipse deinceps reliquo vitæ tempore aut per filios aut per generos suos sacerdotium administravit, ut testatur Josephus, qui illum semper Ananum nominat. Cum igitur tunc temporis tota sacerdotii auctoritas penes Annam resideret, mirum non est, si cum Caïpha pontifex nominatur a Luca. Ceterum Caïpham anno 15. Tiberii pontificem Judæorum fuisse docet Josephus in lib. xviii. Factus enim est pontifex a Valerio Grato, qui ex Judæa decessit anno circiter Tiberii Cæsaris 12. ineunte. Quem pontificatum plus quam 10. annis obtinuit, toto scilicet tempore administrationis Pilati. Remoto deinde Pilato, Vitellius legatus Syriæ sacerdotium ademit Caïphæ, et Jonathan in ejus locum substituit, ut scribit Josephus in cap. 6. VALES. De hoc Capite Strothius *Uebersetz*, t. i. p. 53. not. 5. hæc habet: *Das ganze Kapitel enthält nichts als ein unausstehliches Geschwätz, voll von historischen Unrichtigkeiten und Widersprüchen.* Cf. Möller *de Fide Eus. C.* p. 104. HEIN.

Ib. Μέχρι δὲ τῆς ἀρχῆς τοῦ Καϊάφα] Rufinus *initium* vertit, Langus vero *administrationem*, quod magis probo. Nam apud Judæos magistratus fuit sacerdotium, cum sacerdos seu ἀρχιερεὺς jurisdictionem haberet. Præerat enim publico gentis consilio, quod *συνέδριον* vocabant. VALES.

10, 3. Λέλυτο μὲν ἡ διὰ βίου καὶ ἐκ προγόνων διαδοχή] Hujus loci insignis emendatio debetur codicibus nostris Maz. Med. ac Fuk. Nam Rob. quidem Stephanus Regii codicis lectionem expresserat, quæ meo quidem judicio ferri non potest. Quid enim sibi volunt illa verba οὔτε τὰ τῆς τοῦ Θεοῦ θεραπείας προσήκοντα ἦν? Quanto planior est scriptura codicum nostrorum λέλυτο μὲν ᾧ διὰ βίου καὶ ἐκ προγόνων διαδοχῆς τὰ τῆς τοῦ Θεοῦ θεραπείας προσήκοντα ἦν? Confirmat hanc lectionem Nicephorus, qui in cap. 29. lib. i. locum Eusebii sic expressit: λέλυτο πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ ᾧ διὰ βίου κἀκ τῆς τῶν προγόνων διαδοχῆς διέφερεν ἡ τοῦ Θεοῦ θεραπεία καὶ λειτουργία. Nulla potest afferri melior interpretatio Eusebiani loci, quam hoc Nicephori scholium. Illud tantum monendum est, singularem numerum hic positum esse pro plurali. Idem enim est ac si dixisset λέλυτο μὲν, οἷς διὰ βίου, etc. Quid sit διὰ βίου nec

Rufinus nec Langus intellexerunt. Nos pluribus exponemus in annotationibus ad librum decimum. VALES.

Ib. Ἱστορεῖ γοῦν ὁ Ἰώσηπος] Longe hic fallitur Eusebius. Nam Josephus non loquitur de iisdem temporibus de quibus Lucas. Josephus quidem loquitur de primo Tiberii Cæsaris decennio, quo tempore procurator Judææ fuit Valerius Gratus. At Lucas loquitur de secundo Tiberii decennio, quando præses fuit Pilatus. Hunc Eusebii errorem jamdudum notavit Scaliger in lib. vi. *de emendatione temporum* cap. 1. Et multo ante Scaligerum Langus in notis ad cap. 29. lib. i. Nicephori. VALES.

10, 4. Ἰώσηπος ὁ καὶ Καϊάφας] Rufinus vertit: *Joseppum cui et Caïaphas nomen fuit, accepit successorem.* Sic enim scriptum est in optimo et vetustissimo exemplari Parisiensis ecclesiæ, non ut in vulgatis *Josephum.* Sed et Josephi historiographi nomen in eodem codice ita perpetuo scriptum inveni, quemadmodum etiam in vetustissimis Rufini editionibus scriptum habetur. Quod certe mutare non debuerant editores. Nam et apud Cassiodorum et Jordanem in indice scriptorum ex quibus decerpta est historia Gothica, Joseppus nominatur: et apud Suetonium in Vespasiano, antiquissimus codex bibliothecæ Memmiæ scriptum habet *Josepus.* Denique Apollonius Collatius *Josipum* semper vocat secunda syllaba brevi. VALES.

10, 5. Τεσσάρων ἐπὶ τέσσαρσιν] Josephi verba sic interpretatur Eusebius, quasi dixerit Josephus quatuor illos pontifices Ananum, Ismaëlem, Eleazarum ac Simonem, singulos anni spatio sacerdotium administrasse. Sed Josephus de duobus quidem postremis id diserte dicit, de prioribus non item. Nam Ismaëlem quidem paulo postquam pontifex factus fuisset a Valerio, exutum fuisse narrat. Anano vero tantum abest, ut annum unum sacerdotii tribuat Josephus. Quinimmo ex Josephi verbis plane conficitur, Ananum tribus minimum annis sacerdotium tenuisse. Etenim Ananum in locum Joazari substitutum esse dicit a Quirinio post peractum censum, anno circiter 37. ab Actiaca victoria, cum Coponius procurator esset Judææ, eumdemque in sacerdotio permansisse usque ad procurationem Valerii Grati, qui a Tiberio sub

initium imperii missus est in Judæam. Ita necesse est, ut Anani pontificatus satis diuturnus fuerit, quippe qui sub quatuor Judææ procuratoribus Coponio, M. Ambivio, Annio Rufo et Valerio Grato eam dignitatem gesserit. Cumque Gratus undecim annis præfuerit Judææ, Josephus diserte non dicit quoto procurationis anno Ananum exauctoraverit. Certe Josephus in libro xx. cap. 8. Ananum hunc testatur diutissime potitum esse sacerdotio, et quinque ejus filios pontifices fuisse. Ex his apparet falli Scaligerum, qui in *Prolegomenis ad Eusebii Chronicon*, Annam ad paucos dies pontificem fuisse scribit. Contra est Josephus in libris, quos supra citavi. Quippe in lib. xx. diserte affirmat, Ananum ἐπὶ πλεῖστον potitum esse sacerdotio. Scio Josephi verba exponi posse non solum de tempore, quo Anna gessit sacerdotium, sed et de toto temporis spatio, quo vixit post sacerdotium. Nam quicunque pontificatum gesserant, ii reliquo vitæ tempore pontifices dicebantur, et decimas accipiebant, ut docet Josephus in lib. xx. ubi de Anania. Et ob hanc causam Lucas in supradicto loco Annam pontificem appellat, qui tamen tunc temporis non erat pontifex, sed eam dignitatem gesserat, ut supra dixi[n]. Ex his patet, frustra ab Eusebio tam Josephi quam Lucæ verba adducta esse, ut quadriennium Christi prædicationis adstrueret: quippe cum Christus non sub quatuor pontificibus, sed uno Caïpha prædicaverit, ut ex Josepho superius ostendimus. Longe melius Epiphanius, qui triennium prædicationis Christi adstruit ex numero paschatum, quæ in Joannis evangelio recensentur a prædicatione illius ad mortem usque. Ita etiam Prosper in Chronico, cujus verba quia nondum edita sunt, hic apponam: *Quidam putant Dominum nostrum Jesum Christum* 15. *anno regni Tiberii Cæsaris, id est duobus Geminis coss. crucifixum: quo anno secundum indubitatam Lucæ evangelistæ auctoritatem baptizatum eum esse manifestum est, et evangelium regni cælorum prædicare cepisse. Secundum vero Joannis evangelium, festivitati paschæ Judæorum ter Dominum interfuisse cognoscimus: ut appareat tertium fuisse illud pascha, quod verus agnus suo sanguine consecravit. Proinde consules quidem a manifestatione Domini, id est a duobus Geminis*

[n] Cf. Pearson. *Lectt. in Acta Apost.* p. 41, quem laudavit Reading. HEIN.

inchoamus. Sed tertios ab eis consules Dominicæ passioni adscribimus. Alii vero quatuor paschata numerant ab initio prædicationis Christi, inter quos est auctor chronici Alexandri. In qua sententia etiam fuisse videtur Eusebius, qui quadriennium, licet non integrum, assignat Christi prædicationi. VALES. Ad verba *οὐδόλος—χρόνος* vid. Hænlein *Progr. de temporis, quo Jesus cum Apostolis versatus est, duratione.* Erlang. 1796. 4°. Gieseler. *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, t. i. p. 54. not. f. sq. HEIN.

10, 5. Τοῦ *ἐνιαυτοῦ καθ' ὅν*] Intelligit locum Joannis cap. 11. et 18. ubi dicitur Caïphas fuisse pontifex anni illius. Ex hoc Joannis loco conjicit Eusebius, Caïpham creatum esse pontificem anno illo, quo Christus suffixus est cruci. Eusebium secutus est auctor chronici Alexandrini, qui pontifices, sub quibus prædicavit Christus, numerat Annam, Ismaëlem, Eleazarum ac Simonem. Sed Joannes Caïpham eo anno factum esse pontificem, non dicit. Cum ergo Josephus auctor certissimus, qui Judaicorum pontificum successionem diligentissime recensuit, affirmet Caïpham a Valerio Grato pontificem factum esse, nec nisi post Pilati procurationem exutum esse sacerdotio, equidem Josephi auctoritatem sequi malo, præsertim cum Lucæ evangelistæ testimonio confirmetur. Lucas enim diserte affirmat, anno 15. Tiberii Cæsaris Caïpham pontificem jam tum fuisse. VALES.

Ib. Ἡ *τοῦ εὐαγγελίου*] Matth. 10. Luc. 10. HEIN.

10, 6. Κατά—*ἐξαίρετον*] Confirmari puto his conjecturam probabilem, qua *ἀποστόλους* simul vocasse videtur Christus discipulos duos, quia pontifices M. Judæorum habebant ministros ita nominatos. Vid Moshemii *Commentarii de rebus Christianorum ante Constantinum Magnum*, p. 69. sqq. Certe non justo citius assentiendum Reuterdahlio *de font. Hist. Eccl. Eus.* p. 16. *In ultimis illis propriam sine dubio* (?) *interpretandi facultatem periclitatur Eusebius.* Minus autem probabile mihi videtur alterum quod conjecit Moshemius, ibid. p. 71, commonefacere voluisse quoque Jesum illo vocabulo *ἀποστ.* et per dignitatem, cujus illud signum est, se solum verum esse pontificem. HEIN.

Ib. Ἀπέστειλεν *ἀνὰ δύο δύο*] Hodie in cap. 10. Evangelii Lucæ, ex quo hoc desumpsit Eusebius, legitur tantum *ἀνὰ δύο*,

sine repetitione ultimæ vocis, quam Rob. etiam Stephanus otiosam esse existimavit. Ego vero nonnihil elegantiæ hunc πλεονασμὸν habere censeo quem etiam in lingua Gallica retinemus. VALES. Elegantiam pleonasmi quomodo concedere possis, egregie docet Matthiæ *ausführliche griechische Grammatik*, p. 3. edit. ii. Cf. Hebr. x. 37. μικρὸν ὅσον ὅσον. Jes. xxvi. 20. HEIN.

11, 1. Συνιστορεῖ] Quod de Josepho dicit h. l. Eusebius, vituperat istum Kestner. *de Eus. auct. et fide* p. 72. Sed vix tantus est dissensus Josephi ac librorum sacrorum hac in re, ut non cogitari possint cum illo convenire. HEIN.

11, 3. Βίενναν τῆς Γαλλίας πόλιν] Memoria lapsus Eusebius pro Lugduno Viennam[o] posuit. Quippe Josephus quem hic auctorem laudat Eusebius, Herodem a Caio Cæsare Lugdunum esse relegatum scribit in lib. xviii. originum cap. 9. Porro in codicibus nostris deest vox πόλιν. VALES. Eandem omisit Stroth. cf. Fischer. *ad Welleri Gr. Gr.* t. ii. p. 291. sqq. Matthiæ *ausführl. Gramm.* p. 571. 2. HEIN.

11, 6. Καὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν] Jam superius mentionem feci libelli cujusdam qui nuper est editus, in quo hic locus Josephi de Jesu Christo[p] expenditur. Auctor hujus libri duo nobis persuadere tentavit. Primum est, locum illum Josephi falsum ac subditicium esse. Alterum est, Eusebium nostrum ejus fraudis auctorem extitisse. Quod attinet ad primum caput disputationis, jam pridem viri docti eum Josephi locum in dubium revocarunt. Sed cum nudis indiciis et suspicionibus ad id judicandum impellerentur, conjecturam suam silentio premere maluerunt, quam quidquam temere affirmare. Quod quidem prudenti consilio ab iis factum esse nemo negaverit. Quamobrem scriptor illius libelli, in eo mihi reprehendendus videtur, quod cum nullis nitatur demonstrationibus, tamen ita pronuntiat, ut nos posthac de ejus loci falsitate dubitare minime patiatur. Quænam porro sunt argumenta illa, quibus hoc adstruit? Justinus, inquit, in disputatione adversus Tryphonem nullam hujus rei mentionem fecit. Quasi vero necesse fuerit Justino Josephi testimonium adducere, aut quasi testimonium Josephi historiarum scriptoris, magnum

o Cf. vi. 43. Kestner, *de Eus. auct.* p. 74. §. 64. HEIN.
p Cf. cap. viii. 4. HEIN.

pondus habiturum fuisset apud Tryphonem! Atqui non hoc erat propositum Justino ut ex profanis scriptoribus, sed potius ut ex sacris prophetarum libris Christi fidem ac divinitatem probaret. Quare nihil opus erat, ut Josephi testimonium afferret, præsertim cum Josephus scriptor esset etiam tum recentissimus, quippe qui sub extrema Domitiani tempora antiquitates Judaicas publicasset. Ad illud autem argumentum quod ex Origene ducitur, facilis est et expedita responsio. Negat quidem Origenes in libris contra Celsum, Josephum agnovisse Jesum Christum, id est credidisse Christo, seu Christianum fuisse. Sed neque ex hoc Josephi loco quem hic citat Eusebius, sequitur Josephum Christi fidem amplexum fuisse. Quamvis enim dicat οὗτος ἦν ὁ Χριστὸς, subaudiendum est λεγόμενος: id est, *hic est, qui dicebatur Christus.* Jam vero quod scribit auctor illius libelli, Eusebium nostrum hujus falsitatis architectum fuisse, nunquam profecto cordatis hominibus id persuadere poterit. Nam cui bono id Eusebius confingere voluisset? An ex testimonio Josephi pendebat divinitas Christi? Annon Eusebii ætate libri antiquitatum Josephi in omnibus bibliothecis visebantur, quibus prolatis, facillimum fuisset Eusebii fraudem convincere? VALES. Vid. Excursus i. HEIN.

12, 2. Κατὰ πρόσωπον] Recte novum Cepham finxisse Eusebium censet Reuterdahl. *de Fontt. Hist. Eccl. Eus.* p. 16, quia de Petro interpretari noluit illa κατὰ πρόσωπον κ. λ. Idem V. D. i. 1. *Rem*, inquit, *apud Clementem* (*hypotyp. V.*) *invenerat Eusebius: cum locus Clementis non totus nobis supersit, in medio relinquamus, hicne scriptor an alius interpretationis fuerit auctor.* Sed inter lxx discipulos certe reliquos præter Cepham ex mera conjectura noster non retulit, ut idem statuit Reuterdahl. Imo tum λόγος κατεῖχεν, tum locus Paulinus 1 Cor. xv. 5. sqq. Eusebio illud persuasit. HEIN.

12, 4. Εἷς δὲ καὶ οὗτος τῶν φερομένων τοῦ Σωτῆρος μαθητῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ ἀδελφῶν ἦν] Hæc est scriptura codicis Regii quam Rob. Stephanus expressit. Verum in reliquis codicibus Maz. scilicet Med. Fuk. et Savilii desunt hæc verba μαθητῶν, ἀλλὰ μὴν καί. Sed neque Rufinus illa agnoscit. Sic enim vertit: *Post etiam dicit eum visum esse Jacobo, qui erat unus ex his qui fratres salvatoris appellabantur.* Nos tamen nihil hic

immutare voluimus, sed scripturam codicis Regii retinuimus. Multi quippe ex veteribus Jacobum fratrem Domini, eum qui primus Hierosolymorum episcopus est ordinatus, non ex 12 apostolis, sed e numero discipulorum Domini fuisse scripserunt. Ita Gregorius Nyssenus in Oratione 2. de Christi Resurrectione, Clemens in lib. ii. Constitutionum cap. 59. et in lib. i. Recognitionum sub finem p. 20. Dorotheus in libro de Apostolis et Discipulis Domini, et Michael Glycas in parte 3. Annalium. Certe huic opinioni favere videtur Paulus in Epistola ad Corinthios, ubi recensens eos, quibus Christus post mortem apparuerat, postquam 12. apostolos nominavit, et quingentos alios, addit deinde: *postea visus est Jacobo et reliquis apostolis.* Jacobum ergo Paulus distinxit a 12. apostolis. Atque ita Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi 4. et 14. locum beati Pauli intellexit. VALES.

13, 1. Βασιλεὺς Ἄβγαρος] Authentiam literarum Abgari et Christi quamvis laudet Pearson. Vind. Ign. t. i. c. 8. et Cavium Hist. Litt. t. i. p. 2. ad h. l. Reading., tamen nunc quidem nemo vindicare conabitur. Ipse enim pontifex Romanus Gelasius, in concilio Romæ a. 494. habito utramque epistolam supposititiam esse censuit, et fortiter impugnarunt illarum litterarum authentiam contra Grabium in *Spicileg. Patrum* præf. p. 1. sq. et in not. p. 313. sq. Ittigius in *Historiæ Eccles. primi seculi capitt. selectt*, Lips. 1709. p. 2., ac Fabricius in *Cod. Apocryph. N. T.* tom. i. p. 320., quos secuti sunt Isaacus Beausobre in dissertatione peculiari, quæ legitur in Bibl. Germ. t. xviii. p. 10. sq. et Jacobus Basnage *Histoire des Juifs* t. i. cap. 18. p. 503. sq. cf. Moshem. *Commentarii de Rebus Christ. a. C. M.* p. 72, 73. Semler *de Christi ad Abgarum Epistola* Hal. 1786. 4. Möller *de Fide Eus.* p. 108. sq. Tanquam fictas enim epistolæ ipsæ sese produnt maxime eo quod Christus ad auxilium afflictis et miseris ferendum semper paratissimus nonnisi annis aliquot elapsis sese opem ferre posse scripsisse dicitur, quod multa eorum, quæ scribit, petita sunt ex orationibus, quas post resurrectionem suam demum habuit, quod Abgarus, cui de religionis Christianæ veritate nondum erat firmiter persuasum, propter fidei suæ magnitudinem celebratur, (cf. not. 22.) et quod Abgarus ipse se τοπάρχην nominat, cum vel minimi

principes Syriæ βασιλέως nomine sese appellare consueverint. cf. Danz. *de Euseb.* p. 112. 6, qui tamen, quomodo offendi potuerit vocativo Ἄβγαρε, ut eum vel in dativum mutandum credat, quod profecto fieri plane nequit, non video, imo rectius abesse debere videtur Ἄβγαρε, quod nec Rufinus habet. Jam vero quamvis hæc ita sint, tamen nullo modo putandus est Eusebius totam illam rem satis miram finxisse, quod temere defendit. L. Bourguetus *Bibl. Ital.* t. xiii. p. 121. neque illam inter meras fabulas referendam esse bene vidit Schröckh. *Christl. K. G.* t. ii. p. 34. sq. cujus verba juvat adscribere: *Eusebius can easily be defended against those, who might accuse him of having invented all this himself.——He was rather credulous, especially of any thing tending to the honour of religion and the church, and he was not experienced enough to distinguish between spurious and authentic writings. He has therefore been deceived by the original inventor of this narration. Abgarus had probably heard much of the miracles of Jesus, and manifested a desire to become acquainted with so extraordinary a man; it is not even improbable that Edessa, the seat of his government, might have been early converted to Christianity by the miracles and preaching of one of the disciples of Jesus.* His autem, quæ vere evenisse possunt probabiliter Christianum Edessenum diu ante Eusebii tempora, ut urbi suæ patriæ antiquam et venerandam originem vindicaret, addidisse has Christi et Abgari litteras, atque hujus quidem haud infeliciter, illius contra ita, ut fraudem suam ante occultatam ipse clarissime manifestaret. Neque vero ob hanc ipsam causam Abgari epistola pro authentica haberi potest, quod probare studuit Jos. Simon Assemani *in Bibl. Orient.* t. i. p. 554. et t. iii. p. ii. p. 8. Mentionem autem illius litterarum commercii injiciunt præterea Ephraimus Syrus et Procopius de bello Persico ii. 12, scriptor sec. VI., qui simul narrat, Edessenos epistolam Christi cum ἀκροτελευτίῳ, secundum Eusebium, apocrypho, asservatam et descriptam in vicem φυλακτηρίου s. amuleti, in portis urbis suæ posuisse, ut vel inde pateat verum esse quod ipse Eusebius profitetur, se ex Edessenorum archivis sua hausisse. Cf. Danz. 1. 1, et hujus capitis not. 13. HEIN.

Ib. τῶν ὑπὲρ Εὐφράτην ἐθνῶν] Uni duntaxat genti, non autem pluribus imperavit Abgarus. Fuit enim Arabum regulus, nec universis Arabibus, sed parti duntaxat Arabum præfuit. Unde φυλάρχης seu φύλαρχος Ἀράβων vocatur. Quippe Arabes erant plures in tribus distincti: singulis autem tribubus suus imperabat phylarchus. *Gentes* igitur hoc loco dixit Eusebius pro *unica gente*[q]. Idque vidit etiam Rufinus, qui hunc locum ita vertit: *Unde et rex quidam Abgarus nomine, gentis ultra Euphratem positæ principatum nobiliter tenens.* VALES.

13, 4. Μεταβληθεισῶν vertit Valesius: *epistolas, quas ex archivis depromtas e Syrorum lingua fideliter transtulimus in hunc modum.* Atque ubique in sua interpretatione Latina sumit Val. Eusebium ipsum Græce vertisse omnia monumenta Latine scripta, quæ suæ historiæ inseruit. cf. H. E. ix. 1. viii. 13. x. 5. Vit. Constant. iii. 13. iv. 32. At egregie demonstravit Möller *de Fide Eus.* p. 23–31. Eusebium vix perexiguam habuisse Latinæ linguæ cognitionem. Cf. p. 29. sq. ubi hæc leguntur: *si mandata imperatorum* (*quæ vulgo in Græcam linguam mox convertebantur*) *excipias, vix plures quam tres e Latino solo scaturientes fontes in usum Hist. Eccl. Eusebii conversos inveneris: Tertullianum nimirum, litteras ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis cœtibus Asiæ minoris datas* (Hist. Eccl. lib. v. ab initio), *ac nonnullas Cornelii episcopi Romani epistolas*, (H. E. lib. vi. cap. 34.) *At tantum abest, ut usus horum instrumentorum Eusebio aliquam Latinæ linguæ notitiam vindicet, ut pro contraria sententia faciat. Nonnullos Tertulliani libros nominatim Apologeticum cognovit Eusebius: eos utique, qui Græca civitate donati erant* (*ipse duobus in locis Græcam versionem citat, scil. H. E.* lib. ii. cap. 2. et lib. iii. cap. 32.): *litteris gravissimis Lugdunensium et Viennensium uti potuit, quia Græce Græcis*——*exaratæ erant; et eas quoque Cornelii epistolas, quarum argumentum exhibuit noster H. E. lib.* vi. *cap.* 43. *Græce fuisse scriptas, dubitare nos vetat hæc ab ipso Eusebio commemorata* περίστασις, *quod ad Fabium Antiochenæ ecclesiæ presulem datæ erant* etc. Cf. Moshem. *Dissertt. ad Hist. Eccles. pertt.* vol. i. p. 527. Lapsus est in eo Danz. *de Eus. C.* p. 32. not. 20. HEIN.

q Imo pluralis h. l. significat totam collectionem et universitatem singularis illius gentis (*die Gesammtmasse*) cf. quæ monebo ad viii. 6. HEIN.

13, 5. Ἄβγαρος τοπάρχης] De forma τοπάρχης vid. Winer. *neutest. Grammatik*, p. 32. cf. Eus. H. E. iv. 15. ἑκατοντάρχης iv. 17. ἑκατόνταρχος iv. 15. εἰρήναρχος viii. 14. iii. 23. λῄσταρχος ex Clemente Alexandrino. Chrys. de sacerdot. vi. 12, 604. ed. Tauchn. ταξιάρχους. HEIN.

Ib. σκυλῆναι πρός με] In Menæo Græcorum ad diem 16. mensis Augusti, ubi tota hæc narratio de Abgaro habetur, ita legitur hic locus: σκυλῆναι καὶ ἐλθεῖν πρός με. Sed nihil opus est hujusmodi glossemate, cum satis subaudiatur. VALES.

13, 7. γέγραπται γὰρ περὶ ἐμοῦ] Ubinam hæc scripta sint, in quo veteris instrumenti loco, adhuc quæro. In Joannis quidem Evangelio scriptum habetur, Dominum nostrum post resurrectionem dixisse Thomæ: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Sed hæc epistola Christi ad Abgarum regem, si quidem vera est, objurgationem illam apostoli Thomæ aliquot annis antecessit. In cap. 6. Esaiæ locus est huic plane similis, ad quem allusisse videtur auctor hujus epistolæ. VALES. Cf. Jes. vi. 9. lii. 15. Matth. xiii. 3. HEIN.

13, 8. Ἰούδας ὁ καὶ Θωμᾶς] Thomas quidem qui fuit unus ex duodecim, dicebatur Didymus teste Joanne evangelista, sed eundem Judam esse cognominatum, alibi quod sciam non reperitur. Itaque et hoc nomine narratio ista merito in suspicionem venit. Nisi forte hunc errorem Eusebii esse dicamus, qui Thomæ cognomentum attribuerit, quod tribuendum erat Thaddæo. Certe Thaddæus apostolus alio nomine dictus est Judas. Hieronymus in cap. 10. Matthæi: *Thaddæum apostolum, ecclesiastica tradit historia missum Edessam ad Abagarum regem Chosidenæ* (scribe *Chosdroënæ* vel quod idem est *Osdroënæ*) *qui ab evangelista Luca Judas Jacobi, et alibi appellatur Lebæus, quod interpretatur Corculum. Credendumque est eum fuisse* τριώνυμον. Idem scribitur in Menologio ad diem 19. Junii. VALES.

Ib. Θαδδαῖον τὸν ἀπόστολον] Nescio cur Hieronymus in loco superius allato, Thaddæum hunc qui a Thoma apostolo missus est ad Abgarum regem, unum ex 12. apostolis fuisse dicit. Nam Eusebius, ex quo Hieronymus eam narrationem mutuatus est, tum hic tum in superiori capite diserte scribit, Thaddæum unum fuisse e 70. Domini discipulis. Idem repetit Eusebius in lib. ii. sub initium. Hunc Hieronymi errorem

notavit Beda in cap. 10. Retractationum in Acta Apostolorum. Alcuinus tamen, sive ut alii volunt, Walafridus Strabo, in versibus quos de 12. apostolis conscripsit, Hieronymi sententiam secutus est. Sic enim scribit de Thaddæo:

Quem duxisse ferunt Christi cum grammate seclum
Abagaro quondam, qui regni sceptra regebat.
Postquam Tartareum damnavit morte tyrannum,
Et tetris Erebi gaudens emersit ab antris.

Leo item diaconus in lib. iv. Historiæ, de Nicephoro Phoca loquens, ejusque ingressu in urbem Edessenorum, effigiem hanc a Thaddæo apostolo ad Abagarum regem perlatam esse dicit, quæ mirabili quodam modo expressa erat in linteo seu peplo, ut ait Leo. Apostolus quidem passim nominatur in hoc Edessenorum monumento quod refert Eusebius. Sed apostoli nomen hic latius sumitur, eo more, quo singulæ gentes et urbes eos, a quibus evangelii primum veritatem acceperant, apostolos nominabant. Neque enim solis duodecim hoc inditum est vocabulum, sed omnes eorum discipuli, et comites atque adjutores, generaliter apostoli sunt appellati. Et quemadmodum licet Dominus septuaginta duntaxat discipulos elegerit, longe plures tamen eo nomine postea sunt exornati, sicut in superiore capite observavit Eusebius, ita etiam licet Dominus duodecim tantum apostolos designaverit, postea tamen hæc appellatio pluribus communicata est, ut notavit Hieronymus in epistolam ad Galatas. Hinc est quod in Menæis Græcorum, et apud Simeonem Metaphrastem, Marcus et Lucas evangelistæ, Titus, Timotheus et Philemon et reliqui Pauli discipuli, apostolorum titulo decorantur. Ambrosius seu potius Hilarius in cap. 1. Epistolæ ad Galatas, *apostolum se*, inquit, *non ab hominibus electum, et missum ad prædicandum testatur, sicut erant quidam, qui electi ab apostolis mittebantur ad ecclesias roborandas: neque sicut alii qui a Judæis mittebantur ad disturbandas ecclesias.* Quibus in verbis triplex genus recensetur apostolorum. Primi sunt duodecim illi a Christo electi, secundi sunt apostolorum discipuli, tertii Judæorum apostoli. Habuerunt enim Judæi apostolos suos, qui a patriarchis ad varia negotia mittebantur. Eorum mentio fit ab Epiphanio in hæresi 30. Hieronymo in cap. 1. Epist. ad Galatas, et in codice Theodosiano titulo de Judæis, et in com-

mentariis supradicti scriptoris in cap. 1. Epistolæ ad Romanos. VALES. Observat præterea Stroth., Constantinum Porphyrogen. in narratione de Edessena Christi imagine edita a Combefisio *Manipul. Rer. Cpol.* p. 81., Cedrenum p. 145. MS. Bodlei. et Vindob. ad finem epistolæ addere: *καὶ τῇ πόλει σου γενήσεται τὸ ἱκανὸν, πρὸς τὸ μηδένα τῶν ἐχθρῶν κατισχῦσαι αὐτῆς.* Procopio hæc suspecta videntur, sed minus Ephræmo Syro in testamento, aperte vero illa laudat Darius comes in epistola ad Augustinum. Cedrenus præterea sigillum memorat epistolæ illi a Christo subjectum his verbis: *ἐπιθεὶς ἐν τῷ τέλει καὶ σφραγῖδα γράμμασιν Ἑβραϊκοῖς ἐνσημανθεῖσαν ἑπτὰ, ἅτινα μεθερμηνευομένα ταῦτα δηλοῦσι, θεοῦ θεαθὲν θαῦμα θεῖον.* Lambecius in MS. Vindobon. reperit subjectas has siglas: Χ. Ψ. Χ. Ε. Υ. Ρ. Α. HEIN.

13, 13. *καὶ ἀποστόλου Θαδδαίου*] Duæ priores voces desunt in tribus codicibus Mazarino, Medicæo et Fuketii, nec leguntur in versione Rufini. Sic et paulo inferius ubi legitur *ὁ αὐτὸς ἰάσατο ἀπόστολος*, iidem tres libri ultimam vocem non agnoscunt. VALES.

Ib. *εὐχάς τε διὰ χειρὸς λαβὼν ἐθεραπεύθη*] Pessime hunc locum verterunt Musculus et Christophorsonus. Putarunt enim *εὐχὰς λαβεῖν* idem esse quod voti compotem fieri, cum sit benedictionem accipere. Idem est igitur ac si dixisset Eusebius *δι' εὐχῆς καὶ χειρῶν ἐπιθέσεως*, ut loquitur in lib. ii. cap. 1. Non recte igitur Nicephorus pro illis verbis *εὐχὰς διὰ χειρὸς λαβὼν*, hæc posuit: *εὐχῇ τε ἅμα καὶ τῇ ἁφῇ θᾶττον τῶν δυσχερῶν ἀπηλλάττοντο*, id est, *simul atque orassent et tetigissent Thaddæum, statim morbis liberati sunt.* Atqui non hoc dicit Eusebius, sed manus impositione et precatione Thaddæi, ægros curatos fuisse. *Εὐχὰς διὰ χειρὸς*, vel simpliciter *εὐχὰς χειρὸς* antiqui patres vocabant manus impositionem cum precatione. Sic in excerptis Theodoti seu in libris Hypotyposeon Clementis p. 344. de baptismo, *διὰ τοῦτο νηστεῖαι, δεήσεις, εὐχαὶ χειρῶν, γονυκλισίαι.* Præcedebat autem oratio impositionem manuum. Possidius in Vita Augustini cap. 29. *Quod dum comperisset, facere non distulit: sed confestim, manum illi imponens oratione præmissa; et illum infirmum continuo Dominus sanum ab eodem discedere fecit.* VALES. Cf. Du Fresne *Gloss. med. et inf. Græc.* t. i. p. 451. HEIN.

13, 14. ἐπειδὴ κηρύξαι τὸν λόγον ἀπεστάλην] Ex versione Rufini suspicari quis fortasse posset, verba hic esse transposita. Sic enim vertit Rufinus: *Et Thaddæus: Nunc quidem tacebo. Verum quia verbum missus sum prædicare, crastino congrega mihi omnes cives tuos*, etc. Quasi in Græco legisset αὔριον δὲ ἐπειδὴ κηρύξαι τὸν λόγον ἀπεστάλην, ἐκκλησίασόν μοι τοὺς πολίτας, etc. Sed re accuratius perpensa nihil hic mutandum censeo. Respondet enim Thaddæus se in præsentia quidem nihil dicturum, quippe qui missus esset, ut evangelium non clam et inter privatos parietes, sed in media concione coram populis ac gentibus prædicaret. Id significat vox illa κηρύξαι, quam non intellexerunt interpretes. VALES.

13, 15. ἄσημον, quod veteres dicunt pecuniam *non signatam s. rudem*, recentiores vocarunt quodvis argentum, etiam illud, *quod esset signatum*. vid. Suicer. *Thes.* t. i. p. 545. qui recte vertit vocem: *pecuniam argenteam*. Cf. Du Fresne *Glossar. med. et inf. Græc.* t. i. p. 138. s. v. ἀσήμιν, ἀσίμιν. Theodoret. serm. ix. ad Græcos, init. Viger. p. 160. vii. cf. Ælian. V. H. i. 22. Temere igitur Strothius *Uebersetzung* h. l. καὶ insititium credidit. De voce confusa et haud distincta itidem usurpant patres vocem ἄσημος opposito εὔσημος. Chrysostom. t. vi. p. 100. C. ἄσημος βοή. p. 146. D. εὔσημος διάλεξις, quæ loca præter alia attulit Matthæi ad Chrysostom. Homm. vol. ii. p. 68. Opp. t. xii. p. 394. A. εὔσημον ποιῆσαι τὸν λόγον cf. 1 Cor. xiv. 9. HEIN.

13, 16. τεσσαρακοστῷ καὶ τρίτῳ ἔτει] Hujus loci vitium nobis primum aperuit Regius codex, de quo antea ne suspicabamur quidem, cum præsertim Rufinus vulgatam lectionem confirmaret. Sed cum in codice regio primum, postea vero in vetustissimo exemplari Mazarino et in Fuk. scriptum invenissem τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει, veram hujus loci sententiam statim sum odoratus. Ait igitur Eusebius Actorum illorum quæ in archivis Edessæ repererat, hujusmodi fuisse subscriptionem: ἐπράχθη ταῦτα τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει. Id est: *Acta sunt hæc anno quadragesimo ac trecentesimo.* Annus hic trecentesimus et quadragesimus juxta Edessenos, cadit in annum primum Olympiadis 202. Etenim Edesseni annos suos numerabant ab Olympiadis 117. anno primo, quo Seleucus regnare orsus est in Asia, ut scribit Eusebius in

Chronico, a quo tempore usque ad initium Olympiadis secundæ ac ducentesimæ anni sunt trecenti ac quadraginta. Porro initium Olympiadis 202. incidit in annum 15. Tiberii Cæsaris, qui duobus Geminis consulibus est insignitus. Quo quidem anno et passionem et ascensionem Domini contigisse, plerique veterum crediderunt. Inter quos est Tertullianus, Augustinus atque Victorius. Vides quantopere necessaria fuerit hujus loci emendatio, quam ex codicibus nostris protulimus. Jam enim cuncta egregie conveniunt, cum Thaddæi adventus in urbem Edessam, et Abgari regis sanatio in eum annum conferatur, quo Christus et passus est et a mortuis resurrexit. At Baronius qui vitiosam vulgarium editionum scripturam secutus est, adventum hunc Thaddæi retulit anno Christi tertio ac quadragesimo, in quo tum ab Edessenorum publicis actis, tum ab Eusebio longe discedit. Quippe in actis illis diserte scribitur; statim post ascensionem Christi hæc gesta esse μετὰ δὲ τὸ ἀναληφθῆναι τὸν Ἰησοῦν, etc. Id ipsum repetit Eusebius in lib. ii. cap. 1, ubi etiam docet hæc gesta esse principatu Tiberii Augusti. Quod profecto stare non posset, si hæc in annum Christi tertium et quadragesimum conferrentur. Quod si quis de nostra emendatione adhuc dubitat, sciat in vetustissimo codice Vaticano, perinde ac in nostris codicibus scriptum esse ἐπράχθη ταῦτα τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει. Denique in antiquissimo ac fidelissimo codice Rufini, quem mihi commodavit Claudius Joly canonicus Parisiensis ecclesiæ, vir eximia probitate ac doctrina præditus, plane scriptum habetur: *Gesta sunt autem ista quadragesimo et trecentesimo anno:* ut jam de istius lectionis veritate dubitare nemo possit. Solus ex nostris codicibus Medicæus scriptum habet τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοστῷ ἔτει, et alia manu ad marginem pro τριακοστῷ emendatur τρίτῳ, quam corruptissimam lectionem nollem a Rob. Stephano pro recta ac legitima admissam fuisse. Ceterum hujus epochæ Edessenorum meminit Eusebius in Chronico ad annum 1. Olympiadis 264: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos* 325. *anno, juxta Edessenos* 588. *insana Manichæorum hæresis in commune humani generis malum exorta.* Hi autem anni Edessenorum ab autumnali æquinoctio sumebant exordium, ut mos fuit Syrorum et omnium fere Orientalium. VALES.

LIB. II.

In procem. Τῆς τε θεολογίας περὶ τοῦ σωτηρίου λόγου. Assentior Henrico Savilio, qui in libro suo emendavit πέρι accentu in primam syllabam rejecto. Quod fieri solet quoties præpositio, quæ præire debuerat, postponitur vocabulo. Sic igitur construenda est oratio, περί τε τῆς θεολογίας τοῦ σωτηρίου λόγου. Nam præpositio περὶ refertur ad vocem θεολογίας, non autem ad σωτηρίου λόγου. Idque manifestissime apparet ex sequentibus Eusebii verbis. Sequitur enim in hac ipsa periodo οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὅσα περὶ τῆς γενομένης ἔναγχος ἐπιφανείας αὐτοῦ. Nec aliter construxit Nicephorus, ut patet ex initio libri secundi. VALES.

Ib. συντεμόντες, i. e. breviter complexi sumus. Cf. Eurip. Iphig. A. v. 1236. ἓν συντεμοῦσα πάντα νικήσω λόγον. Similiter συλλαμβάνειν τὶ legitur, ut nos dicimus: *etwas zusammenfassen.* Plat. Men. §. 8. ὅπερ ἂν συλλαβὼν εἴποιμι. Cf. Plat. Symp. 37, 4. Pind. Pyth. 1, 158. Διειλήφαμεν autem est: *exposuimus.* cf. Passow. s. v. 5. Sed mutandam putavi interpunctionem h. l. ita ut comma, quod Valesius et Stroth. posuerant post συντεμόντες, collocarem post ἀποδείξεις, propterea quod non hoc dicit Eusebius, se breviter exposuisse de Christi θεολογίᾳ etc. etc. quocum pugnaret ipsa vox διαστείλασθαι. (cf. Index s. v.) sed se breviter attulisse τὰς ἀποδείξεις. Hinc recte vertit ipse Vales. *adjectis quanta brevitate fieri potuit probationibus,* i. e. συντεμόντες τὰς ἀποδείξεις. Ob hanc ipsam causam delevi comma post ἐκλογῆς et posui post πρὸ τούτου. HEIN.

Cap. 1, 1. Πρῶτος τοιγαροῦν.] Ab his verbis primum caput exorsi sumus, partim Rufini, partim Regii codicis et Maz. et Fuk. auctoritatem sequentes. Nam quæ præcedunt, procemii locum obtinent. Quippe Eusebius singulis Historiæ suæ libris brevia quædam procemia solet præfigere, quibus tum ea quæ superiore libro dicta sunt, summatim recenset, tum ea, quæ dicturus est, insinuat. Quod tamen a Christophorsono minime est observatum. VALES.

Ib. ἅμα τῇ χειροτονίᾳ.] Quo anno Stephanus martyrii coronam adeptus sit, non convenit inter omnes. Alii eodem anno quo passus est Christus, lapidatum illum esse volunt, 7. Calendas Januarias. Ita diserte scribitur in excerptis chro-

nologicis quæ cum Eusebii chronico edidit Scaliger pag. 68. Et hæc fuisse videtur Eusebii sententia, ut ex hoc loco apparet. Alii vero triennio post Christi mortem martyrium Stephani retulerunt, anno Tiberii ultimo. Ita scribit in chronico Georgius Syncellus. Multi etiam ulterius processerunt, et Stephanum anno ab ordinatione sua septimo passum esse scripserunt. Inter quos est Evodius apud Nicephorum, et Hippolytus Thebanus, et auctor chronici Alexandrini, qui anno Claudii primo martyrium Stephani adsignat. Quæ sententia hinc ut opinor manavit. Pro certo scilicet habebant, Paulum paucis diebus post cædem Stephani ad Christi fidem fuisse conversum. Eundem vero anno conversionis suæ tertio Hierosolyma advenisse, ipsius testimonio didicerant. Id porro accidisse anno Claudii tertio paulo ante obitum Herodis Agrippæ, ex Lucæ historia optime concludebant. VALES.

I, 2. *οὗτος τοῦ Ἰωσὴφ ὠνόμαστο παῖς· τοῦ δὲ Χριστοῦ πατὴρ ὁ Ἰωσήφ.*] Horum verborum loco in Fuketiano et Saviliano codice ita scriptum habetur: *Οὗτος υἱὸς ἦν τοῦ Ἰωσὴφ τοῦ νομιζομένου οἱονεὶ πατρὸς τοῦ Χριστοῦ*, levi discrimine, cum idem sit utrobique sensus. Ait igitur Eusebius, Jacobum qui in Evangelio et in Epistolis Pauli frater Domini dicitur, filium fuisse Josephi ex alia conjuge, quam Josephus ante Mariam sibi sociaverat. Cum Eusebio consentit Epiphanius in hæresibus Nazaræorum et Antidicomarianitarum, Gregorius Nyssenus in Oratione secunda de Christi resurrectione, et Hippolytus apud Nicephorum in lib. 2. cap. 3, nisi tamen titulus mentitur auctorem. Sed Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis, Jacobum hunc idcirco fratrem Domini appellatum esse existimat, quod filius esset Mariæ, sororis matris Domini. Cum Hieronymo consentit Chrysostomus et Theodoretus in Epistolam ad Galatas, aliique plures. Multa quidem de hoc argumento disseruit Baronius in Annalibus. Mihi tamen verior videtur opinio eorum, qui Jacobum et reliquos Domini fratres, Josephi ex priore matrimonio filios esse dicunt. Hæc enim sententia magis congruit verbis Evangelii. Josephus quoque in libro 20. Antiquitatum, et in libris de excidio Hierosolymitano, hunc Jacobum diserte appellat fratrem Jesu Christi. VALES. Cf. Pearson. *Expos. in Symb. Apost.* p. 175. HEIN.

Ib. εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα.] In tribus nostris codicibus Maz. Med. ac Fuk. scriptum est ηὕρητο, quod magis placet. Et paulo post ubi legitur τοῦτον δὴ οὖν αὐτὸν τὸν Ἰάκωβον, iidem codices scriptum habent, τοῦτον δὴ τὸν Ἰάκωβον, etc. quibus etiam consentit codex Savilii. VALES.

Ib. πρῶτον—θρόνον] Cf. vii. 19. Jacobum hunc primum fuisse episcopum, præter alios concesserunt *Acta Sanctor.* mensis Maii tom. i. p. 23. Tillemont. *Mémoires pour servir à l'Histoire de l'Eglise*, tom. i. p. 1008. sq. Sed recte monuit jam Moshem. *Commentar. de rebus Christ. a. C. M.* p. 134, ideo Jacobum pro episcopo Hierosolymitano habitum fuisse, quia in ecclesia Hierosolymitana, cum reliqui apostoli ad legatorum Christi munus obeundum in varias terras abiissent, in ecclesia illa erat princeps, neque quidquam sine ejus consilio et auctoritate presbyteri, quos rexisse probabile est cœtum Hierosolymitanum, gererent. Certe ex Act. xxi. 18. 20. nihil potest concludi. vid. v. 22. At in ecclesia Hierosolymita natam quasi esse dignitatem episcopalem, idem Moshemius bene ostendit. Vid. Euseb. H. E. iv. 5. 20. HEIN.

1, 3. παρέδωκε τὴν γνῶσιν ὁ Κύριος.] *Donum scientiæ* interpretatus sum. Erant tum in ecclesia multa ejusmodi dona seu charismata, quæ non solum apostolis, sed etiam aliis e populo fidelibus Deus interdum communicabat, ut testatur Paulus. Inter hæc dona præcipuum fuit γνῶσις, quam Clemens in libro 6. Stromateon definit scientiam et comprehensionem præsentium, præteritorum ac futurorum: aitque Christum cum in terris versaretur, eam apostolis tradidisse, ab apostolis vero continua deinceps successione ad paucissimos pervenisse. Σοφία ἂν εἴη ἡ γνῶσις, ἐπιστήμη οὖσα καὶ κατάληψις τῶν ὄντων τε καὶ ἐσομένων καὶ παρῳχηκότων, βεβαία καὶ ἀσφαλὴς, ὡς ἂν παρὰ υἱοῦ Θεοῦ παραδοθεῖσα καὶ ἀποκαλυφθεῖσα. Et paulo post: ἡ γνῶσις δὲ αὐτὴ ἡ κατὰ διαδοχὰς εἰς ὀλίγους ἐκ τῶν ἀποστόλων ἀγράφως παραδοθεῖσα κατελήλυθεν. Et ecclesia quidem hoc scientiæ donum perpetuo retinet. Hæretici vero quamvis eam sibi vindicent et Gnosticorum nomen usurpent, eam tamen habere non possunt, cum alieni sint ab ecclesia Dei[r].

[r] Scilicet Catholica. Præterea constat, opinionem illam maxime Clementis et Alexandrinorum fuisse. Cf. Orig. cont. Cels. iv. 6. Moshem. *Comment. de rebus Christ. a. C. M.* p. 304. Reuterdahl. *de Fontt. Hist.* p. 42. sq. HEIN.

Porro vetus interpres Irenæi γνῶσιν semper vertit *agnitionem*. VALES.

1, 4. ὁ—θάνατον] Cf. quæ monui infra cap. 23. HEIN.

Ib. ἐπὶ τὴν Ἔδεσσαν] Vid. Theoph. Sigefr. Bayeri *Historia Edessena et Osroëna*, iii. p. 104. 106. 358. Ecclesiam Edessenam mature a quodam discipulorum Jesu ad religionem Christianam fuisse adductam non tam improbabile est, quam similes de apostolorum conversionibus narrationes, quas passim legimus. Cf. Schröckh. *Christliche Kirchengeschichte*, t. ii. p. 34. HEIN.

1, 7. σύρων] i. e. cum vi, non sine violentia secum ducens, *schleppend*. Differt enim bene illa vox ab ἑλκύειν. Vid. I. A. Tittmann. *Lexici Synonym. in N. T. Specim. III.* p. 8. sqq. cf. infra vii. 12. ἄκοντας, καὶ μηδὲ ἑπομένους, βίᾳ τε σύροντες. HEIN.

Ib. Σίμωνα Justinus M. vocat Σαμαρέα τὸν ἀπὸ κώμης λεγομένης Γιτθῶν vid. Moshem. *Commentar. de rebus Christ. a. C. M.* p. 187, sqq. et *Dissertationum ad Historiam Ecclesiasticam pertinentium* vol. ii. p. 60. sqq. Schröckh. l. 1. t. ii. p. 239. sqq. HEIN.

Ib. Μετὰ πλείστων ἑτέρων ἀνδρῶν.] Magis placet lectio codicum nostrorum Mazarini scilicet Med. Fuk. ac Saviliani μετὰ πλείστων ἀνδρῶν τοῖς αὐτοῦ λόγοις ἑλχθῆναι. VALES.

1, 9. πρὸς τῶν——ἰόν] Patet vel ex hoc loco, quanto odio ipse Eusebius prosecutus fuerit hæreticos cf. vii. 31. ubi Manetem tanquam pessimorum pessimum et ab ipso Satana instigatum describit. Cujuscunque præterea hæreseos auctor nostro est Satanas, a quo omnia mala Christianis unice infliguntur. cf. ii. 14, iv. 7. vid. Möller *de Fide Eus.* p. 36. sq. 64. Orthodoxos contra et Christianos omnes sæpius justo magis effert Eusebius, unde adeo iii. 23. orthodoxiæ famam satis idoneum fidei historicæ Irenæi et Clementis Al. documentum dicit. cf. Euseb. contr. Hierocl. edit. Paris. p. 520.; ἐγὼ μὲν οὖν εὖ μάλα προθύμως τοῖς ἀληθείας ἐχομένοις πειθόμενος, εἰ καὶ μείζονά τινα καθ' ὑπερβολὴν ἐς ἔπαινον ἀνδρὸς ἀγαθοῦ λέγοιτ' ἄν, πιστὰ—εἰπεῖν μοι δοκῶ, ὅτι μὴ μόνα τὰ τερατώδη καὶ λήρου πλέα. Temere igitur puto Kestnerum *de Euseb. auct.* p. 16. §. 17. hoc crimine liberare Eusebium studuisse, qui, quamvis ætatis suæ opinionibus non plane superior, tamen manet scriptor fide dignis-

simus. Nihil autem contendi potest ex mea sententia, nisi Eusebium interdum orthodoxiæ studium, quo agebatur, mitigasse. Cf. Vit. Const. iii. 59. Möller. p. 52—54. et quæ monebo ad iv. 18. HEIN.

Ib. τοὺς, οἷς κ. λ.] Cf. ii. 18. iii. 6. ubi eodem modo articulus loco pronominis demonstrativi οὗτος ponitur, Winer. *Neutest. Grammatik* p. 57. 1. Galat. v. 14. Matthiæ *Ausführliche griechische Grammatik* p. 540. 2. sq. HEIN.

2, 1. παλαιοῦ κεκρατηκότος ἔθους.] Quæret hic fortasse aliquis, cur hunc morem, ut scilicet rectores provinciarum, si quid apud se novi contigisset, referrent ad principem, antiquum vocet Eusebius. Neque enim mos ille tunc quidem temporis valde vetustus erat, cum recens adhuc esset imperium Romanum, et nuperrime ab Augusto constitutum. Aut igitur dicendum est, Eusebium de suis temporibus intellexisse, cum morem illum antiquum vocavit, aut certe prisca illa tempora designasse, quibus respublica Romana populari imperio regebatur. Tunc enim proconsules et prætores qui in provinciis erant, missis ad senatum literis, quicquid novi contigerat, renuntiabant. VALES.

Ib. Τιβέριον ἀνενεγκεῖν.] Conferatur locus insignis apud Euseb. iv. 26. ex apologia Melitonis et vii. 18. extr. Balduini *Commentarius ad edicta veterum principum Romanorum de Christianis* p. 22, 23. Fabricius in *luce evangelii toti orbi exoriente* p. 221. Theodor. Hasæus de decreto Tiberii, quo Christum referre voluit in numerum deorum, Erfurti 1715, 4. Nostra ætate pauci veritatem rei illius credent, quam post Eusebium certe tetigit Chrysost. hom. 27. in 2. Cor. Σύγκλητος Ῥωμαίων ταύτην εἶχε τὴν ἀξίαν χειροτονεῖν καὶ ἐγκρίνειν θεούς. Ὅταν οὖν τὰ κατὰ Χριστὸν ἀπηγγέλη πάντα, ἔπεμψεν ὁ τοῦ ἔθνους ἄρχων πυνθανόμενος εἰ δοκεῖ αὐτοῖς καὶ αὐτὸν χειροτονῆσαι Θεόν. Idem postea tradiderunt Orosius, Cedrenus, Gregor. Turonensis, Nicephorus. Neque defuerunt recentiores, qui illud probabile reddere studuerunt, ut Pearson. *Lection. in Acta Apost.* p. 63. qui leviores sane *Tanaq. Fabri* Ep. ii. 12. objectiones refutavit referente Readingo ad h. l. cf. Sueton. vit. Tib. c. 26. Præ reliquis autem vid. Moshem. *Dissertt. ad Histor. Eccles. pertt.* vol. i. p. 357. sq. ed. III. cf. Danz. *de Euseb. C.* p. 120. sq. "*Qui quidem* (Eusebius) *si Tertullianum*

sequitur ejusque auctoritate narrationem de Tiberio, rerum a Christo factarum relatione Pilati commoto (ii. 2.) *confirmat, nihil contra leges de usu fontium historicis præscriptos, peccavit: Tertullianus enim, ut ipse Eusebius perhibet, vir gravissimus, legum Romanarum peritissimus; locus vero testimonii desumtus ex opere publico, contra ipsos Romanos scripto, et inter Romanos Græcosque magna semper existimatione habito.*" Reuterdahl. *de Fontt.* p. 39. sq. "*Tertullianus quidem nihil habet de Pilato res Christi Tiberio annuntiante et nihil de miraculis et resurrectione Christi, Pilatum ad has res Tiberio nuntiandas commoventibus. Hæc ex propria quadam loci Tertullianei interpretatione sibi sumsit Eusebius. Reliqua vero ut apud Eusebium, sic fere in Tertulliano adsunt; de fide autem eorum nihil certi statuere audemus, magnam eam non judicamus. Vix probari potest rem, quæ imperatori tyranno placeret, servo Senatui displicuisse ideoque fuisse rejectam.*" HEIN.

Ib. τῷ μὲν δοκεῖν—διδασκαλία] Horum verborums ensus hic est: Senatus repudiavit Tiberii consilium, ut videbatur, propterea quod sua ipsius auctoritate non erat decretum, ut inter divos referretur Christus, reapse autem divinæ providentiæ tribuendum est illud, quod fecit senatus, quia non indiget humano auxilio divina veritas. Ita equidem plenius exprimendam putavi Eusebii sententiam. Τῷ μὲν δοκεῖν enim aperte opponitur sequenti τῇ δ' ἀληθείᾳ, ideoque nihil esse potest nisi: *ut videbatur aliis*, et non recte vertit Valesius: *specie* quidem eo, quod senatus auctoritas ad id non *exspectata videbatur.* Quod quomodo in verbis inesse possit, difficile intelligitur. Quomodo enim δοκεῖν simul potest referri ad verba δοκιμάσασα ἦν? Præterea alienus plane ita existit sensus. Lex vetus postulabat, ut nemo inter deos reciperetur, nisi *solius senatus auctoritate.* Contra ex illis verbis sequeretur illud, nonnisi *confirmare* potuisse senatum imperatoris hac de re scita. Deinde autem accuratius reddere studui vim alterius illius ὅτι μὴ post τῇ δ' ἀληθείᾳ. Neque enim hoc dicere voluit Eusebius, senatum vere propterea reprobasse Tiberii postulatum, quod ipse intelligeret, evangelii doctrinam non muniendam esse commendatione humana, sed refert *illud* quidem, si factum est, *recte* ad providentiam divinam, qua moderante ob illam causam unice veram senatus non admiserit Tiberii jussum.

Hinc fere hæc sunt subaudienda: reapse divina providentia moderante propterea reprobare debebat senatus Tiberii postulatum, quia etc. Sed cf. i. 2. 6. extr. iii. 7. 8. extr. iv. 15. ἔδει γὰρ τὸ τῆς φανερωθείσης αὐτῷ ἐπὶ τοῦ προσκεφαλαίου ὀπτασίας πληρωθῆναι. viii. 1. 2. ix. 10. unde, quam studiosus fuerit Eusebius, etiam visorum et vaticiniorum quæ ubivis agnovit, eventum probandi, satis intelligitur. Vid. Möller. *de fide Eus.* p. 63. cf. Kestner. *de Euseb. auct.* p. 70. HEIN.

2, 2. ἄτοπος h. l. idem esse puto, quod ἄδικος, quo sensu sæpius legitur illud in N. T. vid. Wettstenius ad Luc. xxiii. 41. p. 818. cf. Schleusner. *Lex.* s. v. Neque aliter usurpatur verbum illud apud Phalar. Epist. 73. ubi tamen recte observare videtur Lennepius, ἄτοπον ea, quam dixi, significatione haud legi apud scriptores Atticos. Perperam vertisse puto Valesium h. l. ἄτοπον: *durius.* Nihil habet Suicerus. HEIN.

2, 3. Τερτυλλιανὸς τοὺς Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκώς.] Ex hoc loco quidam suspicati sunt, Tertullianum illum qui inter ecclesiasticos scriptores celebris habetur, jurisconsultum fuisse. Certe in indice Pandectarum, inter juris auctores ex quibus opus illud collectum est, recensetur Tertullianus qui libros octo Quæstionum scripsit, et de castrensi peculio librum singularem. Sed non dubito, quin hic diversus sit ab illo presbytero Carthaginensi. Neque vero Eusebius illum jurisconsultum fuisse dicit; sed tantum ait eum leges Romanas accuratissime calluisse. Quod quidem vel ex uno ejus apologetico licet cognoscere, in quo legum Romanarum sæpissime meminit. Ac mihi quidem videtur Eusebius hunc unum Tertulliani librum legisse, cum solus hic ex Tertulliani libris in Græcum sermonem conversus fuisset. VALES. Cf. iii. 32. v. 1. vi. 43. vid. Möller. *de Fide Eus.* p. 30. HEIN.

Ib. τῶν ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν.] Ex his verbis colligere quis posset Tertullianum Romæ vixisse, et unum fuisse ex senatorio ordine. Id enim sonant hæc verba. Constat tamen ex Hieronymo in chronico et in libro de scriptoribus ecclesiasticis, Tertullianum domo Carthaginensem fuisse, patre centurione proconsularis officii. Quæ quidem militia non admodum fuit honorata, quippe cum ejusmodi milites nudum nomen militum haberent, re ipsa autem apparitores essent proconsulum, et vilibus ministeriis fungerentur. De patria quidem sua ipsemet

scribit in Apologetico cap. 9. ubi agit de Tiberio proconsule Africæ, qui sacerdotes Saturni in crucem egerat: *Teste militia patriæ nostræ, quæ id ipsum munus illi proconsuli functa est.* Id est: *testes sunt officiales seu apparitores Carthaginenses proconsulum Africæ.* Quare hæc Eusebii verba τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν, malim interpretari de scriptoribus Latinis. Solet enim Eusebius Romanorum vocabulo designare, non ipsos Romanæ urbis indigenas ac cives, sed Latinos et occidentales, ut inferius notabitur. Recte ergo Rufinus hunc Eusebii locum ita vertit: *Hæc Tertullianus, vir et legum et institutionum Romanarum peritissimus, et inter nostros scriptores admodum clarus.* VALES.

Ib. Ἵνα δὲ καὶ] Vid. Tertull. Apol. 5. *Ut de origine aliquid retractemus ejusmodi legum, vetus erat decretum, ne qui Deus ab imperatore consecraretur nisi a senatu probatus; ut* (Val. male *scit*) *M. Æmilius de deo suo Alburno. Facit et hoc ad causam nostram, quod apud vos humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini deus placuerit, deus non erit, homo jam deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in seculum introivit, annuntiatum sibi ex Syria Palæstinæ quod illic* (Val. *quæ*) *veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* HEIN.

Ib. Μάρκος Αἰμίλιος] Cf. Tertull. contra Marc. 1, 18. qui pro M. Æmilio Metellum nominat. HEIN.

2, 4. ἀγγελθέντος αὐτῷ ἐκ Παλαιστίνης τοῦ δόγματος] Quisquis hunc Tertulliani locum Græce vertit (neque enim ab Eusebio conversum existimo) mentem illius non satis assecutus videtur. Verba Tertulliani apud Rufinum sic leguntur: *Adnuntiata sibi ex Syria Palæstina quæ illic veritatem istius divinitatis revelaverunt, detulit ad senatum.* Quam lectionem amplexus est Nicolaus Rigaltius in editione operum Tertulliani, merito certe. Nam altera quæ in vulgatis legitur scriptura, ferri non potest. Sic igitur vertendus erat hic locus: ἀγγελθέντων αὐτῷ τῶν θαυμάτων ἐκ τῆς Συρίας τῆς Παλαιστίνης, ἅπερ ἐκεῖ τὴν ἀλήθειαν τῆς ἐκείνου θεότητος κατάδηλον ἐπεποιήκει, etc. Certe vel hic unus locus manifeste indicat, Eusebium hujus Græcæ interpretationis auctorem non fuisse, quod tamen Scaliger aliique

sibi persuaserunt. Nam si Eusebius ipse hunc Tertulliani locum Græce vertisset, non omissurus utique fuisset id quod ad institutum ipsius maxime faciebat, mentionem scilicet miraculorum Christi, quæ Pilatus ad Tiberium retulerat. Id enim ipse superius dixit initio hujus capitis *τὰ περὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ Πιλάτος Τιβερίῳ βασιλεῖ κοινοῦται*, etc. Atqui in Tertulliani loco, prout is Græce conversus hic refertur, nulla fit mentio admirabilium Christi operum, sed tantum dogmatis Christiani. Certum est igitur, Eusebium hujus versionis auctorem non fuisse. Porro quod Tertullianus dicit annuntiatum Tiberio ex Syria Palæstina, id Eusebius de relatione ad ipsum missa intellexit. Et tamen Latina vox hunc sensum vix admittit. Annuntiari enim proprie dicuntur, quæ fama et rumoribus innotescunt. VALES.

Ib. *δῆλος ὢν ἐκείνοις ὡς τῷ δόγματι ἀρέσκεται*] Recte expressit sensum verborum Tertulliani, *cum prærogativa suffragii sui:* nisi quod de dogmate perperam adjecit. Neque enim Tertullianus loquitur de dogmate Christianorum, sed de divinitate Christi. Igitur cum prærogativa suffragii sui, idem valet ac cum suffragatione sua: quæ maximam habebat auctoritatem. VALES.

3, 3. *κατὰ τὴν τῶν Παλαιστινῶν Καισάρειαν*] Nostri codices Maz. Med. ac Fuk. scriptum exhibent *κατὰ τὴν Παλαιστινῶν Καισάρειαν*, rectius meo quidem judicio. Dicebatur enim *ἡ Παλαιστινῶν Καισάρεια*, ut alibi occurrit apud Eusebium nostrum, ad discrimen Cæsareæ Philippi quæ in Phœnice sita erat. Leve quidem id nonnullis fortasse videbitur. Sed nos in hac nostra editione, nihil eorum quæ in manuscriptis codicibus occurrunt, præterire constituimus, quo lectori diligentiam nostram approbemus. VALES.

Ib. *ἀπ᾽ εὐθαλοῦς—πηγῆς*] Christianorum vocabulum principatu Tiberii primum orbi innotuisse, testatur etiam Tertullianus in Apologetico, cujus locum in superiori capite adduxit Eusebius. VALES.

3, 4. *Παῦλος δὲ καὶ Βαρνάβας*] Nullo modo in Tiberii tempora cadere potest hæc Pauli Hierosolymitana profectio. Nam Lucas in Actibus diserte scribit, eam contigisse quo tempore Herodes Agrippa inflicta cælitus plaga interiit. Quod

quidem temporibus Claudii accidisse inter omnes constat. Prudenter itaque fecit Nicephorus, qui cum totum hoc Eusebii caput ad verbum describeret, postremam hanc partem de industria prætermisit, ne in eundem cum Eusebio errorem incideret. Eusebium vero nostrum in eam opinionem induxit Pauli locus ad Galatas, ubi de suis ad urbem Hierosolymitanam profectionibus loquitur. Quem locum ut clarius intelligere possimus, de universis Pauli profectionibus in sacram urbem post ejus ad Christum conversionem, diligentius inquirendum est. Lucas quidem quater omnino eum Hierosolyma profectum esse scribit. Primum paulo post ejus baptismum cap. ix. Actuum. Iterum deinde profectus est Paulus Hierosolyma ad deferendas fratrum eleemosynas, ut refertur in cap. xi. et xii. Postea ascendit Paulus Hierosolyma ob controversiam de circumcisione et Judaicis ritibus, ut habetur in capite xv. Postremo venit Hierosolyma sub finem principatus Claudii, ibique diutissime vinctus permansit. Ipse vero Paulus in Epistola ad Galatas, bis post suam ad Christum conversionem venisse se dicit Hierosolyma, et utramque profectionem his temporum intervallis distinguit. *Cum autem*, inquit, *placuit ei qui me segregavit, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, continuo non acquievi carni et sanguini. Neque veni Hierosolyma ad antecessores meos apostolos: sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolyma videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim*, etc.[s] De secunda autem profectione sua ita loquitur: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem: et contuli cum illis evangelium, quod prædico in gentibus*, etc. Quis non videt hæc inter se prorsus discrepare, cum Paulus quidem neget se venisse Hierosolyma statim post baptismum, Lucas vero post baptismum a Paulo susceptum, et aliquot prædicationes Damasci habitas, illum Damasco clam aufugisse, et recta Hierosolyma venisse testetur? Hanc Lucæ et Pauli dissonantiam fateri compulsus est Hieronymus in Expositione Epistolæ ad Galatas. Quam ut conciliarent quidam veterum, teste Hieronymo ita censuerunt, Paulum profectionis illius suæ Hierosolyma statim

[s] Gal. i. 15. sqq. HEIN.

post baptismum, quæ memoratur a Luca in dicto capite ix. nullam habuisse rationem, eo quod fuga potius quam profectio fuisset. Verum hæc solutio levis est admodum. Etenim Lucas scribit Paulum tunc a Barnaba fuisse deductum ad apostolos, et satis diu mansisse Hierosolymis, et adversus Græcos disputasse. Alii inter quos est Beda et Baronius, primam illam profectionem cujus meminit Paulus, asserunt eam ipsam esse quæ refertur a Luca in cap. ix. Actuum, sed Lucam itineris Arabici ideo prætermisisse mentionem, quod nihil memoria dignum illic a Paulo gestum fuisset. Quorum sententiæ libenter equidem accedo. Nam de adventu illo Pauli Hierosolyma planissime ibi loquitur Lucas, quippe qui collocutum eum cum apostolis tunc esse dicit, et multa alia singillatim refert, additque: *Et erat cum illis intrans et exiens in Hierusalem.* Nunc de secunda illa profectione quam Paulus post 14. annos instituisse se dicit, inquirendum est. Theodoretus, et ante illum quidam veteres referente Hieronymo, hanc ipsam esse existimarunt, cujus mentio fit in Actibus cap. xv. quando Paulus una cum Barnaba ob exortam de circumcisione controversiam profectus est Hierosolyma. Hanc sententiam secutus est Baronius. Et Pauli verba id omnino suadere videntur. Subjicit enim Paulus, se evangelium quod gentibus prædicabat detulisse ad apostolos, eisque dijudicandum obtulisse. Hoc enim sibi volunt ea verba ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον. Tum subjungit de falsis fratribus, qui veritatem evangelii opprimere tentabant, et Christianos in servitutem legis redigere. Quæ quidem omnia pertinent sine dubio ad controversiam illam de circumcisione. Verum quid opus est pluribus, cum ea res certissimo argumento ita demonstrari possit. Profectio illa quam post 14. annos se instituisse ait Paulus, non potest esse ea quam secundo loco numerat Lucas. Nec rursus eadem est cum illa quam quarto loco recenset idem Lucas. Eadem est igitur cum illa quam tertiam Lucas commemorat. Quod non possit esse illa quæ secundo loco numeratur a Luca, hinc apparet. Paulus tunc ad deferendas fratrum eleemosynas tantum missus est; nec cum apostolis collocutus est, quippe cum ecclesiam Judæorum tunc maxime persequeretur Herodes, et Petrus in vinculis esset. Quamobrem Paulus in epistola ad Galatas, hujus profectionis suæ mentionem merito præter-

misit, utpote quæ nihil ad institutum suum faceret. Nec vox illa *rursus ascendi* secundam profectionem necessario designat, sed etiam de tertia dici potest[t]. Quod vero non possit esse illa quam quarto loco recenset Lucas, ut videtur sensisse Chrysostomus, ex eo convincitur, quod Paulus scribit se ascendisse cum Barnaba. At in quarta profectione Paulus non fuit cum Barnaba. Jampridem enim ab eo sese abruperat. Verum ut ad Eusebium nostrum redeamus, videtur is secundam Pauli Hierosolymitanam profectionem confudisse cum prima, et ex duabus unam fecisse. VALES.

4, 1. *Τιβέριος—τελευτᾷ*] Tiberius 17. Calend. Apriles, Sueton. in Tiber. 16. et Tacito lib. vi. in Annalibus teste, supremum diem obiit, et regnavit annos XXII. menses VI. dies XXVI. Quod si Tiberii anni ab eo inde tempore numerentur, quo imperii collega dictus, regnavit annos XXV. menses VI. dies XIX. cf. Clem. Al. Strom. lib. i. ubi per errorem anni viginti sex commemorantur. Hæc ex Pagi *Critic. in Baron.* p. 29. Readingus ad h. l. HEIN.

Ib. *τῆς Ἰουδαίων ἀρχῆς Ἀγρίππᾳ τὸ διάδημα*] Falsum est Agrippam regem Judææ a Caio factum esse. Agrippa enim[v] a Caio Cæsare sub initia imperii factus est rex, primum quidem Trachonitidis quæ tetrarchia Philippi fuerat, ut scribit Philo in Flaccum et Josephus lib. 18[w]. mox vero cum Herodes tetrarcha Galilææ[x], Herodiadis uxoris impulsu Romam navigasset, ut regiam dignitatem a Caio impetraret, Caius ademptam Herodi tetrarchiam, Galilæam scilicet donavit Agrippæ, quemadmodum tradit Josephus in libro supradicto, et Philo in legatione ad Caium sub finem. Tandem vero post necem Caii, Claudius regnum Agrippæ a Caio datum confirmavit, adjectis Judæa ac Samaria quas Herodes avus obtinuerat. Atque ita totum Herodis Magni regnum ad Agrippam pervenit. Qui mox Hierosolymis suo arbitratu pontificem creare cœpit,

[t] Vide quæ contra Keilii *Dissertat. de definiendo tempore itineris Pauli Hierosolymit.* Lips. 1798. recusam in ejus *Opusc.* tom. i. p. 160. sqq. ed. Goldhorn. monuerunt Vogelius in commentatione: *über die Chronologischen Standpunkte in der Apostelgeschichte*, quæ legitur in b. Gableri *Journal für auserlesene Theologische Litteratur*, vol. i. p. ii. p. 243., et Winerus *in Excursu II. Commentarii in Epistolam ad Galatas.* HEIN.

[v] Agrippa major Act. xii. 1. 20. HEIN.

[w] Cap. 2. cf. Tacit. Annal. xv. 44. HEIN.

[x] Herodes Antipas Matth. xiv. 1. cf. Euseb. I. 11. HEIN.

quippe qui tum Judææ rex esset, cujus caput erat urbs Hierosolyma. Recte ergo Scaliger in animadversionibus reprehendit Eusebium, quod Agrippam regem Judææ a Caio factum esse dixerit. Sed fallitur ipse quoque Scaliger, cum scribit Agrippam Romam venisse, ut Herodem patruum accusaret. Neque enim Agrippa Romam profectus est, sed Fortunatum libertum cum literis ad Caium misit, ut tradit Josephus. Porro jamdudum ante Scaligerum scholiastes quidam in margine codicis Mazarini hunc Eusebii errorem notaverat. Nam ad illa verba τῆς Ἰουδαίων ἀρχῆς τὸ διάδημα, hoc scholion adscriptum est, non quidem eadem manu, sed nihilominus vetusta: Οὐχ οὗτος ἀλλ' ὁ Κλαύδιος. Excusari tamen commode potest Eusebius. Non enim dixit Agrippam Judææ regem a Caio factum fuisse, sed Judæorum; eorum scilicet qui in Trachonitide et in Lysaniæ tetrarchia degebant. Sane Philo in oratione adversus Flaccum, Agrippam hunc qui tum adhuc solius Trachonitidis rex erat, nihilominus vocat regem Judæorum. Loquens enim de Alexandrinis sic ait: ἤσχαλλον ἐπὶ τῷ γεγεννῆσθαί τινα βασιλέα Ἰουδαίων. VALES. Brevius quidem, sed dilucidius rem expedivit Strothius *Deutsche Uebersetzung* t. i. p. 76. not. 6. *It is quite clear from the context that "the Jewish empire" does not mean, that he (Agrippa) was king of Judæa properly so called.——But the expression is used because Trachonitis also, the Tetrarchy of Philip, was inhabited by Jews.*

Ib. σὺν καὶ τῇ γυναικὶ Ἡρωδιάδι] Male hunc locum accepit Christophorsonus, quasi dicat Eusebius Herodem hunc una cum uxore sua Herodiade interfuisse passioni Christi. Atqui non hoc dicit Eusebius, sed Herodiadem simul cum viro relegatam bonisque multatam fuisse. VALES.

5, 1. πέντε βιβλίοις παραδίδωσιν] Hodie duo duntaxat Philonis libri hujus argumenti supersunt; alter in Flaccum inscriptus, alter de Legatione ad Caium, adeo ut necesse sit aut Eus. falli memoria, aut eos libros aliter olim divisos fuisse, in quinque volumina[y]. Nec est quod quis suspicetur, reliquos hujus argumenti libros hodie desiderari. Nam in his duobus qui nunc supersunt, quæcumque Judæis regnante Caio conti-

[y] Revera olim quinque affuisse libros Philonis de rebus Judæorum regnante Caio, docuit Fabric. *Bib. Gr.* t. iv. p. 741. HEIN.

gerunt, scripta habentur. In fine quidem Legationis ad Caium aperte indicat Philo, alium hujus argumenti librum subsequi debere. Sic enim dicit: Εἴρηται μὲν κεφαλαιωδέστερον ἡ αἰτία τῆς πρὸς ἅπαν τὸ Ἰουδαίων ἔθνος ἀπεχθείας Γαΐου. Λεκτέον δὲ καὶ τὴν παλινῳδίαν πρὸς Γάϊον: *Dicta sunt summatim causæ odii quo Caius Judæorum gentem prosequebatur. Nunc dicenda est etiam palinodia in Caium.* Verum hæc palinodia nihil est aliud quam liber Philonis in Flaccum. Qui liber proxime sequi debet Legationem ad Caium, ut docet Photius in bibliotheca. VALES. Cod. 105. De Philone cf. Cave *Hist. Litt.* vol. i. p. 113. vol. ii. p. 12. HEIN.

Ib. ὡς θεόν] Vid. Sueton. Caligul. xxii. Consistens sæpe—se adorandum adeuntibus exhibebat, et quidam eum Latialem Jovem consalutaverunt. HEIN.

Ib. ἐνυβρίσαντος] Vid. Sueton. l. 1. init. Hactenus *quasi de principe*: reliqua, *ut de monstro* narranda sunt. HEIN.

5, 2. τρεῖς ἀφ' ἑκατέρας στάσεως] At Philo non tres sed quinque legatos ab Alexandrinis Judæis Romam missos fuisse testatur. Sic enim scribit in Legatione ad Caium sub finem: ἐν ἡμῖν δὲ πέντε πρεσβευταῖς σαλεύειν τὰ τῶν πανταχοῦ πάντων Ἰουδαίων οὐ χαλεπὸν; id est, *Annon grave ac molestum erat, quod universæ gentis Judaicæ fortuna in nobis quinque legatis posita esset?* Missi autem fuerant legati duas ob causas. Primum enim querebantur proseuchas suas ab Alexandrinis esse violatas, illatis in eas imperatoris statuis. Deinde acturi venerant de jure Alexandrinæ civitatis, quod Alexandrini Judæis adimere volebant, ut scribit Philo pag. 1019. et 1020. VALES.

Ib. Ἀπίων] Appellatus est Plistonices et multifaria erat rerum Græcarum maxime scientia imbutus. Ejus libri haud ignobiles feruntur, quibus omnium ferme, quæ mirifica in Ægypto visuntur audiunturque, historia comprehenditur. Gell. N. A. V. 14. Hæc Reading. monuit. HEIN.

5, 3. Ἀλεξάνδρου τε τοῦ ἀλαβάρχου] Judæi Alexandriæ jus civitatis habebant, et senatum qui γερουσία dicebatur, et peculiares magistratus, ut testatur Philo in Flaccum. Summus autem inter eos magistratus dicebatur ἀλαβαρχεία; et qui eum gerebat ἀλαβάρχης. Erat hic magistratus perpetuus, et ut Græci vocant διὰ βίον. In rescripto Claudii quod refert Josephus in lib. 19. cap. 4. ἐθνάρχης dicitur. Quo in loco ait

Claudius, permissum fuisse Judæis Alexandrinis ab Augusto, ut in locum ethnarchæ defuncti alium suffragiis suis constituerent. Eundem magistratum γενάρχην vocat Philo in Flaccum pag. 975. τῆς γὰρ ἡμετέρας γερουσίας, ἣν ὁ σεβαστὸς ἐπιμελησομένην τῶν Ἰουδαϊκῶν εἵλετο μετὰ τὴν γενάρχου τελευτὴν διὰ τῶν πρὸς μάγνον Μάξιμον ἐντολῶν. Id est: *Nam ex senatu nostro, quem Augustus constituit, ut post mortem rectoris gentis nostræ, curam gereret rerum Judaicarum, ut scriptum est in mandatis quæ ad Magnum Maximum dedit.* Ex his apparet, alabarcham nihil aliud fuisse quam ἐθνάρχην seu γενάρχην Judæorum qui Alexandriæ et per totam Ægyptum degebant. Ac mihi quidem videtur alabarchæ nomen per risum et contumeliam confictum fuisse. Ceterum suspicor alabarcham Alexandriæ idem juris habuisse, quod habebat patriarcha Judæorum in Syria. Erat igitur quasi quidam summus pontifex Judæorum per Ægyptum. Unde etiam patriarcha dicitur in epistola imperatoris Hadriani ad Servianum, quam refert Pollio in Saturnino. Hujus meminit Palladius in Dialogo de Vita Joannis Chrysostomi: ἵνα μὴ τούτων συγχωρηθέντων ἔθος γένηται Ἰουδαϊκὸν καὶ Αἰγύπτιον τοῦ πωλεῖν καὶ ἀγοράζειν τὴν ἱερωσύνην. Φασὶ δὲ τὸν λυμεῶνα καὶ ψευδώνυμον πατριάρχην τῶν Ἰουδαίων κατ' ἔτος ἀμείβειν, ἢ καὶ παρ' ἔτος τοὺς ἀρχισυναγώγους ἐπὶ συλλογῇ τοῦ ἀργυρίου. Ὁμοίως δὲ καὶ τὸν ζηλωτὴν τούτου τῶν Αἰγυπτίων πατριάρχην etc. nisi quis dicat, per Ægyptiorum patriarcham a Palladio intelligi Theophylum episcopum Alexandriæ. VALES.

5, 4. Γαΐου μὲν αὐτοῖς] Apud Josephum et Nicephorum legitur Γαΐου λόγῳ, etc. Quod majorem habet elegantiam. Sequitur enim ἔργῳ δὲ ἤδη τὸν Θεὸν ἀντιπαρεξάγοντος[z]. Quæ clausula satis obscura est. Itaque Rufinus circumlocutione quadam, ut solet, hujus sententiæ versionem elusit. Nicephorus etiam cum hanc locutionem non intelligeret, emendavit τοῦ Θεοῦ ἀντιπαρεξάγοντος. Sed nihil necesse erat. Ait enim Philo, Caium specie quidem ac verbis tenus Judæis infensum esse, re autem ipsa Deum adversus semetipsum instruere et armare. Quippe Caius cum deum se dici vellet, divini numinis vindictam adversus se provocabat. Ἀντιπαρεξάγειν vox est tactica. VALES. Nostro loco proprio sensu eadem est usur-

[z] Λόγῳ in textum recepit Stroth. HEIN.

pata et recte vertit Valesius: *hostem sibi* (ἑαυτῷ subaudiendum) *constituit Caius deum.* Similiter ἀντιπαρατάττειν dicitur infra v. 1. init. cf. Viger. p. 578. xi. 2. Itaque nullo modo scribendum τῷ Θεῷ, ut conjecit Stroth., inductus impropria verbi ἀντιπαρεξάγειν significatione, cujus exempla laudavit ex Ælian. V. H. iv. 9. Chrysost. in Euboico: λέγομεν δὲ ταῦτα μεμνημένοι τῶν ποιητῶν, οὐκ ἄλλως ἀντιπαρεξάγοντες ἐκείνοις, οὐδὲ τῆς δόξης ζηλοτυποῦντες. Similiter nos dicimus: *gegen Jemand zu Felde ziehen.* Hanc vero impropriam illorum verborum significationem miror omisisse Passow. in Lex. s. v. v. HEIN.

5, 5. Σηιανόν] De Ælio Sejano vid. quos laudat Reading. ad h. l., Pearson. *de successione primorum Romæ Episcoporum* p. 46. Sueton. Tib. 55. 66. Tacit. Ann. iii. 4. Juv. Sat. x. HEIN.

6, 1. Τοσαύτη μὲν οὖν τις ἡ τοῦ Γαΐου] Locus hic Philonis exstat in legatione ad Caium sub finem. VALES.

Ib. Τὰς μὲν ἐν ἄλλαις πόλεσι προσευχάς] Christophorsonus *synagogas* vertit. Sed cum Latini proseuchas etiam dixerint, ut est apud Juvenalem, malui sic interpretari[a]. Nec sane mihi liquido constat, an idem sint proseuchæ et synagogæ. Nam proseuchæ quidem erant modica oratoria, in quibus Judæi, præcipue sabbatis convenire, et patrio more philosophari consueverant. Philo in Legatione ἠπίστατο οὖν καὶ προσευχὰς ἔχοντας καὶ συνιόντας εἰς αὐτὰς, καὶ μάλιστα ταῖς ἱεραῖς ἑβδόμαις, ὅτε δημοσίᾳ τὴν πάτριον παιδεύονται φιλοσοφίαν, id est: *Sciebat enim illos proseuchas habere, et in eas convenire solitos, præcipue sabbatis, quo die patrias leges ac philosophiam publice condiscunt.* Quo in loco non otiosa est vox illa δημοσίᾳ. Judæi enim palam admissis omnibus etiam externæ religionis viris, libros legis Mosaicæ interpretabantur, ut docet Tertullianus in Apologetico cap. 18. *Sed et Judæi palam lectitant. Vectigalis libertas vulgo aditur sabbatis omnibus.* Idem Philo lib. 3. de Vita Mosis scribit Judæos præcipue sabbato fre-

[a] Juven. Sat. iii. 296. Ede, ubi consistas, in qua te quæro proseucha? ubi Schol. locum esse memorat, *ad quem convenire solebant mendici ad stipem petendam, alii tabernam in qua pauperes vivant.* Addit: *et proseucha locus Judæorum ubi erat.* Cf. Petavius in *animadvers. Epiphan.* p. 335. Φόρος *a recentioribus Græcis forum appellatur, sive ampla, et ingens area subdivalis et* ὕπαιθρος. *Cujusmodi proseuchas fuisse docet Epiphanius. Erant loca quædam aperta et sine tecto, in quæ orandi causa conveniebant.* Josephus προσευχὴν nescio statim quo loco vocat μέγιστον οἴκημα πολὺν ὄχλον ἐπιδέξασθαι δυνάμενον. Cf. Tertull. ad Nationes 13. Voss. *Institut. Orat.* iv. p. 91. HEIN.

quentasse proseuchas. Hinc intelligendus est locus Lucæ in cap. xvi. Actuum Apostolorum τῇ τε ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων ἐξήλθομεν ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸν, οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. *Die autem sabbatorum egressi sumus extra civitatem juxta fluvium, in locum ubi videbatur esse proseucha.* De proseucha enim Judaica hunc locum intelligendum esse, multa argumenta convincunt. Nam ante Pauli adventum in urbem Philippos, nulli adhuc illis in locis erant Christiani. Quare de Christianorum oratione locus ille intelligi non potest. Præterea mulieres illæ quæ eo loci convenisse dicuntur, sine dubio Judææ erant, ut apparet tum ex eo quod supra dixi, tum quod Lydia illa purpuraria quæ una ex illarum numero fuit, Deum coluisse dicitur, cum tamen nondum esset Christiana. Postremo undenam domini illius dæmoniacæ cognoscere poterant, Paulum atque Silam Judæos esse, nisi ex eo quod illos in proseucham Judaicam venientes sæpius viderant? Et hæc quidem de proseucharum significatione. Synagogæ vero vocabulum latius patet. Et interdum quidem pro universa Judæorum ecclesia ponitur, interdum pro tota ecclesia unius loci. Denique nonnisi majores et illustriores proseuchæ dicebantur synagogæ. Unde beatus Lucas synagogam quidem Judæorum ait fuisse Thessalonicæ, Philippis autem tantum proseucham, propterea quod pauculi ibi essent Judæi. De majoribus et illustrioribus proseuchis locus est apud Philonem in Legatione ad Caium. Non negaverim tamen proseuchas posse etiam dici synagogas[b]. Hoc enim testatur idem Philo in libro quod omnis probus sit liber. Ubi de Essenis ita loquitur: τούτους τοὺς νόμους ἀναδιδάσκοντες μὲν καὶ παρὰ τὸν ἄλλον χρόνον, ἐν δὲ ταῖς ἑβδόμαις μάλιστα διαφερόντως, εἰς ἱεροὺς ἀφικνούμενοι τόπους οἳ καλοῦνται συναγωγαὶ, καθ' ἡλικίας ἐντάξεσιν. Εἶθ' ὁ μὲν πρεσβύτερος τὰς βίβλους ἀναγινώσκει λαβὼν, etc. *Et has quidem leges assidue condiscunt, præcipue tamen sabbatis: quo die in sacra quædam loca conveniunt quæ synagogæ appellantur, per ætates ordine distributi. Deinde senior libros accipiens legit*, etc. Porro locum illum Lucæ quem paulo ante laudavi, longe ante nos Epiphanius in hæresi Massilianorum interpretatus est de proseucha Judaica. Quo

[b] Dici potuisse proseuchas pro synagogis facilius concedetur, quam vere dictas esse. Certe locus Philonis a Valesio allatus rem haud conficit. HEIN.

loco illud quoque observat, proseuchas tam Judæorum quam Samaritanorum, fuisse loca pura sub divo, instar fori aut theatri, plerumque extra urbes[c]. Quibus consentit Apion in lib. 3. Ægyptiacorum. Ubi ait Mosem utpote Heliopolitanum, subdivales proseuchas construxisse, instar templorum quæ erant Heliopoli, easque omnes ad ventum subsolanum obvertisse, prout erat sita Heliopolis. Apionis verba refert Josephus initio libri secundi adversus Apionem. Idem in libro de vita sua pag. 1020. meminit proseuchæ Tiberiensium ædis maximæ, in quam conveniebant die sabbati, et ubi conciones ad populum fiebant de republica. VALES.

6, 2. *Διὸς ἐπιφανοῦς, νέου Γαΐου*] Non intellexerunt interpretes vim Græci vocabuli. Neque enim *ἐπιφανὴς* *nobilissimum* hic significat, ut vertit Rufinus; neque *illustrem* ut reliqui omnes interpretati sunt. *Præsentem* potius vertere debuerant. Sic enim Latini vocant, quoties de diis loquuntur. Ovidius in libro 2. Tristium. *Per te præsentem conspicuumque deum.* Livius lib. 29. p. 529. *quæ non augendæ religionis causa, sed præsentis deæ numine sæpe comperta.* Et paulo post: *At Hercules in ducibus ipsis nullum deæ numen apparuit, immo ibi præsens maxime fuit.* Recte ergo in veteribus glossis scribitur: *præsens ἐπιφανής*. Hinc Antiochus ille rex Syriæ, appellatus est *ἐπιφανὴς* ab assentatoribus Græcis, id est præsens et conspicuus deus. Præsentias item deorum vocant Latini, quas Græci *ἐπιφανείας*, quoties dii aut se ipsos hominibus videndos exhibuerant, aut præsentiam suam aliquo illustri miraculo declaraverant, ut docuit Casaubonus ad librum 12. Athenæi. Occurrit ea vox apud Plutarchum in vita Marcelli, et apud Athenæum libr. 15. ubi de Admeta sacerdote Junonis Argivæ *θεασαμένην δὲ τὴν τῆς Ἥρας ἐπιφάνειαν.* Et apud Proclum in Hesiodum pagin. 155. De his deorum præsentiis libros olim scripserant Anticlides et Ister teste Plutarcho in libro de musica. VALES.

Ib. *Νέου Γαΐου*] *Novum deum* verterunt interpretes post Rufinum, quod non probo. Nam si Jovem se dici volebat Caius, non erat profecto novus deus. Adde quod non dixit

[c] Chrysostomus locum Lucæ ita explicat: *οὐ γὰρ ἔνθα συναγωγὴ ἦν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἔξω ηὔχοντο, ὥσπερ τόπον τινὰ ἀφορίζοντες.* Cf. Suicer. *Thesaur.* s. v. *προσευχὴ* iv. et s. v. *συναγωγή*. HEIN.

Philo *νέου Διός*. Quod si ita scriptum esset, libenter verterem *novum Jovem*. Sic Ptolemæus Ægypti rex *νέος Διόνυσος* cognominatus est, id est *junior Bacchus*. Nam ex diis gentium alii seniores, juniores alii dicebantur. *Οἱ μὲν γὰρ παλαιότεροι οἱ δὲ νεώτεροι λέγονται τῶν θεῶν*, ut scribit Menander Rhetor. p. 612. editionis Aldinæ, seu potius Alexander. Nam ex duobus opusculis, Menandri scilicet et Alexandri, unicus liber perperam conflatus est in editione Aldina, ut alibi ostensuri sumus. Igitur *νέου Γαΐου* vertendum est *junioris Caii*. Ita dictus est Caligula ad discrimen Julii Cæsaris, qui et ipse Caius dictus fuerat et pro deo habitus. VALES.

Ib. *ἐν δευτέρῳ συγγράμματι ᾧ ἐπέγραψε περὶ ἀρετῶν*] In superiori capite observavimus, librum Philonis in Flaccum collocandum esse post librum de Legatione ad Caium, non autem præponendum, ut vulgo fit in editis et in manuscriptis exemplaribus. Idque duobus argumentis demonstravimus, quæ hic repetere superfluum fuerit. Nunc vero hic Eusebii locus quem præ manibus habemus, sententiam nostram aperte confirmat. Postquam enim Eusebius mala quibus Judæi a Caio vexati sunt, ex Philonis libro de Legatione ad Caium singillatim commemoravit, addit, multas quoque alias gravissimas calamitates Judæis Alexandrinis esse illatas ejusdem Caii principatu, quas refert Philo in secundo libro de virtutibus. Hic secundus liber non potest esse alius quam liber in Flaccum. Non enim dici potest, eum ipsum esse librum qui de legatione ad Caium inscribitur; cum legationem ad Caium diserte distinguat Eusebius ab hoc secundo de virtutibus libro. Restat ergo ut secundus hic liber sit ille ipse qui in Flaccum inscribitur. Adde quod non in alio quam in illo adversus Flaccum libro, gravissimas illas calamitates Judæis Alexandrinis illatas retulit Philo. Ex quo necessario conficitur, secundum illum de virtutibus Philonis librum, non alium esse quam librum in Flaccum. Qui quidem liber inscriptus fuerat a Philone *περὶ ἀρετῶν*, perinde ac prior ille qui legationem ad Caium continet. Docuit id nos hic Eusebii locus; cui jungendus est alter ex capite 18. hujus libri. Ubi testatur Eusebius, plures libros de sceleribus Caii a Philone conscriptos esse, quos ille figurate de virtutibus inscripsit. Quare hoc loco malim legere *ἐν δευτέρῳ συγγράμματι ὧν ἐπέγραψε περὶ ἀρετῶν*. VALES.

Contra Valesium vide disputantem Mangey *ad Philon. Opp.* t. ii. p. 517. not. HEIN.

6, 4. *εἴσῃ ὡς οὐκ εἰς μακρὰν αὐτοὺς μετῆλθεν*] Hoc loco perspicue hallucinatur Eusebius, qui putavit ea quæ Josephus refert de imaginibus Tiberii a Pilato importatis in urbem Hierosolyma, post Christi mortem contigisse. Atqui Josephus ipse testatur, id accidisse initio administrationis Pilati. Sic enim scribit in libro 2. de Bello Judaico: Πεμφθεὶς δὲ εἰς Ἰουδαίαν ἐπίτροπος ὑπὸ Τιβερίου Πιλάτος, etc. Idem quoque apertius testatur in libro 18. Antiquitatum. Missus est autem in Judæam Pilatus anno Tiberii duodecimo, id est triennio ante baptismum Christi. Absurdum igitur est dicere, ea quæ Judæis acciderunt diu ante passionem Christi, non ob aliam causam quam ob scelus illud in Christum admissum, ipsis contigisse. Est et aliud quidpiam, quod in Eusebio fortasse quis possit reprehendere. Existimavit enim Eusebius, unum idemque Pilati facinus tum a Philone, tum a Josepho commemorari: cum tamen si quis diligentius intenderit, duæ illæ ac diversæ res esse videantur. Josephus enim loquitur de signis seu de imaginibus imperatoris. Philo vero de clipeis auratis, qui nullam imaginem haberent, sed nomen duntaxat Tiberii Cæsaris cui dedicabantur, cum nomine Pilati qui eos dedicabat. Præterea id quod narrat Josephus, accidit anno primo administrationis Pilati, tunc cum Pilatus urbem Hierosolymitanam primum ingressus est. Illud autem quod refert Philo, seu potius rex Agrippa apud Philonem, tunc contigit cum Pilatus jam plures annos administrationis suæ complesset, ut ibidem testatur Philo[g]. VALES.

Ib. *αὐτοὺς μετῆλθεν* i. e. interprete Valesio: *in ipsorum exitium vertisse.* Cf. Joh. xix. 5. HEIN.

6, 6. *ἀπὸ τῶν πληγῶν*] Vid. Hermann. *ad Sophocl. Electr.* v. 65. Cf. Schulz. *Christliche Lehre vom heil. Abendmahl* p. 219. Schulthess. *Theologische Annalen* a. 1818. p. ii. p. 820. sqq. Ejusd. *Evangel. Lehre vom Abendmahl* p. 7. sqq. Winer *Neutestam. Grammatik* p. 152. 154. 217. cf. Morus *ad Isocr. Panegyr.* p. 27. et Euseb. infra ii. 19. *πρὸς ἀλλήλων καταπατηθέντων* Sophocl. Trachin. v. 1160. *πρὸς τῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο* Suppl. v. 401. Herm. *ad Vig.* p. 886. 862. 418. Eurip. Iphig. A. v. 924. *πρὸς πατρὸς σφαγήσεται.* HEIN.

7. ὡς ἐξ ἀνάγκης.] Id est, *præ desperatione.* Potest etiam alius esse sensus horum verborum, ut scilicet Pilatus jussu principis sibi mortem consciverit. Sic enim sævire tunc solebant principes Romani, ut de Macrone tradit Josephus. Sed prior explicatio præferenda est, quippe quæ præcedentibus Eusebii verbis magis congruit, et præterea confirmatur ex Chronico. Sic enim ibi scribit: *Anno tertio Caii Caligulæ Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interficit. Scribunt Romanorum historiæ*[d]. Porro Pilati hujus mores egregie describit Agrippa rex apud Philonem in legatione ad Caium: ἦν γὰρ τὴν φύσιν ἀκαμπὴς καὶ μετὰ τοῦ αὐθάδους ἀμείλικτος. Et paulo post: καταδείσαντα μὴ καὶ τῆς ἄλλης αὐτοῦ ἐπιτροπῆς ἐξελέγξωσι τὰς δωροδοκίας, τὰς ὕβρεις, τὰς ἁρπαγὰς, τὰς αἰκίας, τὰς ἐπηρείας, τοὺς ἀκρίτους καὶ ἐπαλλήλους φόνους, τὴν ἀνήνυτον καὶ ἀργαλεωτάτην ὠμότητα διεξελθόντες. Ex quibus cognosci potest, quanta fuerit immanitas atque atrocitas Pilati. Est hoc certe illustre testimonium Agrippæ, qui flagitia ipsius Pilati oculis suis spectaverat. Talem profecto decuit esse judicem illum, a quo damnatus est Christus. Innuit autem ibidem rex Agrippa, Pilatum jamtum mortuum fuisse, cum ipse epistolam illam pro Judæis ad Caium scriberet. Verba enim illa ἦν γὰρ ἀκαμπὴς, etc. non nisi de mortuo jam Pilato dici posse mihi videntur. VALES.

8, 1. τὴν ἀρχὴν κατασχόντα] Cf. Pagi *Crit.* vol. i. p. 34. ad a. C. 41. HEIN.

Ib. λιμοῦ] Vid. Act. xi. 28. Eichhorn, *Einleitung in das N. T.* tom. ii. p. 54. sqq. Kuinöl. *Commentar. ad Act.* lib. i. p. 406. sq. ed. ii. cf. Usser *Annall.* p. 658, ad a. C. 42. citante Readingo ad h. l. HEIN.

Ib. οἱ πόῤῥω—συγγραφεῖς] Vertit Val. *scriptores a nostra religione alienissimi.* Ad rem vid. Tacit. Annal. xii. 43. Sueton. Claud. 18. Dio Cass. p. 671. Joseph. Antiq. xx. 2. Græcos rerum scriptores noster nonnisi sine accuratiore nominum vel

[d] Exinde jam patet, Eusebium hoc referre aliunde acceptum. Præterea disertis verbis nostro loco ἱστοροῦσιν, inquit,——ἀναγράψαντες et in Chronico ita Romanorum historicos scribere affirmat. Permirum vero est, quod scribit Reuterdahl. *de fontt.* p. 77. *Scriptoris igitur cujusdam profani verba ibi* (in Chronico) *allata judicamus, quod vero in H. E. de* τιμωρῷ αὐτόχειρι *prædicatur, additamentum quidem est Eusebianum.* (?) Mihi probabilius videtur, quod Eusebius attulit utroque loco, quam quod tradit Joh. Antiochenus in excerptis Valesianis, p. 808, 809., a Nerone Pilatum capitis supplicio esse affectum. Ἐξ ἀνάγκης h. l. non esse *præ desperatione*, monuisse sufficit. HEIN.

operum eorum designatione laudat. Vid. iv. 2. v. 5. alias in laudandis scriptoribus, ut quævis fere docet pagina, diligentissimus. Cf. i. 8—12. ii. 2. et innumeris aliis in locis. Cf. Möller. p. 86—93. Quando autem Eusebius libros V. T. non accuratius indicat, quod maxime in libro primo Historiæ Ecclesiasticæ fecit, in eo profecto non prorsus sequitur communem veterum doctorum consuetudinem, qui quamvis N. T. libros interdum negligentius laudaverint, tamen V. T. loca, ut minus cuivis statim obvia, accurate semper fere significarunt. Vid. Hug. *Einl. ins N. T.* t. i. p. 39. sqq. Conferatur tamen Möller. p. 90., ubi illud quoque memoratur, uno loco (i. 6.) sua ipsius opera Eusebium negligentius laudare. HEIN.

9, 1. Ἡρώδης] Agrippa major Act. xii. 1. HEIN.

Ib. Ὁ *εἰσαγαγὼν αὐτόν.*] Militem seu apparitorem intelligit, qui Jacobum apostolum coram Herode Agrippa in judicium induxerat. Solebant enim rei a militibus deduci et sisti coram tribunali. Potest etiam intelligi accusator, a quo delatus fuerat Jacobus et in judicium adductus. Vox enim Græca *ὁ εἰσαγαγὼν*, tam de apparitore, quam de accusatore accipi potest. Sic Lucas in Actuum cap. xvi. de accusatoribus Pauli ac Silæ scribit: *ἐπιλαβόμενοι τὸν Παῦλον καὶ τὸν Σίλαν, εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας· καὶ προσαγαγόντες αὐτοὺς τοῖς στρατηγοῖς εἶπον.* Malim tamen Eusebii verba de accusatore Jacobi intelligere. Nam quod sequitur, hominem illum qui Jacobum in judicium adduxerat, mox a Jacobo veniam petivisse, id magis convenit accusatori quam militi. Quippe accusator qui innocentem calumniatur: sciens ac volens peccat: atque idcirco veniam petere potest ab eo quem affecit injuria. Miles vero qui judici exhibet noxium, cum imperio judicis obsequatur, omni culpa videtur vacare. VALES. Cf. Fabricii *Cod. apocryph. N. T.* tom. ii. p. 527. sq. not. o. HEIN.

Ib. *ὡμολόγησεν εἶναι καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν* Χριστιανόν.] Equidem vulgatam lectionem puto esse verissimam et recte retentam a Strothio, qui tamen non attulit illius rationis causam. Facillime autem, quod cod. Fuket. exhibet, reciperem, ut quod melius conveniat linguæ Græcæ consuetudini, qua, cum de eodem substantivo sermo est, de quo verbum, unde ista constructio pendet, intelligitur, nominativus infinitivi poni solet,

non accusativus, nisi Eusebium hoc in genere, addito tamen recte semper pronomine, accusativo etiam uti præter alia loca, docerent ipsa verba cap. 11. λέγων ἑαυτὸν εἶναι τινά. iv. 15. ὡμολόγησεν ἑαυτὸν Χριστιανὸν εἶναι. vide Hermann. *ad Vig.* p. 743. Matthiæ *ausführliche griechische Grammatik* p. 1053. sqq. ed. ii. cf. Winer. *neutest. Grammatik.* p. 133, 2. Consueto autem more Eusebius loquitur v. c. infra v. 8. παραθήσεσθαι—εἰπόντες. Præterea vide, quæ egregie monuit Lobeck. *ad Phryn.* p. 750. sq. cf. Schäfer. *ad Lamb. Bos.* p. 224. ad Sophocl. t. i. p. 260. HEIN.

9, 2. ἰδὼν—ἐπὶ τῇ τ. Ἰ. ἀναιρέσει.] Ita vix loquuntur antiqui. Act. xii. 3. legitur ἰδὼν ὅτι ἀρεστόν ἐστι τοῖς Ἰουδαίοις. Alio sane sensu ὁρᾷν ἐπί τινι legitur alibi cf. Schäfer. Dion. comp. p. 143. Nihil habet Suicerus de hac constructione. HEIN.

10, 1. Οὐκέτ' ἀναβολῆς εἴχετο.] Pro his Eusebii verbis Nicephorus ista substituit: quæ quoniam scholii instar esse possunt, hic apponam: τὰ δὲ τῆς κατὰ τῶν ἀποστόλων ἐγχειρήσεως Ἡρώδου, οὐκέτ' ἐν ἀναβολαῖς ἦσαν τῇ δίκῃ. VALES. Male Stroth. ante ἀλλὰ excidisse opinabatur ἀκόλουθα, aut certe subaudiendum esse. Totam ῥῆσιν ad sensum recte expressit Val. ita: *Regis vero ob commotam adversus apostolos persecutionem haudquaquam diu dilata vindicta est.* Proprie autem ἀναβολῆς εἴχετο est: *proxima erant dilationi.* Cf. Euseb. in Hierocl. cap. 12. ἐγὼ μὲν οὖν εὖ μάλα προθύμως τοῖς ἀληθείας ἐχομένοις πειθόμενος. HEIN.

Ib. μετὰ τὴν τῶν ἀποστόλων.] Malim scribere μετὰ τὴν κατὰ τῶν ἀποστόλων ἐπιβουλὴν, ut legitur apud Nicephorum. VALES.

Ib. ὑψηλόν τε πρὸ βήματος.] Apud Nicephorum scriptum est πρὸ τοῦ δικαστικοῦ βήματος. Ubi Nicephorus vocem δικαστικοῦ addidit de suo, satis inconsulte. Neque enim juris dicendi causa illic consederat Agrippa, sed ut concionem haberet ad populum, quemadmodum traditur in Actibus Apostolorum. Ubi etiam rectius legitur ἐπὶ τῷ βήματι. Nam illud πρὸ βήματος parum Græcum, ac prorsus Latinum est. VALES. Recurrit tamen πρὸ βήματος infra iv. 9. πρὸ βήματος ἀποκρίνασθαι. cf. viii. 9. et temere offensus hac locutione videtur Valesius. HEIN.

10, 2. ἑορτήν τινα ταύτην ἐπιστάμενος.] Turnebus in suo

codice ad latus emendarat ἐνστησάμενος. Quam emendationem etiam in libro Moræi adscriptam inveni. Sed hæc conjectura nullo modo placet. Neque enim Agrippa ludos illos primus instituerat, sed ab Herode ejus avo jamdudum instituti fuerant. Hic igitur sensus est hujus loci quem ex Josepho citat Eusebius. Sciebat Agrippa hanc festivitatem institutam fuisse pro salute Cæsaris ab avo suo Herode, qui primus quinquennale Cæsareorum certamen apud Cæsaream urbem in honorem Augusti instituerat, et Olympiade 192. eos ludos primum ediderat, ut refert Josephus. Ad horum itaque ludorum editionem Agrippa Cæsaream profectus erat anno 4. imp. Claudii, diebus æstivis quibus Olympias 206. inchoari cœpit. VALES.

10, 3. *τῶν κατὰ τὴν ἐπαρχίαν.*] Syriam intelligit, vel ejus partem Phœnicen, quæ provincia dicebatur ad differentiam Judææ, in qua tunc regnabat Agrippa. Certe Lucas diserte testatur, primores tunc adfuisse Tyriorum, quæ urbs caput erat Phœnices. Porro in nostris codicibus Maz. Med. ac Fuketii scriptum inveni ἐπάρχιον, quæ vox alibi etiam occurrit in his libris. Nec illud omittendum est, in optimo codice Mazarino id nomen scribi cum diphthongo ἐπάρχειον. Simplex tamen ι superscriptum est eadem manu. Sed recte scribi cum diphthongo docet derivativa vox ἐπαρχεώτης quæ non semel occurrit in his libris. Neque enim aliunde formari potest ἐπαρχεώτης quam ab ἐπάρχειος. VALES.

10, 4. *ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἄγγελον.*] Josephi verba interpolavit Eusebius malo more. Nam cum Josephus bubonem dixisset supra caput Agrippæ adstitisse, Eusebius e Josephi textu bubonis nomen expunxit. Josephi verba sunt: *τὸν βουβῶνα τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἐπὶ σχοινίου τινός· ἄγγελον τοῦτον εὐθὺς ἐνόησεν κακῶν εἶναι, τὸν καί ποτε τῶν ἀγαθῶν γενόμενον.* Id est: *Bubonem supra caput suum adstantem super extento fune vidit. Statimque intellexit hunc calamitatis nuntium esse, qui antea felicitatis nuntius fuisset:* sub Tiberio scilicet. Tunc enim jussus in vincula duci Agrippa, cum ad arborem quandam inclinatus staret, bubonem viderat capiti superstantem. Quod Germanus quidam hujusmodi auguriorum peritus, magnam felicitatem Agrippæ portendere prædixit, ut refert Josephus. Vides ergo ut sublato bubonis

nomine, sensus omnis hujus loci tollitur. Sed fortasse verebatur Eusebius, ne Josephum et Lucam parum inter se consentire lectores judicarent, si quem Lucas angelum dixerat, Josephus bubonem dicere videretur. Quasi vero non utrumque fieri potuerit, ut et bubo supra caput Agrippæ, et ex alia parte angelus eidem appareret. VALES. Vid. *Excurs.* ii. HEIN.

10, 6. *ὡς ἔχοι τοῦ τεθνάναι.*] In vulgatis Josephi editionibus deest articulus, quod magis probo. *Ἔχοι* igitur positum est pro *μέλλοι*[e]: quam locutionem Gallica lingua etiamnum retinet. Quod si articulum retinere malueris, ut in omnibus nostris exemplaribus et apud Nicephorum legitur, tunc scribendum est *ἔχοιτο*, aut certe subaudiendum est *ἀναγκήν*[f]. In tribus nostris codicibus Maz. Med. ac Fuk. scriptum est *ὡς ἔχει*, quod magis probo. VALES.

Ib. *ἐπὶ σάκκον καθεσθεῖσα*] Optime Rufinus hunc locum vertit: *More patrio super cilicia strati, omnipotenti Deo pro regis incolumitate supplicabant.* Reliqui tamen interpretes uno consensu verterunt *saccis induti.* Quod etsi non damno, verbis tamen Josephi nequaquam convenit. Scio moris fuisse non solum apud Judæos, sed etiam apud Assyrios, ut in luctu et in publicis supplicationibus sacco induti, Deo invidiam facerent, quemadmodum legitur in historia Ninivitarum, et apud Josephum in libro xx. Antiquitatum cap. 5. Verum et hic mos fuit supplicantium ut stratis ciliciis et cinere conspersi insiderent. Sic in capite 3. Jonæ, rex Ninivitarum *περιεβάλλετο σάκκον, καὶ ἐκάθισεν ἐπὶ σποδοῦ.* Et in Evangelio Lucæ, cap. x. *Si in Tyro aut Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent.* Hieronymus in epistola ad Marcellam de acceptis munusculis: *sedere aptum est otiosis, in sacco jacere pœnitentibus.* Item in libro ad Paulum de obitu Blæsillæ: *Flentesque hodie Judæi, et nudatis pedibus in cinere volutati, sacco incubant. Ac ne quid desit superstitioni ex ritu vanissimo Pharisæorum, primum ci-*

[e] Hoc fieri nequit. HEIN.

[f] Illo non opus est, hoc fieri non potest. Strothius jam conjecit, *ὡς ἔχοι κ. λ.* dictum esse eodem fere modo, quo *ὡς ἔχει ὑγιείας, ὡς ποδῶν εἶχον* et similia. At in eo lapsus est Stroth., quod *ὡς* sumsit pro *ὅπως*, cum tamen pendeat ex verbis *λόγος διῆλθε* vel *διῆξε*, ut legit cum Josepho Niceph. Steph. Strothius. Imo cum *ἔχοι* jungendum *παντάπασι* et sensus verborum proprie hic, Herodem esse plane in conditione mortis, Herodem esse in summo vitæ discrimine. vid. Markland. ad Lys. p. 665. ed. Reisk. cf. verba ultima cap. 9. *οὕτως εἶχε οἰκονομίας.* HEIN.

bum lentis accipiunt. Et Tertullianus in lib. de Pœnitentia, c. 9. : *de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare*, etc. Eoque referre soleo verba Rufini ex libro ii. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. ubi de Theodosio imp. ita loquitur : *Ante martyrum et apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, et auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat.* Quanquam in manuscripto codice Claromontani collegii legitur *silici prostratus.* Epiphanius in hæresi 59. Novatianorum, cap. 7. *αὐτοὶ ἐὰν ἐνδείξωνται τελείαν τὴν μετάνοιαν, ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ καθεσθέντες.* Tertullianus in libro de Pudicitia : *Pariter de pœnitentiæ officio sedent in sacco, et cinere inhorrescunt.* VALES.

10, 7. *τῆς—ἕβδομον*] vid. quos laudavit Reading. ad h. l. Usser. *Ann.* p. 659. ad a. C. 44. Pagi *Critic.* vol. i. p. 38. ad eund. a. HEIN.

11, 1. *Κατὰ τὸν δηλούμενον χρόνον*] Locus Lucæ exstat in cap. 5. Actuum Apostolorum, ubi Lucas non dicit Theudam Claudii imp. temporibus exstitisse, ut hic affirmat Eusebius. Immo ex Lucæ verbis colligi potest, Theudam illum Augusti Cæsaris principatu turbas in Judæa concitasse. Nam Gamaliel apud Lucam diserte tradit, post tumultum Theudæ exstitisse Judam Galilæum, qui in diebus professionis censualis seditionem commovisset. Atqui censualis hæc professio contigit post exilium Archelai, Quirinio Syriam administrante, sub extrema Augusti tempora. Falsum proinde esse videtur quod hic affirmat Eusebius, Lucam Theudæ motum in Claudii tempora conjecisse. Eusebium tamen nostrum recte sensisse, mox demonstrabimus. VALES.

Ib. *Θευδᾶς*] Cf. quos laudavit Readingus ad h. l., Pearson. *Lection. in Act. Apost.* p. 49. H. Hammondus et Whitbeius in *Annott. ad Act.* v. 36, 37. et Lightfoot. *Opp.* vol. i. p. 766. HEIN.

Ib. *τὴν περὶ τούτου παραθώμεθα τοῦ Ἰωσήπου γραφήν.*] Scaliger in lib. vi. de Emendatione Temporum, Eusebium graviter reprehendit, qui Theudam illum de quo loquitur Lucas, eundem esse putaverit cum altero Theuda cujus meminit Josephus in lib. xx. cap. 2. sub finem, cum tamen Theudas ille cujus a Luca fit mentio, paulo ante Christi mortem in Judæa res novas concitaverit, adeo ut inter hunc Theudam, et inter

illum cujus meminit Josephus, duodecim annorum spatium ut minimum intersit. Nam Josephus Theudæ tumultum post obitum regis Agrippæ commemorat, quo tempore Cuspius Fadus Judæam administrabat. Hæc est Scaligeri sententia. At Casaubonus in Exercitatione ii. cap. 18. in eo quidem consentit cum Scaligero, quod Theudam Lucæ a Theuda Josephi distinguit, sed in hoc dissentit ab eodem Scaligero, quod Theudam illum cujus meminit Lucas, longe antiquiorem facit quam Scaliger. Ejus enim tumultum confert in extrema Herodis regis tempora, et ante ipsum natalem Christi. Idem ante illum sensit Origenes in lib. i. contra Celsum. Et huic opinioni favere videntur verba ipsa Lucæ, qui postquam de Theuda locutus est, hæc addit: *Post hunc surrexit Judas Galilæus in diebus professionis.* Sed facillimum est huic objectioni respondere: nec longius, verum ex ipso Luca prometur responsio. Quippe Lucas seu potius Gamaliel apud Lucam, diserte testatur Theudam nuper admodum, et his ipsis quibus hæc loquebatur diebus exstitisse. *Ante hos enim dies exstitit Theudas*, etc. πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς. Quæ verba rem nuper ac novissime factam demonstrant. Sic enim loqui solent tam Græci quam Latini de re adhuc recenti, ut plurimis exemplis probari potest. *Ante hos* igitur *dies*, idem valet ac: *his diebus:* ut ante diem tertium Calendarum Latini et Græci dicunt pro eo quod est die 3. Calendarum. Quare cum subjicit Lucas hæc verba: *Post hunc exstitit Judas,* his verbis nihil aliud significatur, quam Theuda vetustiorem fuisse Judam Galilæum. Quæ quidem expositio licet prima fronte durior videatur, tamen prorsus necessaria est, ac verissima: nec exemplis destituitur. Nam quoties ab ultimo, utpote nobis propiore, numerare instituimus, tunc ex ultimo primus, et ex primo ultimus fiat necesse est. Quam ob causam *retro fuisse* dixit Tertullianus in Apologetico, pro *olim et antea fuisse:* et *retrosiorem* usurpat pro antiquiore. Et tamen *retro* idem est Latinis quod *post.* Sed quoniam Casaubonus negat Græcos unquam ita locutos fuisse, producendus est testis omni exceptione major. Is est Clemens Alexandrinus, qui in lib. vii. Stromatei sub finem[g], eodem

[g] p. 898. sq. ed. Potter. HEIN.

prorsus modo locutus est quo Lucas. Postquam enim observavit hæreticos fere omnes circa tempora imp. Hadriani erupisse, et usque ad principatum Antonini Pii pervenisse: ut Basilidem et Valentinum, hæc subjungit: *Nam Marcion iisdem quidem temporibus vixit quibus Basilides et Valentinus. Verum tanquam senior cum illis adhuc junioribus est versatus.* Addit deinde μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσεν: *Post quem Simon prædicantem Petrum audivit aliquandiu.* Quis non videt in hoc Clementis loco *post hunc* idem valere atque *ante hunc.* Neque enim Simon magus posterior fuit Marcione. Imo diu ante Marcionem vixit, ut inter omnes constat. Sed nimirum Clemens cum a propinquioribus incipiens, hæreticorum indicem texeret, primos numeravit qui erant ultimi; et postremum omnium posuit Simonem, qui revera erat omnium primus[h]. Eodem quoque modo locutus est Symeon Metaphrastes in actis passionis Petri Alexandrini episcopi: ubi Petrus in carcere positus Achillam et Alexandrum presbyteros ita affatur: παρακαλῶ γρηγορεῖν ὑμᾶς καὶ προσεύχεσθαι, μεμνημένους πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ τῶν κινδύνων, ὅσους ὑπομένειν ἠναγκάζετο ὁ ἀναθρεψάμενός με πατήρ μου ὁ ἐπίσκοπος Θεωνᾶς, etc. Et paulo post: μεμνῆσθαι δὲ καλὸν καὶ τοῦ μεγάλου Διονυσίου, ὃς τῇδε κἀκεῖσε περιϊὼν, Σαβελλίου μάλιστα ἐπιθεμένου, καὶ πολλὰ τοῦτον λυποῦντος, οὕτω τὸν πάντα τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον διὰ Χριστὸν στενούμενος διετέλεσε· καὶ μετ' αὐτὸν Ἡρακλᾶς καὶ Δημήτριος, etc. Vides ut Metaphrastes seu potius auctor, ex quo Metaphrastes hæc acta descripsit, Heraclam ac Demetrium episcopos ait fuisse post Dionysium, quos tamen constat prædecessores fuisse Dionysii[i]. Sed et geographiæ scriptores, quoties ter-

[h] *Post hunc* μεθ' ὃν quomodo idem esse possit, quod *ante hunc*, quamvis cum Valesio viderit Moshem. *Dissertt. ad Hist. Eccles. pertt.* vol. ii. p. 118., ego tamen plane non video. Aliorum autem et suam ipsius de vexato illo loco Clementis sententiam retulit idem Moshemius, l. l. p. 115—120. Equidem puto cum Natali Alexandro in *Selectis Capp. Histor. Eccl. sæc.* i. cap. xi. Artic. i. p. 21. memoria lapsum esse Clementem. Cf. Petavii *Animadvers. Epiph.* p. 39. sq. HEIN.

[i] Longe facilius si quid video, Symeon M. cum Eusebio, quam prior Clementis locus cum aliis conciliari potest et ita quidem, ut nullo modo μετὰ *ante* significare credamus. Μετὰ enim non solum de eo dicitur, quod post aliud evenit, sed etiam de eo, quod eodem fere, quo aliud, tempore accidit. Vid. Fischer. *ad Weller.* t. iii. p. 31. cf. Bergler. *ad Alciphr.* p. 255. Dorvill. *ad Charit.* p. 412. Mtth. i. 12. Jam vero Heraclas, Demetrius et Dionysius non tam longo temporis intervallo a se quisque erant remoti, ut non dicere potuerit Symeon μετὰ Διονύσιον i. e. tempore

rarum situm et populorum nomina describunt, eodem loquuntur modo. Dicunt enim μετὰ τούτους εἰσὶν ἐκεῖνοι. Quod idem valet ac *supra hos siti sunt isti*. Et hæc quidem adversus opinionem Casauboni, qui Theudam illum cujus in Actibus fit mentio, Juda antiquiorem esse existimavit. Sed dicet fortasse quispiam, ex iis quæ a nobis disputata sunt, abunde demonstratum videri, Theudam non fuisse antiquiorem Juda Galilæo: nihilo tamen minus Theudam illum cujus meminit Lucas, distinguendum esse ab eo Theuda cujus meminit Josephus. Prior enim Theudas de quo loquitur Gamaliel in oratione illa quam habuit in concilio Judæorum, circa tempus passionis Christi tumultum in Judæa concitavit, alter vero de quo loquitur Josephus, post mortem Agrippæ regis Fado Judæam administrante seditionem commovit, quarto circiter anno principatus Claudii Augusti. Cum ergo Gamaliel orationem illam habuerit paulo post resurrectionem Christi, et ante martyrium b. Stephani, id est circa extrema Tiberii tempora, de motu illo Theudæ qui regnante Claudio factus est, tunc omnino loqui non potuit. Huic objectioni aliter occurrere non possumus, nisi Josephum halucinatum esse dicamus, qui Theudæ tumultum tardius quam debebat retulerit. Duos enim Theudas fuisse, qui se prophetas esse mentiti, alter post alterum Judæos ad spem rerum novarum concitaverint, nunquam adduci possum ut credam. Conferantur Lucæ ac Josephi loca, in quibus uterque illorum de Theuda locutus est: et unum eundemque Theudam ab illis esse memoratum manifestissime deprehendemus. Certe in utriusque narratione, cuncta ad amussim ita conveniunt ut Josephus Lucam interpretatus esse videatur. Unum discrimen est in tempore: quod tamen tanti momenti non est, ut idcirco duos Theudas comminisci debeamus. Nam quotiescumque hujusmodi narrationis discrepantia apud veteres scriptores occurrit, si ob hanc causam statim negotia ac personas distinguere necesse est, cavendum nobis erit, ne ex uno eodemque homine duos inconsulte faciamus. Quanto satius est, ubi duos scriptores inter se dissentire viderimus, alterum illorum falli affirmare.

Dionysii fuisse Heraclam et Demetrium. vid. Euseb. H. E. vi. 26. 35. Similiter Heraclam ponit ante Demetrium, qui tamen illo secundum Eusebium l. i. erat prior. At alia est ratio loci illius Clementis Alexandrini. HEIN.

Quod cum de sacris literis nefas sit dicere, in Josephum culpa omnis conferenda est [k]. Alia quoque conciliandi ratio excogitari potest, si dicamus Lucam in eo loco κατὰ πρόληψιν locutum esse. Quæ quidem figura occurrit interdum apud antiquos scriptores: exempli causa apud Virgilium cum dicit:

. . . . *portusque require Velinos.*

Atque cum hæc dicerentur Æneæ, nondum condita erat Velia. Sic ergo Lucas tumultum Theudæ toto decennio anticipavit, Gamalielis orationi narrationem illam quasi ex sua persona interserens, eo quod præsenti argumento aptissime congruebat. Certe Eusebius noster locum Lucæ ita interpretatus videtur, ut ex hoc capite apparet. VALES. Strothius *Deutsche Uebersetzung*, t. i. p. 94. hoc affert: *It is my belief that the Theudas of Josephus and Luke is one and the same person, and moreover that Gamaliel did not make this speech till after the insurrection of Theudas, and consequently after the death of Agrippa, and that if Luke had wished to place it in its right position with respect to time, he ought to have placed it at the end of the* 12*th chapter; but he intentionally departed from the order of events, and wished to bring into the same place the former proceedings against the Apostles before the Sanhedrim at Jerusalem, hence he has connected with them the speech of Gamaliel on the latter occasion.* HEIN.

Ib. κατὰ λέξιν] Cf. Joseph. Antiqq. xx. 2. HEIN.

12, 1. Ἐπὶ τούτοις γε] Locus Josephi est in lib. xx. Antiquitatum cap. 3. Ubi postquam dixit Cuspio Fado procuratori Judææ successisse Tiberium Alexandrum, statim subjungit ἐπὶ τούτοις γε καὶ τὸν μέγαν λιμὸν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν συνέβη γενέσθαι, id est: *horum procuratorum temporibus*, ut recte interpretatus est Gelenius. Quibus verbis aperte indicat Josephus, famem illam pluribus annis durasse, quippe quæ sub duobus illis procuratoribus sævierit. Missus porro est in Judæam Fadus post obitum Agrippæ regis, id est anno quarto Claudii exeunte. Ita fames illa ab Agabo prædicta, anno v. et vi. Claudii contigit. VALES.

[k] Quale hoc sit, Valesius ipse satis ostendit eo quod quamvis ante nullam aliam viam ingredi sibi posse videretur, tamen novum quendam sed pejorem anquirit nodi solvendi modum. cf. interpp. ad locum Act. HEIN.

12, 2. στῆλαι διαφανεῖς] Tres erant pyramides tertio ab urbe Hierosolymitana stadio, in quibus condita erant ossa Helenæ Adiabenorum reginæ, ut scribit Josephus in lib. xx. cap. 2.[1] Idem in libro 6. de Bello Judaico Ἑλένης μνημεῖα bis appellat, quas hoc loco στήλας vocat Eusebius. Rufinus *sepulchrum* vertit non male. *Mausoleum Helenæ* vocat Hieronymus in Oratione de obitu Paulæ: idque adhuc sua ætate stetisse testatur. Porro hoc Helenæ sepulchrum mirabili opere fabricatum fuisse testatur Pausanias in Arcadicis. Cum enim plura sepulchra memoratu digna a se visa esse affirmet, duo tamen præ ceteris admiratur: Mausoli scilicet in Caria, et Helenæ in Judæa. Ἑβραίοις δὲ Ἑλένης γυναικὸς ἐπχωρίας τάφος ἐστὶν ἐν πόλει Ἱεροσολύμοις, ἣν ἐς ἔδαφος κατέβαλεν ὁ Ῥωμαίων βασιλεύς. Cetera de miraculo januæ sepulchri illic vide apud Pausaniam. Qui in eo fallitur, quod Helenam patria Judæam fuisse existimavit. Fuit et palatium ejusdem Helenæ Hierosolymis, ut docet Josephus in libro vi. de Bello Judaico, pag. 920. Στῆλαι Joannes Langus qui Nicephorum Latine interpretatus est, *statuas* vertit, pessime omnino. Nam vox στήλη interdum quidem statuam significat, ut apud Suidam et recentiores Græcos sæpius occurrit. Sed ea significatio huic loco convenire non potest, cum nefas fuerit Judæis statuas ullas habere. Eundem errorem admisit Gelenius in interpretatione libri Philonis de Legatione ad Caium. Cum enim Philo de proseuchis Judæorum Alexandriæ quas Græci concremaverant, hæc dixisset: καὶ σιωπῶ τὰς συγκαθαιρεθείσας καὶ συμπρησθείσας τῶν αὐτοκρατόρων τιμὰς ἀσπίδων καὶ στεφάνων ἐπιχρύσων καὶ στηλῶν καὶ ἐπιγραφῶν, Gelenius ita vertit: *Taceo deletos a furentibus eodem incendio honores Romanorum principum, clipeos, coronas statuasque auratas cum suis titulis.* Cum potius ita vertere debuisset: *Clipeos, coronas aureas, columnas cum inscriptionibus.* Sic etiam in hoc Eusebii loco στῆλαι sunt columnæ, seu cippi sepulchrales in quibus humatorum nomina perscribebantur. De his scholiastes Aristophanis in Equitibus et in Avibus. Earum usus etiam apud Romanos. Nam

[1] Non imperasse Helenam, conjugem Monobazi, conjicit Strothius, l. 1. p. 96. not. 8. quem conferas. Adiabena autem dicebatur, quæ postea Osroëne vel Osrhoëne, vel ut Ammiano Marcellino scribitur, Osdroëne, regio Syriæ inter Amamum et Masium montes sita. HEIN.

Dio in lib. 67. de funebri cæna ait: στήλην ταφοειδῆ ἑκάστῳ σφῶν παρέστησε, τό τε ὄνομα αὐτοῦ ἔχουσαν. Idem in lib. 69. de equi Borysthenis sepulchro eandem vocem usurpat. In veteribus glossis στήλη cippus redditur. Cicero in lib. ii. de Legibus *columnas* dixit, ubi agit de sepulchris. Clemens Alexandrinus in lib. v. Stromat. scribit Hipparchum Pythagoreum eo quod arcana magistri evulgasset, e collegio ejectum fuisse, et cippum ei positum fuisse tanquam mortuo, καὶ στήλην ἐπ' αὐτῷ γένεσθαι, οἷα νεκρῷ. VALES. Cf. Vales. ad notas Mossaci in Harpocrat. p. 217. ubi laudat locum ex Æschin. diall. iii. 3. Ἀμαζονὶς στήλη, quem omisit Stephanus in *Thesauro*. Xen. Cyrop. vii. 3, 6. Eodem modo μνήματα dicuntur apud Pausan. i. 36. i. 2. μνῆμα Ἀμαζόνος cf. Theophrast. Charactt. xxi. 2. Meursius *Athen. Att.* ii. 10. HEIN.

Ib. Αἰλίας cf. infra iv. 6. HEIN.

13, 1. Ἤδη διαδεδομένης πίστεως] In codice Maz. Med. ac Savil. legitur διαδιδομένης, quod magis placet. VALES.

13, 2. ἐν τῇ προτέρᾳ πρὸς Ἀντωνῖνον ἀπολογίᾳ] Hic Justini locus non in priore, sed in secunda ejus Apologetico hodie exstat. Verum Eusebius in citandis Justini Apologeticis, alium ordinem secutus est, quam vulgatæ editiones. Primum enim semper vocat eum qui in vulgatis editionibus est secundus, et secundum qui vulgo est primus. Qua de re pluribus infra disputabitur. VALES.

13, 3. ἀπὸ κώμης——Γίττων] Clemens in lib. 2. Recognit. *Simon hic*, inquit, *patre Antonio, matre Rachel natus est: gente Samaræus ex vico Gytthorum, arte magus*, etc. VALES.

Ib. ΣΙΜΩΝΙ ΔΕΩ ΣΑΓΚΤΩ] Jamdudum viri docti observarunt, imperitia Latinæ linguæ lapsum esse Justinum, qui statuam Semoni Sanco positam, Simoni mago sacratam fuisse putaverit, vicinitate nominum deceptus. Certe statua illa quam in insula Tiberina viderat Justinus, non ita dudum effosa est cum ea inscriptione quam dixi, SEMONI SANGO DEO FIDIO. Sancus deus erat apud Sabinos qui pactis et fœderibus præerat, a sanciendo dictus. Unde etiam deus Fidius vocabatur, a fide. Quin etiam per eum jurare soliti erant Romani. Fefellerunt Justinum Samaritani quidam, qui statuam illam Simoni Samaritano positam fuisse ei persuaserunt. Quasi vero Romani magum ac præstigiatorem adhuc

viventem consecravissent: aut quasi Romani deum adjecto epitheto sanctum vocaverint. VALES. Proniorem fuisse lapsum Justini M., si statuæ illi, quam ipse vidit, inscriptum esset, *Simoni deo sancto*, bene animadvertit Grabius in notis ad Justini locum, qui exstat Apol. I. edit. Oxon. p. 51. Exaratum quoque fortasse erat Simoni, ut sæpe Mircurius, Camina, Gimina et sexcenta alia, ut recte vidit Salmasius ad Spartianum in Vita Hadriani c. 14. p. 140. ed. Lugd. Accedit, quod Sancum etiam Sanctum interdum appellatum esse monuit Grabius laudato loco ex Ovid. Fast. lib. vi.

Quærebam Nonas Sancto Fidione referrem,
An tibi, Semo pater: hic mihi Sanctus ait.

Frustra autem ab errore liberare Justinum M., quem Irenæus, Tertullianus, alii secuti sunt, conatus est Halloixius prolixa dissertatione in vita ejus, monente Grabio l. 1. Eusebium non posse culpari quod Justino assensus sit, ut a Roma et Simonis temporibus remotior, contendit Danz. *de Euseb.* p. 115. not. 9. qui simul eos, qui scire cupiant, quid pro statua Simoni mago erecta dici possit, adire jubet P. Fr. Fogginium *de Romano D. Petri itinere et episcopatu*, Florent. 1741, 4. p. 247—279. Præterea facile intelligitur sola perversa inscriptionis illius statuæ explicatione quam ipse Justinus propinaverat, factum esse ut vel confingeretur vel amplificaretur narratio de Simone mago Romæ suas malas artes exercente, sed a Petro felici Marte devicto. Cf. Reuterdahl. *de Fontibus Histor. Eccles. Euseb.* pag. 19. "*Bene est notandum in tota hacce historia, quamvis maxime composita appareat, nihil fere occurrere, quod originem vel e narratione Lucæ* (Act. viii.) *vel ex paucis illis Justinianis petitam non redoleat. Laudandus sane est Eusebius, quod cum res horum Apocryphorum* (Pseudo-Clementinorum) *illi non essent incognitæ, tam parce et parum credule eas operi suo intexuerit.*" HEIN.

13, 4. Ἑλένην τινά] Rufinus Selenem vocat. Atque ita Clemens in lib. 2. Recognitionum, ubi multa de hac Selene seu luna refert, satis recondita. VALES.

Ib. κατ' ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ non dixisse quenquam ex probis scriptoribus Græcis censet Phrynichus, ad quem vid. Lobeck. p. 276. qui recentiores sæpissime ita loqui articulo τοῦ vel

omisso vel addito, exemplis satis multis docuit. cf. Eusebius H. E. i. 6. εἰς ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ. quem ipsum locum cum hoc laudavit Lobeckius. Alii loci sunt ii. 1. p. 95. ii. 14. 17. κατ' ἐκεῖνο καιροῦ, etc. Præterea cf. Index verbor. s. v. κατά. Duker. *Præf. ad Thucyd.* p. xxv. Schäfer. *ad Gregor.* p. 775. HEIN.

Ib. ἐπὶ τέγους σταθεῖσαν] Nescio quo casu in editionem Rob. Stephani error irrepserat, ut pro τέγους scriberetur τέλους. Quo scripturæ vitio deceptus Musculus, vir mediocris ingenii, hunc locum ita vertit: *Quæ primum in telonio steterat.* Christophorsonus quoque ad eundem lapidem impegit. Sic enim interpretatus est: *Quæ antea apud Tyrum Phœniciæ meretricio quæstui seipsam prostituisset.* Quasi ἐπὶ τέγους idem esset ac ἐπὶ μισθῷ. Atqui τέγος Græcis est πορνεῖον. Clemens Alexandrinus in lib. 3. Stromateon: Εἶεν δ' ἂν ἐν ταῖς μείζοσι παρ' αὐτοῖς ἐλπίσιν, αἱ προεστῶσαι τοῦ τέγους πόρναι, ἀναίδην εἰσδεχόμεναι τοὺς βουλομένους ἅπαντας. Chrysostomus in oratione de sancto Babyla contra gentiles, τὰς ἀπὸ τοῦ τέγους γυναῖκας vocat meretrices. VALES. Similiter οἴκημα dicitur lupanar apud Xenoph. Mem. ii. 2, 4. Ælian V. H. vi. 1. Achill. Tat. viii. 9. p. 680. cf. lxx. ad Ezech. xvi. 24. qui plenius scribunt οἴκημα πορνικόν. cf. Dorville *ad Charit.* p. 587. HEIN.

Ib. παρὸν—διαγνῶναι] Satis patet vel ex his verbis, soli Eusebio tribuendum esse, quod in ejus opere *accuratiores* et *ad singula quævis pertinentes notitiæ de hæreticis* haud inveniuntur, neque satis vere Kestner. *de Eus. Auct.* p. 2. *Fata quidem*, inquit, *quæ ecclesiæ per tria secula contigerunt accideruntque ab Euseb. nobis tradita esse neminem adhuc fugiebat. Neque etiam historiam dogmatum nostrum simul conscribere voluisse, ulli latuisse arbitrer.* Cf Reuterdahlium l. 1. p. 69: *Inter omnia historiæ Ecclesiasticæ capita nullum tam mancum et imperfectum apud Eusebium invenitur, quam id, quod hæreses complectitur. Hæc vero tenuitas tempori magis quam auctori tribuatur.* ibid. p. 70. HEIN.

13, 5. ἀρχηγὸν] vid. Moshemii *Dissertatio de uno Simone Mago* in *Ejus Dissertt. ad Historiam Ecclesiast. pertinentt.* t. ii. p. 69, 70. cf. Reuterdahl. *de Fontt.* p. 70. sq. HEIN.

Ib. φιλοσοφίαν sæpius vocari constat religionem Christianam a patribus. Vide Suicer. *Thes.* t. ii. p. 1440. ii. p. 1441. 2. Opponitur φιλοσοφία νόμου s. theologia Judaica apud Clement.

Alex. Strom. i. p. 295. vi. p. 645. ed. Potter. cf. Joseph. Antiqq. xviii. 3. 1. Coloss. ii. 8. HEIN.

14, 1. Τοῖς αὐτῆς συναιρομένῃ διακόνοις] Nicephorus hanc scripturam confirmat. Habet enim τοῖς ἐκείνης διακόνοις. VALES. Αὐτῆς scripsi cum Stroth. Ipse Val. vertit *ministris suis*. HEIN.

14, 3. τῆς ἐφεδρευούσης] Male hunc locum cepit Rufinus. Sic enim vertit: *Is urbem Romam ingressus, utens adminiculo adsistentis sibi et adhærentis dæmoniacæ virtutis, quam paredrum vocant.* Verum Eusebius loquitur de dæmone, qui in urbe Roma quasi in capite totius mundi, sedem ac domicilium posuerat. VALES.

Ib. τὴν πολυτίμητον ἐμπορείαν] Recte ad hæc verba observat Strothius *Deutsche Uebersetzung* t. i. p. 102. *A strange transition from one metaphor to another: in general, if we divest this chapter of its useless rhetorical flourishes, the whole matter of fact contained in it may be expressed in four words: Peter came to Rome.* Cogitandum tamen est, quod Eusebius ipse i. 1. professus est, se prima Historiæ Ecclesiasticæ fundamenta jecisse, neque fidem historicam Eusebii eo minui. Cf. Vales. ad iv. 6. Recte autem Möller. *de Fide Eus* p. 31. "*Stylus*, inquit, *ejus* (Eusebii) *rudis plerumque ac durior et, judice Photio* (*Bibl. cod.* 13), *neque jucundus neque perspicuus: haud raro, cum sublimia sectatur*, *turget*, *cum quotidiana persequitur*, *humi repit*, *ut appareat eum——ad seriorum aliquot nescio quorum Alexandrinorum doctum quidem sed vagum et inconcinnum scribendi genus se composuisse*." Et ante Möllerum Strothius l. 1. t. ii. præfat. p. vi. *The style of Eusebius which even in his Church-History is not worth much, is yet much worse in the last-mentioned books* (Life of Constantine.) *The affectation of our author in these books reminds one of that of an old man who attempts to imitate the lightness of youth. He often appears to be exerting his whole power in forcing himself upwards, and elevating his style, but we plainly see that the attempt is unnatural——Hence so many strange metaphors, and extraordinary expressions.* HEIN.

15, 1. Σὺν καὶ τῷ ἀνδρὶ καταλέλυτο] Ex his Eusebii verbis perspicue colligitur, Simonis magi interitum Romæ contigisse principatu Claudii Augusti. Nam Eusebius scribit Petrum regnante Claudio Romam venisse, statimque Simonis magicas

artes Petri adventu discussas, et cum auctore ipso destructas fuisse. Eusebium secutus Symeon Metaphrastes, Simonis interitum Claudii temporibus accidisse, scribit. At Baronius in annalibus, et Sigonius in librum secundum Historiæ sacræ Sulpicii Severi, id Neronis temporibus accidisse contendunt: cujus rei auctores habent Severum, Augustinum, Philastrium et Maximum Taurinensem. Ego vero Eusebii sententiam veriorem puto. Cum enim constet ex Justino et Irenæo, Simonem sub Claudio Romam venisse et fraudulenta edidisse miracula; cumque etiam constet, Petrum ejusdem Claudii temporibus Romam se contulisse ad Simonis fraudes confutandas, verisimile non est Simonem tam diu præsente atque adstante Petro insultasse fidei Christianæ. Sed qui Simonis exitium in Neronis conferunt tempora, id fecisse videntur, ut triumphi de Simone acti particeps esset Paulus. Norant enim Paulum apostolum Nerone demum regnante venisse Romam. Itaque ut certamini illi Petri cum Simone interesset, certamen illud in Neronis tempora contulerunt. Porro de certamine illo et de Simonis volatu, nullum hic verbum dixit Eusebius. Silent etiam Irenæus et Justinus. Certe Icarius ille Simonis interitus, quomodo consentire possit cum statua illa Simonis Sancti dei, equidem non video. VALES.

Ib. Τῆς διὰ λόγου παρ.] Non hoc dicit Eusebius, Marcum voluisse Romanis tradere *nihil aliud* nisi quod Petrus antea cum iis communicaverat, sed hoc tantum, voluisse Romanos, ut Marcus doctrinam Christianam, quam Petrus jam docuerat, scriptis mandaret. Cf. Euseb. iii. 39. v. 8. vi. 14. Epiphan. in Hæresi Alogorum p. 428. ed. Petav. *εὐθὺς δὲ μετὰ τὸν Ματθαῖον ἀκόλουθος γενόμενος ὁ Μάρκος τῷ ἁγίῳ Πέτρῳ ἐν Ῥώμῃ, ἐπιτρέπεται τὸ εὐαγγέλιον ἐκθέσθαι*, ad quem locum cf. Petavii *Animadvv.* p. 88. Temere autem Marcum ex Petri sermonibus simul hausisse negat Storr. *über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe des Johannes* p. 250. ed. ii., cautius hac de re legendus. cf. ibid. p. 252. Neque prorsus fabulosas esse patrum de Marci evangelii origine narrationes et nihil plane debere Petro Marcum in Evangelii sui compositione mihi probavit Eichorn. *Einleitung in das N. T.* tom. i. p. 595. sqq. ed. ii. cf. t. iii. p. 617. sq. vid. Hug. *Einleitung ins Neue Testam.* t. ii. p. 61. sq. p. 111. 112. 116. sqq. p. 162. sq. HEIN.

15, 2. Κλήμης ἐν ἕκτῳ τῶν ὑποτυπώσεων] Locus Clementis quem hic designat Eusebius, refertur ab Eusebio in libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ capite decimo quarto, ad quem locum Deo juvante, plura dicturi sumus. VALES. Post Κλήμης Stroth. cum Cph. μὲν addidit. Cæterum Storr. l. 1. p. 253. hæc attulit: *When Eusebius at the end of this account appeals to Clemens Al. he cannot mean that he has his authority for all the circumstances which he has related. It is sufficient that he affirmed, that Mark committed to writing the sermons of Peter at the request of the Romans. In the same way he appeals to Papias, who never once mentions Rome, but only states the fact, that Mark had been the companion of Peter, and derived his Gospel from the preaching of that Apostle.* (B. 3. K. 39.) HEIN.

Ib. τοῦ δὲ Μάρκου μνημονεύειν] Hæc verba sic accepit Rufinus, quasi id a Papia relatum fuisset. Sic enim vertit: *Cuique simile dat testimonium etiam Hierapolites episcopus Papias: qui et hoc dicit, quod Petrus in prima epistola sua Marci meminerit.* Eundem sensum in interpretatione sua secutus est Musculus. Nos vero hæc verba a præcedentibus omnino sejunximus; quod etiam Hieronymus ac Nic. ante nos fecisse deprehenditur. VALES.

Ib. τὴν πόλιν τροπικώτερον Βαβυλῶνα] Romam [m] Petrus figurate Babylonem vocavit, vel ob magnitudinem ac potentiam, vel propter impietatem, eo quod dæmonum cultui dedita tunc esset Roma perinde ac olim Babylon. Potest etiam alia ratio hujus cognominis afferri, quod scilicet ut Babylonii Judæos in servitutem redegerant, sic Romani tunc Judæos ditioni suæ subjecissent. Sunt qui in dicta Petri Epistola, Babylonis nomine non Romam sed Babylonem ipsam quæ caput fuit Assyriorum, designari contendant. Verum hi omnium veterum patrum testimonio refelluntur. Certe qui Petrum Babylone sedisse volunt, ostendant nobis oportet successionem episcoporum, qui Babylonis ecclesiam post Petrum administrarunt. Proferant igitur fastos ecclesiæ illius, sicut nos successiones episcoporum urbis Romæ qui post Petrum apostolum Romanæ ecclesiæ præfuerunt, ex Irenæo aliisque proferimus. Quæ, malum, impudentiæ est, id quidem quod nemo veterum dixit, temere affirmare; Petrum

[m] 1 Pet. v. 13. HEIN.

scilicet sedem fixisse Babylone: id vero quod veteres omnes ecclesiastici scriptores disertissime prodiderunt, adventum videlicet Petri in urbem Romam, pertinaciter negare. Atqui nihil in tota historia ecclesiastica illustrius, nihil certius atque testatius, quam adventus Petri apostoli in urbem Romam. Nam præter Papiam et Clementem Alexandrinum quorum testimonia hic profert Eusebius, idem scribit Dionysius Corinthiorum episcopus in Epistola ad Soterem episcopum urbis Romæ[n], Irenæus, Caius presbyter in disputatione adversus Proclum, Origenes in tom. iii. explanationum in Genesim. Quorum omnium loca, id quod dixi affirmantium, sparsim in hoc opere citata reperiet diligens lector. VALES. Satis quæ falsa tradit h. l. Valesius, refutat ipse Suicerus *Thes.* t. i. p. 614., recte quæ vera dicit de Petri in urbem Romam adventu præeunte Eusebio, qui cap. xiv. ex vulgata traditione illum retulerat, et de quo ipsi Protestantium theologi dubitarunt, confirmavit jam Pearsonus in *Tractatu de successione primorum Romæ Episcoporum* cap. vii. p. 32. cf. Pagi *Crit.* vol. i. p. 37. Cave *Hist. litt.* vol. i. p. 4. Recte quoque secuti sunt Schröckh. *Christliche Kirchengeschichte* t. ii. p. 155. Reuterdahl. *de Fontibus Histor. Eccles. Eus.* p. 18. "*Per se constat, posita etiam hac commoratione Petri Romana, non ideo poni episcopatum ejus per XXV. annos Romæ gestum, aliaque plura.*" HEIN.

16, 1. Μάρκον ἐπὶ τῆς Αἰγύπτου στειλάμενον] Quo anno Marcus in Ægyptum profectus sit ad prædicandum evangelium, non satis constat inter antiquos scriptores. Auctor Chronici Alexandrini id refert anno 3. Caii Caligulæ. Georgius quoque Syncellus in eadem est sententia. Eusebius autem in Chronico, Marci profectionem confert in annum secundum imp. Claudii. Sed si verum est id, quod Clemens et Papias retulerunt, Marcum una cum Petro venisse Romam, ibique rogatum a Romanis evangelium conscripsisse; priusquam de tempore profectionis Marci in Ægyptum dicamus inquirendum est, quo anno Petrus in urbem Romam advenerit. Eusebius quidem in Chronico, Petri in urbem Romam adventum refert anno secundo Claudii Augusti, quam sententiam secutus est

n Cf. Euseb. H. E. ii. 25. Clemens Rom. ep. 1. ad Cor. c. 5. Justin. M. Apol. 11. p. 69. ed. Paris. HEIN.

Baronius et Petavius, aliique plures. Sed hæc sententia refelli videtur ex Actibus Apostolorum, ex quibus constat Petrum in Judæa ac Syria semper mansisse usque ad ultimum annum Agrippæ regis. Qui cum Hierosolymis Petrum in vincula conjecisset, paulo post, divina eum insequente justitia, extinctus est Cæsareæ, ut refert Lucas. Cum igitur anno quarto Claudii mortuus sit Agrippa, ut inter omnes convenit, Petrus ante hunc annum Romam proficisci non potuit. Hanc opinionem valde confirmat Apollonius vetus scriptor, qui adversus Montani hæresim luculentis voluminibus decertavit. Is scribit se ex traditione majorum ita accepisse, apostolos post duodecimum ab ascensione Domini annum a se invicem discessisse, cum Christus ita ipsis præcepisset. Verba Apollonii habentur Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii nostri lib. v. cap. 18. Idem refert Beda in cap. 13. Actuum Apostolorum. Sed auctor Chronici Alexandrini adventum Petri in urbem Romam adhuc tardius refert. Scribit enim Paulum venisse Hierosolyma ob controversiam de circumcisione anno sexto Claudii, eoque anno celebratum esse concilium Hierosolymitanum, apostolis nondum a se invicem disjunctis. Itaque ex ejus sententia, Petrus non ante annum 7. Claudii Romam profectus est. Sed dolendum est, quod in eo Chronico viginti circiter annorum lacuna est. Ita Marcus anno Claudii nono Alexandriam profectus fuerit: quæ est sententia Eutychii patriarchæ Alexandrini. VALES.

Ib. *δι' ἀσκήσεως φιλοσοφωτάτης* quid sit, significat apertius h. l. adjectum *σφοδροτάτης*. Ut enim *φιλοσοφία* de studio vitæ honestæ et castæ dicitur, ita *φιλόσοφος* h. l. est durus, severus. Vid. Suicer. *Thes.* t. ii. p. 1443. iii. Cf. Matthæi *Chrysostomi Homill.* vol. i. p. 4. not. 8. HEIN.

17, 1. *Εἰς ὁμιλίαν ἐλθεῖν*] Philonem adeo Christianam religionem suscepisse, sed mox ab eadem descivisse fabulatur Phot. cod. 105. HEIN.

Ib. *τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν*] Musculus et Christophorsonus monachos his verbis significari existimarunt: a quibus magnopere dissentio. *Ἀσκητὰς* enim priscis illis temporibus vocabant eos, qui inter Christianos strictius quoddam ac durius vitæ genus profitebantur. Quam vocem a philosophis mutuati erant, qui exercitationem virtutis atque abstinentiæ *ἄσκησιν*

vocabant. Est apud Arrianum in lib. iii. dissertationum caput περὶ ἀσκήσεως. Sic apud Artemidorum in lib. iv. cap. 35. Alexander quidam philosophus ἀσκητὴς vocatur. Et Philo in illud: Excitatus est Noe, pag. 280, ἀσκητὴν pietatis exercitiis deditum vocat. Recte igitur Rufinus hæc Eusebii verba, tam de clericis quam de monachis interpretatus est: *Sed et abstinentium vitas, eorum duntaxat, qui nunc in ecclesiis vel monasteriis degunt, describit ad liquidum.* Hæc si animadvertisset Scaliger, non tam facile reprehendisset Eusebium. Neque enim Eusebius monachos a Marco institutos esse dicit Alexandriæ, sed ascetas. Hi autem multum distant a monachis, ut genus distat a specie. Et ascetæ quidem in ecclesia fuerunt semper. Monachorum vero nomen et institutum serius cœpit. Scio Cassianum in lib. ii. Institutionum capite 5. Sozomenum et alios, hunc Eusebii locum de monachis accepisse, verum hi ab Eusebii mente, meo quidem judicio, longe aberrarunt. VALES. Cf. Suicer. *Thes.* t. i. p. 547. I. HEIN.

17, 2. περὶ βίου θεωρητικοῦ] Exstat hodieque hic Philonis liber; in quo disserit Philo de vita quorundam philosophorum, qui relictis civitatibus in agro et solitudine degentes, orationibus et contemplationi vacabant, quos θεραπευτὰς dictos fuisse ait, et mulieres θεραπευτρίας. Hos Eusebius noster vult fuisse Christianos, qui ex Hebræis conversi ab evangelista Marco, strictiorem quandam vivendi disciplinam fuerant amplexi. At Scaliger in lib. vi. de Emendatione Temporum, Essenos illos fuisse contendit, et Eusebium graviter reprehendit, qui Christianos illos fuisse affirmaverit. Duo enim genera Essenorum fuisse scribit Scaliger; et alios quidem fuisse πρακτικοὺς, de quibus in priore libro disserit Philo: alios θεωρητικούς. Ego vero in hoc quidem libenter assentior Scaligero, quod θεραπευτὰς illos negat Christianos unquam fuisse. Idque paulo post pluribus argumentis demonstrabimus[o]. Sed

[o] Constat hoc quamvis contra diceret ipse Phot. cod. 104., tamen satis diu a permultis V V. D D. et ipso Montefalconio temere esse creditum. Vid. (Bouhier) et Mangey *Lettres pour et contre sur la fameuse question, si les solitaires, appellez Thérapeutes, dont a parlé Philon le Juif, étoient Chrétiens*, Paris, 1712. 12. Mangey *Præf. ad Philonem*, Lüderwald. in *Magazin für Relig. Exeg. und Kirchengeschichte* t. iv. p. 371. cf. Moshem. *Commentt. de rebus Christ. a. C. M.* p. 54. sqq. Hankius *de scriptor. Rom.* ii. 1, 8. n. 65. Fabric *Bibl. Gr.* vol. iv. p. 738. sq. Cave *Hist. Litt.* p. 23. et in vita d. Marci, Danz. *de Eusebio* p. 113. sq. et Kestner. p. 80. Cæterum adscribi merentur verba Moshemii *de vera natura communionis bonorum* in *Dissertt. ad*

quod idem Scaliger dicit, illos Philonis θεραπευτὰς Essenos fuisse, id mihi persuadere non possum. Nam primum quidem Philo in toto illo libro de vita contemplativa, nusquam illos Essenos nominat. Immo statim in ipso libri exordio, θεραπευτὰς ait nuncupatos fuisse, et mulieres ejusdem instituti θεραπευτρίδας. Deinde Esseni quidem in Judæa tantum erant ac Palæstina, ut diserte scribit Philo, tum in libro quod omnis probus sit liber, tum in Apologia pro Judæis quam citat Eusebius in libro 8. de Præparatione. Therapeutæ vero per omnem Græciam ac barbariam diffusi erant. Sed præcipue in Ægypto circa Mareotem degebant, ut ait Philo; qui Mareoticam eorum patriam et quasi metropolim fuisse testatur, quo præstantissimus quisque Therapeutarum commigrabat. Denique Josephus diligentissimus alioqui scriptor, cum de Essenorum secta duobus in locis ex professo disseruerit, tamen de illis θεωρητικοῖς Essenis ne verbum quidem dixit. Mitto quod Therapeutis illis multa attribuit Philo, quæ ab Essenorum secta longe abhorrent. Cujusmodi illud est quod de mulieribus Therapeuticis dicit; cum tamen Philo diserte testetur Essenos muliebrem sexum aversari. Jam illud quod ait Philo, Therapeutas patrimonium suum propinquis et amicis sponte relinquere, an non manifeste pugnat cum eo, quod Josephus affirmat, Essenos scilicet nihil propinquis suis donare, sed omnia in commune conferre? Fefellit Scaligerum Philonis locus, qui librum suum de vita contemplativa sic exorditur: Ἐσσαίων πέρι διαλεχθεὶς οἳ τὸν πρακτικὸν ἐζήλωσαν καὶ διεπόνησαν βίον, ἐν ἅπασιν, ἢ τὸ γοῦν εὐφορητότερον εἰπεῖν, τοῖς πλείστοις μέρεσι διενεγκόντες, αὐτίκα καὶ περὶ τῶν θεωρίαν ἀσπασαμένων λέξω. Scilicet Scaliger Ἐσσαίων subaudiri existimavit. Sed nihil necesse est. At, inquies, quinam igitur fuerunt Therapeutæ? Judaicæ quidem religionis cultores illos fuisse non diffiteor, maxime cum Philo nihil præter legem ac prophetas eos lectitasse dicat. Sed Essenos illos non fuisse, ex

Hist. Eccles. pertt. vol. ii. p. 51. "*Hoc viris doctis deliberandum relinquo, utrum ista Eusebii et aliorum de Therapeutis sententia immensum illum amorem erga vitam solitariam et incredibile illud studium collegia Monachorum condendi—pepererit, an vero magna de sanctitate Monachorum opinio, quæ mirifice hoc seculo* (quarto) *crevit, illam de religione Therapeutarum sententiam genuerit.*" Equidem hoc verius esse putaverim, certe *peperisse* non potest dici illa opinio incredibile illud vitæ monasticæ studium, ex multis aliis et gravioribus causis natum, adjuvisse potest. HEIN.

iis quæ dixi satis, ut opinor, liquet. Idem nobiscum sentit Photius in Bibliotheca cap. 103. ἀνεγνώσθησαν δὲ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις φιλοσοφησάντων τήν τε θεωρητικὴν καὶ τὴν πρακτικὴν φιλοσοφίαν βίοι: ὧν οἱ μὲν Ἐσσηνοὶ, οἱ δὲ θεραπευταὶ ἐκαλοῦντο. VALES.

17, 5. ὡς—αὐτοῖς cf. Act. ii. 45. iv. 34. Moshem. *Commentatio de vera natura communionis bonorum in ecclesia Hierosolymitana* in *Ejus Dissertt. ad Histor. Eccles. pertt.* vol. ii. p. 14. sqq. cf. p. 23. sqq. *Commentt. de rebus Christ. a. C. M.* p. 142. sq. ubi opportune V. D. monuit, illam primorum Christianorum erga suos liberalitatem et beneficentiam sapientissimis legibus circumscriptam fuisse, et pauperes nonnisi eos dictos esse et habitos, qui vere Christiani, neque sua sibi industria victum comparare neque a necessariis et cognatis opem sperare poterant. Vid. 2. Thess. iii. 6—12. 1. Tim. v. 3. 16. Eusebius tamen, ut vel ex oratione contexta apparere videtur, proclivior erat ad vulgarem de natura communionis bonorum sententiam. Accedit, quod ille a similibus opinionum erroribus non plane liber erat (cf. vii. 12.), nominatim cœlibatum faciens maximi (vid. Vit. Const. iv. 26. Möller. p. 64, 65.) et in ea, quam de Therapeutis cum aliis ætatis suæ doctoribus teneret, opinione veram de communione bonorum sententiam amplecti vix poterat. Vid. Moshemii *Commentatio* l. l. p. 50. sq. *Juvabat eam* (falsam opinionem de bonorum communione in ecclesia Hierosolymitana) *sine dubio haud parum Eusebii, Hieronymi et aliorum, quod hoc tempore invalescebat, de Therapeutis ——judicium. Hi scilicet Christiani fuisse ferebantur illi quos S. Marcus in Ægypto primum collegisset. Atqui hæc secta in arctissima vixerat rerum omnium communione, nec aliter pro status et instituti quod consectabatur conditione vivere potuerat. Ab hac igitur ad primam Christianorum—familiam argumentum ducebatur.——Et si verum hoc foret,——Therapeutas primos ex Ægyptiis Christianos fuisse, ipse ego, difficillime convelli posse hanc argumentationem haud invitus faterer.* HEIN.

17, 6. νομῶν recte vertit Valesius: *præfecturas.* vid. Herod. ii. 166. Male autem νόμων scriptum erat apud Valesium, Readingum atque etiam Strothium. HEIN.

Ib. εἰς πατρίδα ἀποικίαν στέλλονται] Hic improprie loquitur Philo. Nam coloni ex patria potius quam in patriam migrare

dicuntur. Et tamen figura est non inelegans, ἀποικίαν εἰς πατρίδα στέλλεσθαι. Nam Therapeutæ qui relicta patria in Ægyptum ad pagum Mareoticum commigrabant, merito dicuntur in coloniam mitti. Jam vero cum iidem Therapeutæ locum illum pro patria habuerint, recte dicuntur in patriam migrasse, cum illuc proficiscerentur. VALES.

Ib. ἀέρος εὐκρασίας] Totus iste locus et nominatim hæc ipsa verba sunt satis insignia, quippe ex quibus vel hoc pateat, longe facilius potuisse in Ægypto monachos et Therapeutas vitæ quoddam genus ab ipsa natura prorsus abhorrens sequi, quam alibi. Vid. Chrysostom. de Sacerd. vi. 6, 535. ed. Tauchn. ὁ μὲν μόναχος καὶ τῆς σωματικῆς εὐπαθείας προσδεῖται, καὶ τόπων πρὸς τὴν διαγωγὴν ἐπιτηδείων, ἵνα μήτε ἄγαν ἀπῳκισμένοι τῆς τῶν ἀνθρώπων ὦσιν ὁμιλίας,—ἔτι δὲ καὶ τῆς ἀρίστης μὴ ἀμοιρῶσι κράσεως τῶν ὡρῶν· οὐδὲν γὰρ οὕτως ἀφόρητον τῷ κατατρυχομένῳ νηστείαις, ὡς ἡ τῶν ἀέρων ἀνωμαλία. Cf. Käufer. *Versuch einer Beantwortung der Frage; Warum ist gerade Ægypten das Vaterland der anachoretischen Schwärmerei unter den Christen geworden?* in: *Zweite Denkschrift der Histor. Theol. Gesellschaft zu Leipzig* p. 253. cf. p. 229. Illgen. *Werth der christlichen Dogmengeschichte* p. 66. sq. Schröckh. *Christliche Kirchengeschichte* t. i. p. 286. sq. HEIN.

17, 8. ἐν ὑπονοίαις] Antiquiores Græci ὑπονοίας vocabant, quas recentiores ἀλληγορίας dixere, cum scilicet aliud dicitur, aliud intelligitur. Docet id Plutarchus in libro quomodo legendi sint poëtæ: ἔχει δὲ ἀναθεώρησιν ὠφέλιμον ἐπὶ τῶν διαβεβλημένων μάλιστα μύθων· οὓς ταῖς πάλαι μὲν ὑπονοίαις, ἀλληγορίαις δὲ νῦν λεγομέναις παραβιαζόμενοι, etc. Ita certe apud Platonem sumitur ὑπόνοια in lib. ii. de republica sub finem. Et apud Philonem infra. Item apud Origenem in libro iv. contra Celsum p. 202. VALES. Vid. Ruhnken. *ad Timæi Lexic. Platon.* p. 200. HEIN.

Ib. συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἱ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν ἀρχηγέται] Jam supra docuimus, Philonis Therapeutas diversos ab Essenis fuisse. Restat nunc ut probemus, eos non fuisse Christianos, ut sibi aliisque persuasit Eusebius. Undenam vero id probare certius possumus, quam ex hoc Philonis loco quem præ manibus habemus? Ait igitur Philo, habuisse Therapeutas scripta veterum quorumdam suæ sectæ auctorum,

qui legem allegorice exposuissent. Quomodo hæc de Christianis accipi possunt, qui tum novelli erant et nudiustertius nati? Quænam rogo sunt scripta illa, quinam vetusti auctores et principes illius sectæ? Non certe prophetarum libri. Hos enim diserte ab illis separat Philo. Respondebit Eusebius esse forsitan evangelia et epistolas apostolorum; sed hæc vixdum scripta erant Philonis ætate: nedum ut apostoli et evangelistæ pro vetustis auctoribus haberi etiamtum possent, præsertim a Philone, qui et apostolicorum temporum fuit æqualis, et cum Petro familiariter Romæ versatus est, si Eusebio credimus. An non ex his aperte colligitur, Philonem eo in libro de Christianis non loqui [p]? Sunt et alia argumenta, ex quibus idem probari potest. Ut cum dicit Philo Therapeutas bis tantum quotidie preces fecisse, oriente scilicet sole et occidente. Quasi vero primi Christiani non tertia, sexta et nona hora, ut in actibus legitur, et singulis non diei modo, sed et noctis horis deum oraverint! Item quod ait Therapeutas hymnos et cantica vario metrorum genere in honorem Dei composuisse, cadere non potest in primævos illos Christianos. Serius enim novos hymnos contexere cœperunt, post Antoninorum scilicet tempora, cum viri docti sese ad nostram religionem applicuissent. Jam vero quod scribit Philo, Therapeutas per universum prope orbem diffusos fuisse, sed potissimum in Ægypto frequentes fuisse, et Mareoticam præfecturam fuisse illis instar patriæ, in quam præstantissimi quique illorum relictis patriis sedibus migrare soliti essent, quomodo de Christianis dici potest, qui et paucissimi tunc erant, nec patriam sibi ullam esse præter cœlestem Hierusalem existimabant? VALES.

17, 11. *οὐκ* post *διὰ τριῶν ἡμερῶν* delevi cum Strothio tanquam profectum ab eo, qui non intelligeret notissimum usum præpositionis *διὰ*, quo hæc de tempore interjecto usurpatur et apprime convenit nostro: *nach Verlauf*. Exempla ubivis obvia. Xenoph. Cyr. i. 4. v. 5. Mem. ii. 8. 1. Accedit quod *οὐκ* non exstat in edd. Phil. neque apud Steph. Niceph. Ruf. HEIN.

Ib. *ἐνευφραίνονται—ἑστιώμενοι*] Optime his verbis, quorum aliud alio est fortius, exprimit Philo voluptatem, qua perfusi

[p] Conferatur Strothius *Uebersetzung*, t. i. p. 108. not. 1. HEIN.

fuerint Therapeutæ eo ipso, quod omnes voluptates corporis ac delinimenta sensuum potuerint aspernari. Hæc enim est illa eorum *ἐπιστήμη* et *σοφία*, hoc est *φιλοσοφεῖν*, cui opponuntur *σώματος ἀνάγκαι*. Usurpantur igitur illæ voces h. l. eodem modo, quo a patribus eas usurpari vidimus. Ἑστιᾶν autem similiter ut Latinum *pascere* sæpius improprie dicitur de magna voluptate, quam aliquid parat. Chrysost. t. xi. p. 464. F. *τοὺς ὀφθαλμοὺς ἑστιῶν*. Ælian. V. H. iii. 1. *ἑστιᾶν τὰς ἀκοὰς*, suaves parare auribus epulas. cf. Loesner. *Observv. Philonn.* p. 277. Æl. V. H. xiii. 1. *ἑορτὴ ὄψεως* de iis, quæ pascunt oculos, et fortius etiam *ὀφθαλμῶν ἴυγγα* apud Theocrit. Idyll. ii. 17. ubi cf. scholiast. Joseph. b. i. ii. 8. 11. Ælian. V. H. iii. 1. *ὀφθαλμῶν πανήγυρις* Julian. Orat. i. p. 38. ed. Spanhem. Similiter Chrysost. t. xii. p. 340. A. Opp. ed. Montf. *δαψιλεστέραν παραθήσομεν τράπεζαν* de oratione dicit, quam habere volebat, copiosiori et qua magis etiam nutrirentur audientium animi. Cf. Matthæi ad h. l. vol. i. p. 4. not. 6. Locus autem insignior etiam et egregius exstat apud eundem Chrysost. t. xii. p. 357. B. ubi hæc leguntur: *φέρε οὖν, τὴν συνήθη πάλιν τράπεζαν ὑμῖν κατασκευάσωμεν, καὶ τὸν κρατῆρα στήσωμεν, καὶ τὸν ἄκρατον ἐκχέωμεν, συμπόσιον ἐργαζόμενοι πνευματικόν. Τὰ γὰρ δὴ κρέα ταῦτα οὐ διαρρήγνυσι γαστέρα, ἀλλὰ τειχίζει διάνοιαν, ὁ οἶνος οὗτος οὐ παράφρονα ποιεῖ τὸν ἀκροατὴν ἀλλὰ καὶ τὸν μεθύοντα σώφρονα καθίστησι.* Quæ quidem omnes satis splendidæ hujus loci imagines ad solam pertinent orationem liberalissimæ voluptatis effectricem. HEIN.

Ib. *ἐθισθέντες*] Aut hæc vox delenda est[q] aut adjicienda sunt, quæ sequuntur in Philone: *ἐθισθέντες ὥσπερ φασὶ τὸ τῶν τεττίγων γένος ἀέρι τρέφεσθαι.* VALES. Imo hoc apud Philonem pertinere ad ea quæ sequuntur *ὥσπερ——τρέφεσθαι* non accuratius cogitavit Eusebius, ut recte judicat Stroth., qui simul apud Niceph. illud *ἐθισθέντες* legi animadvertit. HEIN.

17, 13. *τυγχάνειν* non addito participio verbi *εἶναι* pro *εἶναι* legitur eodem modo i. 2. *τόν τε ζῶντα καὶ ἐν ἀρχῇ παρὰ τῷ πατρὶ τυγχάνοντα θεὸν λόγον*, ubi, ut omitteretur *ὄντα*, vel illud effecit, quia raro etiam apud veteres legitur participium *τυγχάνων* cum participio alius verbi, v. c. Aristot. Poët. i. 7. *χρω-*

[q] Cum MG. HEIN.

μένη τυγχάνουσα. Contra Joseph. Antiqq. iv. 7. 2. *γηραὸς ἤδη τυγχάνων* et Luc. x. 30. *ἡμιθανῆ τυγχάνοντα*, ubi adjectivum idem effecit quod alias participium. Præterea cf. Euseb. H. E. i. 4. ii. 13. iii. 6. *εἰ πλουσιώτεροι τυγχάνοιεν ὄντες*, iv. 7. vi. 20. extr. vid. Schäfer. *ad Lamb.* Bos. *Ellips.* p. 785. Erfurdt. *ad Soph. Aj.* v. 9. *Electr.* v. 46. Lobeck. *ad Phryn.* p. 277. cf. Porson. *ad Eurip. Hec.* v. 788. Sturz. *Lex. Xenoph.* t. iv. p. 343. 5. Wesseling. *ad Herod.* viii. 102. HEIN.

17, 14. *σῶμα—νοῦν*] De Therapeutarum interpretatione allegorica fortasse nonnihil potest dubitari, de Origenis non potest, qui adeo multa scripturæ sacræ verba sensu et potestate carere sibi persuasit. Præ ceteris vid. Moshem. *Commentt. de rebus Christ. a. C. M.* p. 629—658. cf. p. 633. 638. Origen. Homil. v. in Levit. p. 209. tom. ii. "*Triplicem in scripturis divinis intelligentiæ inveniri sæpe diximus modum, historicum, moralem, et mysticum. Unde et corpus inesse ei et animam ac spiritum ante diximus.*" I. A. Ernesti *Opusc. philoll. et critt.* p. 288. sq. Cf. Schröckh. *Christliche Kirchengeschichte*, t. iv. p. 83, 84. sqq. Euseb. H. E. vi. 19. HEIN.

Ib. *ἐξαίσια κάλλη* i. e. miram quantam et plane incredibilem pulchritudinem. *Ἐξαίσιον* enim dicitur *quodcunque in suo genere est inprimis magnum et prorsus insolitum.* Vid. Æschin. Diall. iii. 17. Xen. Ages. ii. 4. Œcon. v. 18. *κῆπος ἐξαίσιον*, Anton. lib. iii. *ἐξαίσιον χρῆμα χειμῶνος*, ibid. xxii. Aristæn. Epist. i. 22. et ipsum *κάλλος ἐξαίσιον* Zosim. iv. 44. 4. Wesseling. *ad Diodor. Sic.* t. i. p. 50. Pollux iii. 88. Coray *ad Nicol. Dam.* p. 41. ed. Orell. Munker. *ad Anton.* lib. c. 28. p. 122. ed. Teucher. HEIN.

17, 16. *τῆς μεγάλης ἑορτῆς παννυχίδας*] Intelligit totam illam hebdomadem quæ paschales ferias præcedit, quam *μεγάλην ἑβδομάδα* Græci patres appellant. Epiphanius in hæresi Nazaræorum vocat *ἑβδομάδα τῶν πάσχων*, ut et Cyrillus in homiliis paschalibus. Ex quo discimus, hebdomadem illam in Alexandrina ecclesia a secunda duntaxat feria incepisse. Ait autem Epiphanius, Philonem per eos dies venisse ad monasteria Therapeutarum quos ipse Essæos nominat. Verum in Philonis libro nulla fit mentio paschalis solemnitatis. Meminit quidem Philo *τῆς μεγάλης ἑορτῆς*; ubi scribit Therapeutas seorsum vixisse in monasteriis, septimo autem quoque die

in unum convenire solitos, post dies vero septies septenos convivia frugalissima celebrasse cum choreis et canticis in honorem dei compositis. Quippe eos septenarium numerum coluisse: nec solum simplicem hebdomadem in honore habuisse, verum etiam repetitam ac per se multiplicatam, quippe quæ vigilia sit seu *προεόρτιος* magnæ festivitatis, pentecostes videlicet. Hæc sunt Philonis verba, quæ profecto nihil faciunt pro Eusebio. Nam primum quidem Philo hebdomadis nomine, sabbatum intelligit, quod Therapeutæ religiose colebant ex Mosis præcepto, ut tradit Philo. At hoc longe abhorret a Christianorum ritu, qui non sabbata sed dies dominicos celebrabant. Deinde *μεγάλης ἑορτῆς* vocabulo pentecostem designari ipsemet testatur, non autem pascha, ut affirmat Eusebius. Omitto choreas et saltationes Therapeutarum in illis pervigiliis, quæ potius ad Bacchanalium insaniam, quam ad Christianam sobrietatem pertinent; licet Philo utpote gentis suæ philosophis favens, ejusmodi furorem sacrum ac sobrium nominet. VALES.

Ib. *παννυχίδας*] Paulo supra *διαννυκτερεύσεις* pro eodem dixit. *Καὶ τὰς ἐξ ἔθους εἰσέτι καὶ νῦν πρὸς ἡμῶν ἐπιτελουμένας ἀσκήσεις, ἃς διαφερόντως κατὰ τὴν τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτὴν, ἐν ἀσιτίαις καὶ διαννυκτερεύσεσιν, προσοχαῖς τε τῶν θείων λόγων,* etc. Qui locus inprimis notandus est, utpote ex quo antiquitas jejunii paschalis manifestissime ostenditur. Quamvis enim concedamus, Philonis locum ex libro de vita contemplativa, de Christianis non esse intelligendum, ex interpretatione tamen Eusebii hoc colligimus, Eusebium non dubitasse, quin paschale jejunium Marci evangelistæ temporibus jam tum in ecclesia celebraretur. Ceterum ut ad *παννυχίδας* seu pervigilia paschalis festi redeamus, de iisdem loquitur Eusebius cap. ix. lib. 6. ubi agit de miraculis Narcissi Hierosolymorum episcopi, et in libro iv. de Vita Constantini cap. 22. *τὴν ἱερὰν διαννυκτέρευσιν* appellat. Epiphanius in epilogo operis de hæresibus, has vigilias varie in ecclesia observatas esse testatur. Plerique enim per sex illos dies qui pascha præcedunt, pervigilia celebrabant. Alii quinta duntaxat feria et sabbato vigilias agebant. *Ἀγρυπνίαις δὲ διατελοῦσι τὰς ἕξ,* etc. et paulo post: *ἔν τισι δὲ τόποις τὴν μετὰ τὴν πέμπτην ἀγρυπνοῦσιν, ἐπιφώσκουσαν εἰς τὸ προσάββατον, καὶ τὴν κυριακὴν*

μόνας. Qui locus cum mutilus sit, ita mihi supplendus videtur: *Τὴν μετὰ τὴν πέμπτην ἀγρυπνοῦσιν ἐπιφώσκουσαν εἰς τὸ προσάββατον, καὶ τὴν μετὰ τὸ σάββατον ἐπιφώσκουσαν εἰς τὴν κυριακὴν μόνας*. Ac fortasse etiam plura desunt in illo Epiphanii loco. Nam et nocte illa quæ parasceuem sequitur, Christiani vigilabant, ut docet Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi 18. *διὰ δὲ τὸν κάματον τὸν προγενόμενον ὑμῖν ἔκ τε τῆς ὑπερθέσεως τῆς νηστείας τῆς παρασκευῆς, καὶ τῆς ἀγρυπνίας*. Sed præ cunctis solemnis fuit vigilia, quæ die magni sabbati a Christianis agebatur: in qua populus nonnisi post mediam noctem dimittebatur, ut testatur Hieronymus in caput 25. Matthæi his verbis: *Unde reor et traditionem apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum paschæ, ante noctis dimidium, populos admittere non liceat, exspectantes adventum Christi. Et postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctos agere diem.* VALES. Vid. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der Christlichen Archæologie* t. i. p. 131—137. cf. Lactant. Instit. Div. vii. 19. Augusti l. l. p. 104. 157—160. de hebdomade magna ibid. t. ii. p. 34—43. HEIN.

Ib. *τῶν ὕμνων τὰ ἀκροτελεύτια*] Fuit hic mos veterum Christianorum, ut cum lector sive hieropsaltes versum Psalmi cecinisset, populus extremam versus clausulam simul cum illo concineret. Docet id Clemens in lib. xx. Apost. Constit. cap. 57. ubi vide, quod notavit Johannes Cotelerius. VALES.

17, 17. *τὸν τῆς προστασίας τρόπον*] Presbyteros intelligit, de quibus Philo in dicto libro de vita contemplativa pag. 899. editionis Parisiensis. VALES.

Ib. *διακονίας—ἐπισκοπῆς*] Philo nihil dicit nisi hoc, in conviviis Therapeutarum nonnullos apparere, *διακονεῖν*, et cum Therapeutæ sensum librorum sacrorum indagarent, nonnullos præsidere seu esse *προέδρους*. Cf. Stroth. *Deutsche Uebersetz.* t. i. p. 112. not. 4. HEIN.

18, 1. *Πλατὺς ταῖς διανοίαις*] Rufinus legisse videtur *βαθὺς*: vertit enim *in sensibus profundissimus*. Nicephorus tamen et scripti codices vulgatam lectionem tuentur[r]. Paulo post

[r] Rufinum legisse *βαθὺς* inde vix colligi potest, quod vertit *profundissimus*, nam *latissimus* si vertisset, non Latine locutus esset. Satis præterea notabilis est usus earum vocum apud Græcos, quæ cum proprie vel altitudinem vel profunditatem vel latitudinem vel longitudinem significent, ad varias res ita transferun-

nostri codices Maz. Med. ac Fuk. vocem interserunt hoc modo, ὑψηλός τε ὢν καὶ μετέωρος. VALES.

18, 2. περὶ ὧν νήψας ὁ νοῦς εὔχεται] Hic Philonis liber hodie non extat. Nam quod Nicolaus Faber ad oram codicis sui annotaverat, forte scribendum esse περὶ τοῦ ἐξένηψε νῶε, id equidem probare non possum, licet in eo libro agat Philo de votis et imprecationibus. Apud Suidam liber hic Philonis inscribitur περὶ ὧν κατὰ νοῦν τις εὔχεται εἷς. Sophronius vero sic habet: περὶ ὧν κατὰ νοῦν εὐχόμεθα καὶ ἀπομαρτυρόμεθα, λόγος εἷς. Hieronymus dixerat: *De iis quæ sensu precamur et detestamur, liber unus.* Ubi notabis *sensum* poni pro *intellectu*, more illius sæculi. Sic idem Hieronymus in indice hæreseon cap. 7. de Valentinianis, sensum semper vocat, qui Græce est νοῦς, et in cap. 28. ejusdem libri. Ita etiam Eusebius Emis-

tur, ut in universum exprimant, quod est aliqua in re magnum et insigne. Ita βαθὺς dicitur de ætate admodum provecta apud Æl. V. H. ii. 36. Σωκράτης βαθύτατα γηρῶν, pro quo temere vir quidam doctus in *Observv. Misc.* t. ii. p. 251. βαρύτατα legi voluit, quod tamen continet potius notionem molestiæ a βαθὺς alienam. Cf. Æl. ibid. ix. 1. Zosim. p. 522. Chrysost. Homm. Opp. t. vii. p. 388. B. ed. Montef. ἐν βαθυτάτῃ πολιᾷ. Sed βαθὺς dicitur porro de tempore apud Plat. Crit. i. ὄρθρος βαθὺς Polyæn. i. 28. 2. βαθείας ἑσπέρας ἐπανῆλθεν, de colore Æl. V. H. vi. 6., de sylva ibid. xiii. 1. Cf. Wesseling. *ad Diodor. Sic.* t. ii. p. 552. de divitiis πλοῦτος βαθὺς Æl. V. H. iii. 18. cf. Rom. xi. 33. Contra non molestiæ sed eodem modo quo βαθὺς nihil nisi rei magnitudinem exprimit βαρὺς 2. Corinth. iv. 17. coll. 2. Corinth. viii. 2. Herodian. ii. 14. βαρυτάτῃ εὐδαιμονίᾳ. Cf. Perizon. *ad Æl. V. H.* ii. 11. Nicol. Damasc. de Vita sua p. 14. ed. Orell. ἐν τοῖς βαρυπλούτοις, i. e. inter *prædivites*, interprete Valesio. Quamquam vocem illam non agnoscere videtur Passow., in cujus lexico illa desideratur. Maxime autem cf. Sophocl. Ajac. v. 130. μακροῦ πλούτου βάρει. Vix igitur mirum erit πλατὺς ταῖς διανοίαις nostro loco. cf. Chrysost. de Sacerd. iv. 6. 424. ed. Tauch. Euseb. H. E. vi. 15. βαθυτέρᾳ σχολῇ vii. 11. πλατύτερον ἐκκλησιάζειν Chrysost. t. xii. p. 358. A. de Paulo dicitur: τοσοῦτον ἦν τῆς ἀγάπης αὐτοῦ τὸ πλάτος. Denique βαθυπώγων habet Lucian. t. ii. p. 672. κόμη βαθεῖα Diog. Laert. p. 334. Præterea cf. Klotz. *ad Tyrtæum* p. 113. Sturz. *Lexic. Xenophont.* vol. ii. p. 517. sq. Ephes. iii. 18. ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις, τί τὸ πλάτος καὶ μῆκος καὶ βάθος καὶ ὕψος γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ. Ex his autem, quæ laudavi, satis insignibus exemplis magis etiam apparere existimo, quam egregie propterea quod dixit: γέλως πλατὺς, οὐχὶ πολὺς ἐρεῖς, Herodianum, quem cum Phrynicho edidit, defenderit Lobeckius p. 471. sq. Quamvis enim optimi quique Græcorum scriptorum sæpius dixerint γέλωτα πολὺν, tamen verissime Lobeckius: "*Immo,* inquit, *et legit ista, ut opinor, et probavit ex animo* (Herodianus), *neque unquam credidit sibi vituperationi fore, si iis, qui proprias sermonis urbani veneres sectarentur, hanc locutionem* πλατὺς γέλως, *de meliore nota commendasset, quæ et Aristophanis exemplo comprobata Acharn.* 1125. *et ex natura ipsa expressa est, ideoque intellectum adjuvat. Hinc et recentiores rhetores, Atticæ elegantiæ æmuli, pluribus exemplis abundant; Philo de Cherub.* 119. *C.*—— *Zosim. Hist.* v. 4.—*Nicet. Ann.* l. ii. 6. 47. *C.* μὴ πλατὺ γελάτω *Cyrill. c. Julian.* vii. 225. *D.*———*Verum tamen non omnibus, nec semper nec ubique hæc conveniunt naturæ imitamenta, omniumque minime poëtæ Tragici, quos Erfurdtius ad Aj.* 373. *ad refutandos Atticistas producit, his popularis sermonis festivitatibus uti possunt.*" Quanquam satis insigne esse puto, quod ex Sophocle ego antea attuli, exemplum. HEIN.

senus, seu potius Eucherius in homilia prima de ascensione: *Totus*, inquit, *homo in animi intellectu, et sensus exercitio, et in mentis ratione ac vigore consistit. Nulla enim carnis utilitas est.* Et in sermone de Pentecoste cum dicit: *Ad hoc enim sensum rationabilem naturæ munere, et secundæ nativitatis reparatione suscepimus.* Rufinus in Expositione Symboli: *Concilium vanitatis est et hoc, quod olim congregavit pertinax et prava contentio, asserens quidem Christum carnem humanam suscepisse, non tamen et animam rationalem: cum utique et carni et animæ et sensui et menti una eademque salus a Christo collata sit.* Ubi delendæ sunt voces illæ *et menti.* VALES.

Ib. ὁ περὶ φυγῆς καὶ εὑρέσεως] Ita quidem scribitur in codice Regio, quam scripturam confirmat Rufinus. Vertit enim: *de natura et inventione.* Apud Suidam hic liber inscribitur περὶ φύσεως καὶ εὑρήματος. Quam inscriptionem Suidas ex Sophronio Hieronymi interprete desumsit. Verum optimi codices Maz. ac Med. cum Fuk. et Saviliano præferunt καὶ ὁ περὶ φύσεως καὶ αἱρέσεως. Quare assentior Nicephoro, qui duos Philonis libros recte distinxit, quorum alter inscriptus erat περὶ φυγῆς καὶ αἱρέσεως, id est, *de fuga et electione*, alter περὶ φύσεως καὶ εὑρέσεως, hoc est, *de natura et inventione.* Ex quo apparet codicem Eusebianum quo usus est Nicephorus, hoc quidem in loco nostris exemplaribus emendatiorem fuisse. VALES. Strothio veri similius videtur geminam illam lectionem Nicephori et cod. Nordfolcensis teste Fabric. B. G. iv. 4. p. 109. ex varia lectione in margine notata ortam esse, præsertim cum non constet, ubi Philo egerit περὶ φύσεως καὶ αἱρέσεως. Contra in libro περὶ φυγάδων qui nunc inscribitur, primum περὶ φυγῆς, deinde περὶ εὑρέσεως et denique περὶ πηγῆς agi. HEIN.

18, 3. περὶ διαθηκῶν πρῶτον καὶ δεύτερον] Hieronymus et Christophorsonus vertunt *de pactis.* Sed nos Rufinum secuti, maluimus vertere *de testamentis.* Διαθήκην LXX interpretes posuerunt pro pactione quam Græci συνθήκην vocant, ut notavit Isidorus Pelusiota. Præcipue autem sic vocarunt fœdera quæ Deus inivit cum hominibus: cujusmodi multa referuntur in veteri instrumento. Sed omnium maximum est et sanctissimum, quod Deus pepigit cum Abrahamo. Hoc Latini omnes uno consensu testamentum dixerunt, alludentes potius ad vim ipsam nominis, qua testatio voluntatis designa-

tur, quam ad mortis significationem. Ostendere scilicet voluerunt, pacta illa et promissa Dei non minus firma esse, quam testamenta hominum rata esse solent. Secundum fœdus fuit illud, quod Deus pepigit cum Mose et Israelitis, ut est in Exodi cap. 24. Quamquam duplex fœdus cum Mose Deus percussit, prius quidem in monte Horeb, alterum vero in agro Moabitarum, ut legitur in Deuteronomii cap. 29. De duobus his fœderibus librum scripserat Philo hoc titulo: *περὶ διαθηκῶν πρώτης καὶ δευτέρας*. Sic enim scribitur in quatuor nostris codicibus Maz. scilicet Med. Fuk. et Savil. Quod si quis vulgatam codicis Regii scripturam retinere maluerit, non valde repugnabo. Certe Philo diserte testatur duos se libros scripsisse *περὶ διαθηκῶν*. Sic enim ait in libro de Nominum Mutatione: *τὸν δὲ περὶ διαθηκῶν σύμπαντα λόγον, ἐν δυσὶν ἀναγέγραφα πράξεσι*. VALES. Stroth. legit: *πρῶτον καὶ δεύτερον* ex Reg. Ven. Steph. Ruf. Niceph., et Fabricius jam judicavit, Eusebium scripsisse *α′ καὶ β′*, quod librarii Philonem de duobus testamentis loqui rati per *πρώτης καὶ δευτέρας* explicuerunt. HEIN.

Ib. *περὶ τοῦ κατὰ Μωϋσέα θεοπέμπτους εἶναι τοὺς ὀνείρους α. β. γ. δ. ε.*] Aliter hunc locum legisse videtur Rufinus. Vertit enim: *de Moysis Vita libros quinque. De eo quod a Deo mittantur somnia.* Sed cum de Vita Mosis libros tres duntaxat scripserit Philo, hæc Rufini versio ferri non potest. De eo quidem quod a Deo mittantur somnia, tres libros a Philone conscriptos fuisse constat. Quorum primus periit, secundus exstat pag. 465. editionis Parisiensis: in cujus exordio mentionem facit prioris libri, quem de eodem argumento exaraverat. Tertius demum exstat liber in eadem editione pag. 1108. non suo loco positus. An autem plures his tribus scripserit libros, nobis non constat. Suidas certe quinque libros Philonis de somniis commemorat. VALES.

18, 5. *τὸ περὶ προνοίας*] Unicus fuit Philonis liber hoc titulo prænotatus *περὶ προνοίας*. In manuscripto Philonis codice bibliothecæ Augustanæ, hic Philonis liber de providentia confunditur cum altero ejusdem Philonis libro adversus Flaccum. Periit quidem hic Philonis liber de providentia. Sed ejus insigne fragmentum habes apud Eusebium in lib. viii. Præparationis cap. ultimo, et in lib. vii. c. 21. VALES.

Ib. περὶ Ἰουδαίων] Non dubito quin scribendum sit ὑπὲρ Ἰουδαίων. Sic enim laudatur hic Philonis liber ab Eusebio in lib. viii. de Præparatione Evangelica cap. 10. ubi locus profertur elegantissimus ἐκ τῆς Φίλωνος ὑπὲρ Ἰουδαίων ἀπολογίας. Emendationem nostram confirmat Rufinus, qui hunc locum ita vertit: *de Judæis apologeticus liber.* VALES. Imo repugnat Rufin., nec favent Hieronymus et Suidas monente Stroth. HEIN.

18, 6. Ἑβραικῶν ὀνομάτων ἑρμηνεῖαι] De hoc Philonis libro Hieronymus in interpretatione nominum Hebraicorum ita scribit: *Philo vir disertissimus Judæorum, Origenis quoque testimonio comprobatur edidisse librum Hebraicorum nominum, eorumque etymologias juxta ordinem literarum e latere copulasse. Qui cum vulgo habeatur a Græcis, et bibliothecas orbis impleverit, studii mihi fuit in Latinam eum linguam vertere.* Porro cum Philo ea duntaxat nomina interpretatus fuisset quæ in lege ac prophetis habebantur, postea Origenes verborum ac nominum Novi Testamenti interpretationem adjecit, supplens videlicet id quod in Philonis libro deesse videbatur, ut scribit Hieronymus ibidem. Origenes in lib. v. Comment. in Evangelium Joannis: *Invenimus ergo in interpretatione nominum, Joannes,* etc. VALES.

18, 7. Ἰουδαίους Ῥώμης ἀπελαύνει Κλαύδιος.] Desumpsit hoc ex Luca in Actibus Apostolorum cap. 18. Et Orosius [s] quidem anno Claudii nono id gestum esse scribit ex Josepho. *Anno,* inquit, *ejusdem nono expulsos per Claudium urbe Judæos Josephus tradit.* Verum Josephi locus cujus testimonio utitur Orosius, hodie non exstat. Itaque Orosius memoria lapsus mihi videtur [t]. Ac profecto nequaquam verisimile est, Claudium imp. qui tanta benevolentia semper Judæos complexus est, ut patet ex multis ejus edictis quæ apud Josephum leguntur, ipsos nominatim Judæos urbe expulisse. Crediderim potius, cum magna Romæ fames orta esset, id quod anno Claudii decimo refertur in Chronico Eusebii, Claudium omnes peregrinos urbe expulisse, inter quos etiam fuere Judæi. Id enim antea ab Augusto factum fuerat, et a secutis imperatoribus frequentissime postea usurpatum,

[s] vii. 4. HEIN.

[t] Falsa esse quæ refert Orosius, cum Valesio censet Pearson. *Annall. Paulinn.* p. 11. ad annum C. 52. Claudii xii. monente Readingo ad h. l. HEIN.

quoties urbs Roma penuria annonæ laborabat. Atque ita explicandum censeo locum illum beati Lucæ. Quod si quis fultus auctoritate Suetonii, opinionem nostram respuat, equidem non magnopere repugnabo. Orosium secuti sunt deinceps omnes chronographi, et Baronius in annalibus. Quem tamen miror, cum edictum illud Claudii contra Judæos referat anno Claudii nono, concilium Hierosolymitanum in eundem annum conferre. At id manifesto pugnat cum Actibus Apostolorum. Nam post concilium Hierosolymitanum quod refertur cap. 15., Paulus regressus Antiochiam apostolorum epistolam fratribus tradidit, et aliquanto tempore ibidem moratus esse dicitur. Posthæc sejunctus a Barnaba, abiit in Syriam ac Ciliciam, prædicans verbum Dei. Inde in Phrygiam et Galatiam ac Mysiam profectus est, ubi in somnis a spiritu sancto admonitus, in Macedoniam navigavit, ac primum quidem Philippis annuntiavit fidem Christi, posthæc Thessalonicæ et Berrhœæ. Hinc Athenas cum navigasset, diutius ibi commoratus, dum Timotheum et Sylam exspectat, Atheniensibus verbum Dei prædicavit. Deinde Corinthum profectus, Aquilam et Priscillam ibi reperit, qui nuper eo ab Italia venerant ob edictum Claudii, quo omnes Judæi compulsi erant urbe excedere, ut est in cap. 18. Actuum Apostolorum. Ex his apparet, inter concilium Hierosolymis habitum, et edictum Claudii, multum temporis intercessisse. Quo temporis spatio cuncta hæc quæ compendiose retulimus, a Paulo apostolo sunt gesta. In Chronico Alexandrino concilium Hierosolymitanum refertur anno Claudii sexto. Melius dixisset septimo. Sic enim cuncta egregie conveniunt. Nam Paulus residuis mensibus anni illius quo concilium habitum fuerat, mansit Antiochiæ, tum anno sequenti Syriam et Ciliciam perlustravit cum Phrygia et Galatia. Anno demum Claudii nono venit in Græciam. VALES.

19, 1. *Κατὰ—ἑορτήν.*] Pergit Orosius: *Anno ejus* (Claudii) vii, *sub procuratore Judææ Cumano Hierosolymis seditio in diebus azymorum exorta est.* Sed hæc quoque esse falsa, quamvis ex Eusebii Chronico desumta, neque anno Claudii vii. sed xi. seditionem illam esse ortam, neque tum Cumanum, sed Quadratum fuisse et Syriæ præsidem, animadvertit Pearson.

Annall. Paull. p. 11, 12. (Cf. Tacit. Ann. xii. 54. 52.), monente Readingo ad h. l. HEIN.

Ib. Τρεῖς μυριάδας] Idem numerus ponitur in Chronico. Sed Josephus in lib. ii. de excidio plus quam decem millia hominum exstincta esse dicit. In vicesimo autem libro Antiquitatum, qui libri post historiam belli Judaici ab eo conscripti sunt, viginti millia occisorum numerat. Quem quidem numerum sequi malim, propterea quod hi libri posterius scripti sunt, ut dixi. VALES. Acute conjecit Kestner. *de Eus.* p. 74., causam, e qua cædes illa cruenta Judæis evenerat, ideo tacuisse nostrum, quia illa Judæis semper odio ab illo habitis honori fuit. Cf Jos. Antiqq. xx. 5. HEIN.

19, 2. Ante vocem Κλαύδιος recte cum Cph. addidit *καὶ αὖθις δ' ὅπως* Stroth., propterea quod verba Κλαύδιος κ. λ. apud eundem Josephum (B. J. ii. 21.) leguntur, qui seditionem Judæorum narrat Antiqq. xx. 4. Vales. contra perperam tanquam Eusebii interpretatus verba illa vertit: *Interea Claudius Agrippam——Judæorum regem constituit.* Itaque ipse restitui καὶ αὖθις δ' ὅπως. HEIN.

Ib. Ἀγρίππαν Ἰουδαίων καθίστησι βασιλέα] Hic junior Agrippa si proprie loquamur, nunquam Judæorum rex fuit. Nam post obitum patris Agrippæ qui anno 4. Claudii abiit e vita, cum adhuc infirma esset ætate, Claudius eum apud se detinuit, nec in patris regno succedere permisit. Postea defuncto Herode Chalcidis rege, Claudius regnum patrui ei donavit. Quod cum per quadriennium tenuisset, Claudius anno imperii sui duodecimo Thraconitidem quæ tetrarchia Philippi fuerat, cum Lysaniæ regno ei concessit, adempta prius Chalcide. Jus quoque in templum, et eligendorum pontificum potestatem quam Herodes patruus habuerat, in eum transtulit. Paulo post Nero partem Galilææ ejus adjunxit regno, ut scribit Josephus in lib. xx. Quæ cum ita sint, apparet falli Eusebium, qui hunc juniorem Agrippam statim post obitum patris in regnum ejus successisse, et regem Judæorum a Claudio factum esse tum hic, tum in Chronico scribat. Quamquam hoc loco Eusebius aperte non dicit, statim post obitum patris regem illum a Claudio factum fuisse. Certe ipsius Josephi testimonio demonstrari potest, juniorem Agrippam non

continuo post patris mortem regia dignitate ornatum fuisse. Etenim Josephus in lib. ii. de Bello Judaico cap. 13. duodecimum Neronis annum quo cœpit bellum Judaicum, componit cum anno regis Agrippæ 17. Proinde junior Agrippa regnare orsus est anno Claudii octavo. Porro non negaverim eum Judæorum regem dici posse, cum rex fuerit Galilææ, et inter Judæorum reges recenseatur a Justo. Sed nego illum Judææ regem unquam fuisse. Nam post obitum senioris Agrippæ, qui contigit anno 4. imp. Claudii, Judæa in provinciæ formam redacta est, missique in eam quotannis procuratores Cæsaris, ut docet Josephus. VALES.

Ib. Φίληκα] In Chronico Eusebii Felix ad procurationem Judææ missus esse dicitur a Claudio anno XI. Sed in editione Scaligeri rectius id adscribitur anno x. Claudii. Verius tamen videtur, Felicem anno Claudii nono missum esse in Judæam. Nam Tacitus in lib. xii[v]. Sulla et Othone coss. qui est annus 10. Claudii, Felicem jampridem Judæis impositum fuisse dicit, et in cap. 24. Actuum Apostolorum Paulus causam agens apud eundem Felicem, quod contigit anno Claudii 13., sic eum alloquitur: *Ex multis annis te esse judicem huic genti sciens*, etc. Ceterum fallitur hic Rufinus, qui hæc verba Josephi esse existimavit, cum sint Eusebii ipsius ut apparet. VALES.

Ib. ἔτεσι—ὀκτώ.] Cf. Joseph. Antiqq. xx. 5. Dio lib. lx. Pagi *Crit.* v. i. p. 41. HEIN.

20, 3. Νύττειν τοὺς διαφόρους] *Inimicos* vertit Gelenius, quod non probo. Nam τοὺς διαφόρους Josephus dixit pro τοὺς διαφέροντας. VALES.

Ib. μέρος—τῶν ἐπαγανακτούντων] Veteres dicerent fortasse potius ἐν μέρει vel ἐν χώρᾳ γίνεσθαι τ. ἐ. vid. Pausan. iv. 7. ἐν ἀνδραπόδων χώρᾳ. cf. Valcken. *ad Herod.* p. 258. Valesius vertit: *ipsi cum adstantibus indignari se simulabant.* Cf. Phrynich. p. 2. sq. τῆς ἀμείνονος γενέσθαι μοίρας, et quos ibi laudat Lobeckius, Gregor. Naz. Or. ix. p. 236. C. ἐκνῆψαι καὶ γενέσθαι τῆς ἀσφαλεστέρας μοίρας καὶ κρείττονος Basil. Ep. lxxxiv. p. 157. εἰπάτωσαν τῆς ποίας εἰσὶ μερίδος Demosth. de Coron. p. 246. τῆς ποίας ἂν μερίδος γενέσθαι ἐβούλετ' ἄν. HEIN.

[v] Cap. 54. cf. Hist. v. 9. Sueton. Claud. 28. Usser. *Annall.* p. 668. ad a. C. 53. Pearson. l. l. p. 14. citante Read. HEIN.

21, 1. Καὶ κρατήσας] Hæc est Josephi vulgata lectio in lib. ii. cap. 13. de Bello Judaico, cui consentit codex Regius. Sed nostri codices Maz. Med. cum Fuk. ac Sav.[w] aliter scriptum exhibent, καὶ κρατῆσαι τῆς τε Ῥωμαϊκῆς φρουρᾶς καὶ τοῦ δήμου τυραννικῶς, χρώμενος τοῖς συνεισπεσοῦσιν δορυφόροις. Subauditur autem ἀπὸ κοινοῦ verbum βιάζεσθαι quod paulo ante præcessit. Nec aliter legisse videtur Rufinus. Sic enim vertit: *Paratus inde irruere Hierosolymam, et vi ac potestate urbem tenere, simulque Romanorum præsidia ac plebem tyrannidi suæ subjugare.* VALES.

21, 2. ἐπιστῆσαι δὲ ἄξιον] Proprie ἐπιστῆσαι est attendere, seu observare. Sic Eusebius in lib. iii. cap. 24. οἷς καὶ ἐπιστήσαντι, οὐκετ' ἂν δόξαι διαφωνεῖν ἀλλήλοις τὰ εὐαγγέλια. Hinc ἐπιστάσεις supra in hoc libro cap. 18. dicuntur notæ seu observationes. Occurrit ea vox apud Athenæum, Polybium et alios. VALES. Cf. Index verb. s. v. HEIN.

Ib. ἐν ταῖς Πράξεσι] cf. Act. xxi. 36. HEIN.

21, 3. ἀναστατώσας] Vetus interpres in cap. xxi. Actuum Apostolorum vertit: *tumultum concitasti*, male, ut equidem sentio. Nam ἀναστατῶσαι idem est quod ἀνάστατον ποιῆσαι abducere, asportare. Itaque recte Musculus vertit: *qui tecum excivisti.* Potest etiam verti: qui subvertisti quatuor millia hominum. Sic enim Hesychius interpretatur ἀναστατοῦντας, ἀνατρέποντας, et ἀναστάτους κατεστραμμένους. Hinc qui ære alieno oppressi solum vertunt, ἀναστατωθῆναι dicuntur teste Harpocratione et auctore Etymologici. VALES.

Ib. τετρακισχιλίους] At Josephus triginta millia hominum dicit. Quod ita intelligendum est, ut numerus quidem promiscuæ multitudinis ad triginta usque millia hominum pervenerit, ex illis vero quatuor tantum millia fuerint sicariorum. Atque ita Josephus conciliabitur cum Luca[x]. Ceterum non assentior Eusebio, qui hæc sub Nerone gesta esse scribit. Nam in cap. xxi. Actor. Ægyptius ille magus fusus fuisse dicitur

[w] Cph. Ven. HEIN.

[x] Habet hoc profecto, quo se commendat. Neque sine causa Lucas scripsisse videtur τοὺς τετρακισχιλίους, imo eo ipso accuratius distinguere voluisse quatuor illa millia sicariorum ab iis, quos in mente habens diserte haud commemoravit. Cf. Jos. B. J. ii. 13. Quæ si vera sunt, facile excusari poterit Eusebius, quod non accuratius exposuit rationem, qua Josephus et Lucas de illa re tradiderunt. Vere enim non dissentiunt. Hoc moneri posse puto contra Möller. *de Fide Euseb.* p. 86. et Kestner. *de Euseb.* p. 72. HEIN.

paulo ante adventum Pauli Hierosolyma. Venit autem illuc Paulus anno Claudii ultimo. Quod ex eo colligitur quod in cap. 24. Actorum scribit Lucas, successorem missum esse Felici Porcium Festum. Cum ergo Festus in Judæam missus fuerit anno Neronis secundo, strages Ægyptii illius in extremum Claudii annum cadat necesse est. Fefellit Eusebium Josephi narratio qui hæc sub Nerone referre videtur. Sed animadvertere debuerat Eusebius, Josephum eo loco cuncta simul et acervatim commemorare quæ a Felice gesta essent, tam sub Claudio, quam sub Nerone. VALES. Cf. interpretes ad Act. xxiv. 27. Pearson. *Annall. Paull.* p. 17. Usser. *Annall.* p. 676., quæ laudat Reading. ad h. l. HEIN.

22, 1. Ἀποκαλεῖ] Cf. Col. iv. 10. HEIN.

Ib. δεύτερον—μαρτυρίῳ] Ab hac Eusebii sententia quam ipse tum scripturæ sacræ tum traditioni vel scriptæ vel non scriptæ (λόγος εἶχεν) debet, constat nostro tempore VV. DD. plures recedere. Vide scriptores introductionum in libros N. T. et maxime E. F. R. Wolf. *de altera Pauli Apostoli captivitate Diss.* ii., Lipsiæ 1819, 1820. 8. cf. Euseb. H. E. ii. 1. 18. Reuterdahl. *de Fontt.* p. 30. HEIN.

22, 2. Pro οὐδείς μοι συμπαρεγένετο quod legitur in editt. N. T., apud Nic. et Valesium, Stroth. scripsit cum Cph. Cod. Alex. et nonnullis aliis, quos vide apud Wetstenium et Millium ad 2. Tim. iv. 16., ο. μ. παρεγένετο. Steph. legit οὐδεὶς παρεγένετο. HEIN.

22, 3. οὐκοῦν ἑξῆς προστέθεικε παραπλήσιόν τι, τό.] Ita quidem codex Regius. Sed in Maz. Med. ac Fuk. codice scribitur παραπλήσιόν τι τῷ. Certe hic locus valde obscurus est, et idcirco a Musculo prætermissus. Re tamen diu multumque perpensa, tandem verum hujus loci sensum deprehendi. Ait igitur Eusebius, ex verbis Pauli in secunda ad Timotheum Epistola id colligi, ipsum in prima quidem defensione, sententia judicum absolutum fuisse, postea vero in secunda accusatione fuisse damnatum. Prius quidem illud aperte designat his verbis: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit.* Et cum ait: *Liberatus sum ab ore leonis.* Quod idem est ac si diceret: *Ereptus sum ex Neronis faucibus.* De secunda autem accusatione longe aliter loquitur Paulus. Neque enim dicit: *Liberabit me Deus de ore leonis,* sicut antea locutus

fuerat. Quippe prævidebat Paulus, Deo id ipsi revelante, se nequaquam persecutoris gladio ulterius subtractum iri, sed glorioso martyrii exitu consummandum. Proinde cum de prima accusatione dixisset: *Liberatus sum ex ore leonis*, de secunda qua tunc maxime premebatur, hæc subjungit: *Liberabit me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regno suo cœlesti:* mortem suam his verbis aperte designans. Hic est sensus hujus loci, quem nec interpretes, nec ego ipse prius animadverteram. Quare in Eusebii verbis distinctis vocibus scribendum est *οὐκ οὖν,* vel mutato accentu *οὔκουν*. Certe in Maz. codice distinctis vocibus *οὐκ οὖν* scribitur. Porro hunc Eusebii locum descripsit Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis, ubi de Paulo loquitur: sed Eusebii sensum minime est assecutus, ut patebit legenti. Quare et Sophronius dum locum illum Hieronymi in Græcum sermonem verteret, aliquot verba prætermisit, quæ scilicet sensui obesse videbantur. Eusebii sensum quem dixi, expressit Theodoretus in Epistolam 2. ad Timotheum ad illa verba: *Liberabit me Dominus ab omni opere malo.* Οὐκ εἶπεν ὅτι ῥύσεταί με πάλιν ἀπὸ λέοντος, ἀλλ' ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ. Ἤιδει γὰρ ὡς δέξεται πάντως τοῦ βίου τὸ τέλος. VALES.

23, 3. Ἡγήσιππος] Cf. Joseph. Antiqq. xx. 8. unde, quæ de mortis Jacobi genere tradit Hegesippus, satis suspecta esse intelligitur. Ulterius etiam progressus Epiphan. Hær. xxix. 4. lxviii. 13. HEIN.

Ib. ὁ Ἡγήσιππος ἐπὶ τῆς πρώτης τῶν ἀποστόλων γενόμενος διαδοχῆς] Rufinus legisse videtur ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαδοχῇ. Sic enim vertit: *Hegesippus qui post ipsas statim primas apostolorum successiones fuit*, etc. Vulgata tamen lectio minime repudianda est, cum Hegesippi ætas in primam apostolorum successionem inciderit. Prima enim apostolorum successio usque ad tempora Marci Antonini producitur. Eo namque imperante, Polycarpus Joannis apostoli discipulus coronam martyrii reportavit. Recte igitur Hegesippus in prima apostolorum successione vixisse dicitur, quippe qui floruit Antoninorum principatu, cumque Romam venisset pontificatu Aniceti, ibidem permansit usque ad pontificatum Eleutheri. In Chronico Alexandrino, quod quidem Antiochenum libentius vocaverim, Hegesippus mortuus esse

dicitur principatu Commodi Augusti. Æqualis igitur fuit Irenæo: quem etiam primæ apostolorum successioni contiguum fuisse testatur Eusebius in lib. v. cap. 20. ubi de libro ejus agit qui inscriptus erat de Ogdoade. Ἐν ᾧ καὶ ἐπισημαίνεται τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων κατειληφέναι ἑαυτὸν διαδοχήν. VALES.

23, 4. *μετὰ τῶν ἀποστόλων*] Hieronymus in catalogo hunc locum ita vertit: *Suscepit ecclesiam Hierosolymæ post apostolos frater Domini Jacobus.* Quasi legeretur *μετὰ τοὺς ἀποστόλους*. Longe rectius adversarius Hieronymi Rufinus interpretatus est *cum apostolis.* Nam apostoli una cum Jacobo episcopo Hierosolymitanam rexerunt ecclesiam. Quare perperam Rufinus in cap. 2. hujus libri, Jacobum apostolorum episcopum nominavit. Atqui Clemens, cujus verba illic interpretatur Rufinus, Jacobum non apostolorum, sed Hierosolymorum episcopum factum esse dicit. Porro Rufinus id hausisse videtur ex Clementis Recognitionibus, quas vel ipse, vel Paulinus Latine vertit. Nam in lib. ii. ejus operis Clemens, Jacobum fratrem Domini, quem ipse archiepiscopum nominat et principem episcoporum, episcopali auctoritate apostolis omnibus præcipientem inducit. VALES. Cf. quæ monui supra i. 10. pag. 46. HEIN.

Ib. *ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων δίκαιος.*] Post hæc verba in codice Mazarino ac Fuk. apposita est distinctio. Quam quidem interpunctionem secutus videtur Rufinus. Sic enim vertit: *Suscepit ecclesiam cum apostolis frater Domini Jacobus, qui ab omnibus cognominatus est justus, ab ipsis Domini temporibus perdurans usque ad nos.* Verum in codice Regio ac Med. et apud Nicephorum nulla est adscripta distinctio post vocem *δίκαιος*; sed totus locus uno spiritu continuatur hoc modo: *ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων δίκαιος ἀπὸ τῶν τοῦ Κυρίου χρόνων μέχρι καὶ ἡμῶν.* Id est: *qui ab ipsis Christi temporibus usque ad nostram ætatem justus ab omnibus cognominatus est.* Et hanc quidem distinctionem in interpretatione mea sequi malui, post Musculum et Christophorsonum: quippe quæ certior et sequentibus Hegesippi verbis magis congruere mihi videretur. Subjicit enim Hegesippus *ἐπεὶ πολλοὶ μὲν Ἰάκωβοι ἐκαλοῦντο,* etc. Quæ verba sine dubio referuntur ad ea quæ præcesserunt, *ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων δίκαιος.* Reddit enim rationem

Hegesippus, cur Jacobus justus ab omnibus cognominatus sit. Quippe, inquit, multi fuere Jacobi; sed hic præ ceteris justitia excelluit, ut multis argumentis deinceps probat Hegesippus. Deinde si priorem distinctionem sequamur cum Rufino, falsum erit illud quod sequitur, Jacobum scilicet episcopum a temporibus Domini usque ad Hegesippi ætatem permansisse. Nam Jacobus quidem justus cæsus est Neronis principatu, Hegesippus vero Antoninorum temporibus floruit, ut superius observavi. VALES.

23, 5. Τούτῳ μόνῳ ἐξῆν, etc.] Totum hunc Hegesippi locum jampridem examinavit Scaliger in Animadversionibus Eusebianis pag. 178. multaque in eo reprehendit, quæ operæ pretium erit legere. Adde etiam quæ adversus Scaligeri censuram scripsit Dionysius Petavius in notis ad hæresim 78. Epiphanii, et P. Halloixius in notationibus ad vitam Hegesippi cap. 3. VALES. Nemo acerbius perstrinxit Hegesippum quam Strothius *Deutsche Uebersetzung* t. i. p. 123. not. 3., cujus verba ad nostrum locum juvat adscribere: *Whoever perceives the want of consistency and common sense here cannot attribute the fault to the translator; where none exists, none can be forced in. It would be an useless waste of paper to comment upon all the absurdities of this account, which is more like an old woman's story, than that of a reasonable man, or, which amounts to the same thing, is purely Jewish.* In observationibus autem Latinis ad H. E. iv. 22. Strothius hæc addit: "*Sed vix dignæ sunt hujus hominis nugæ, quibus immoremur,*" et paulo ante: "*cujus adeo male cohæret sermo, ut sutoris meditationes, Scythæ vero verba legere putes.*" At facile intelligitur una alterave inepta narratione et sermone Hegesippi inconcinno ac male fluente nondum fidem ejus historicam labefactari. Rectius itaque de Hegesippo judicarunt Möllerus p. 61. 67. 84. Danzius p. 119. et Kestnerus in *Excurs.* i. p. 29. sqq., qui in eo certe consentiunt justo cupidius de fide Hegesippi historica a multis esse judicatum. Verum autem unice vidisse puto Möllerum, cujus de Hegesippi judicii quasi summa eo continetur, ut statuamus, Hegesippum nugatorem sane esse sæpius quam historicum, et Judæum Apellam, majoris adeo quam par erat, ab Eusebio, (cf. iii. 16. ἀξιόχρεως μάρτυς ὁ Ἡγήσιππος iv. 22.) Hieronymo de Script. Ec-

cles. ii. Epiphan. Hær. 78. et Chrysostomo Homil. in Matth. v. 1. æstimatum, neque tamen semper esse Hegesippum lapsum, quia Cretes non omnia fingunt, denique voluisse semper, raro potuisse verum dicere. Neque recte puto pro recto patrum de Hegesippo judicio pugnasse Tillemontium *in Diss. sur ce que raconte Hegesippe de St. Jacques*, Paris. 1701. 8. Anonymum *in Progr. de Fratribus Domini* κατὰ σάρκα, Regiom. 1737. 4. p. 11. sqq. I. M. Faber. *Progr. quo Eusebianæ de Jacobi fratris Jesu vita et morte narrationis partes quædam explicantur et defenduntur*, Ansp. 1793. 4. Neque equidem possum assentiri Danzio, qui l. l. "*Nobis*," inquit, "*vix datu mest, ex tam paucis et inter se tam parum cohærentibus fragmentis justum Hegesippo historico statuere pretium.*" Datum enim nobis sane est. Neque recte vituperat Moellerum l. l. Kestnerus, Hegesippo justo magis patrocinatus, nimium tribuens testimoniis Eusebii, Hieronymi et Chrysostomi, male verba, quæ inferius nostro loco leguntur: ἀναβάντες οὖν κατέβαλον τὸν δίκαιον καὶ ἤρξαντο λιθάζειν αὐτὸν ἐπεὶ καταβληθεὶς οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ στραφεὶς ἔθηκε τὰ γόνατα λέγων, ita interpretans: *ascendentes vero depellebant* (?) (*sive ita fortasse: dejicere conabantur*) (?) *atque lapidabant; ille vero lapidibus percussus* (καταβληθεὶς; *quod non verteris: a templo detrusus*), (?) male denique traditionem illam minime futilem esse declarans. Neque vere Danzius l. l. p. 119.: *Strothius*, inquit, *ei* (Hegesippo) *inequitasse omnino dicendus est, qui—eum male inter se cohærentium nugarum accusat.*" Hoc enim negari nequit, nugas *sæpius* tradere Hegesippum easdemque male cohærentes. Neque vero ego aliud quidquam de Jacobo ex Hegesippo quidem puto sumi posse, nisi Jacobum fuisse virum probum, Judæis invisum et trucidatum, id quod monendum puto contra Reuterdahl. *de Fontibus Histor. Eccles. Euseb.* p. 23., qui "*Restant quædam*," inquit, "*de quibus in utramque partem disputari potest. In nostra narratione huc referimus cognomen* ὠβλίας *Jacobo datum, verba ejus de* θύρᾳ τοῦ Ἰησοῦ *et alia quædam. Pro veris ea profiteri vix audemus: altera autem ex parte vix dici potest, si vera non essent et antiqua traditione conservata*, [an hoc unum idemque?] *unde orta haberentur.*" An dici potest unde reliqua manifesto falsa orta sint? Sed manifestus error est Reuterdahlii l. l. p. 40., ubi Eusebium in iis quæ de Christo ejusque apostolis undecunque at-

tulerit, nunquam attulisse contemnenda contendit. Præterea de iis quæ h. l. de Jacobo traduntur, cf. I. Clerici *Hist. Eccles. duorum primorum Seculorum* p. 414. Moshem. *de Rebus Christ. a. C. M.* p. 94—96. Stark. *Geschichte der christlichen Kirche des ersten Jahrh.* tom. ii. p. 163. sqq., qui Christianum ex Judæis Hegesippiana commenta finxisse putat, Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archæologie* tom. iii. p. 205. et Winer. *Biblisches Realwörterbuch* p. 309. HEIN.

Ib. ἐκαλεῖτο δίκαιος καὶ ὠβλίας] Nicolaus Fullerus, in lib. iii. Miscellaneorum Sacrorum, hunc locum sic emendat: ἐκαλεῖτο σαδδὶκ καὶ ὠζλιὰμ, ὅ ἐστιν δίκαιος, καὶ περιοχὴ τοῦ λαοῦ. Quam doctissimi viri emendationem libenter amplector. Tamen cum Epiphanius in hæresi 78. et Jovius monachus quem vulgo male Jobium vocant, Jacobum Obliam dictum esse testentur, retinenda est vulgaris lectio; maxime cum Ophlias Hebraice arcem populi significet. Sed et Rufinus atque Nicephorus vulgatam lectionem tuentur. VALES. Male putat Val. ὠβλίας significare *arcem populi*, quod potius esset ὠφλίαμ, עֹפֶל עָם ut recte dicit Strothius et legendum quoque putat. Equidem tamen præfero Fulleri ex Psalm. xxi. 14. emendationem. Cf. Reinesii *Var. Lectt.* iii Com befisius in *auctar. noviss. PP. ad Commentarium rerum Jacobi Dei fratris* tom. i. p. 541. "Putem ego esse ab Hebraico חבל quod est *Nauta*, *Nauclerus*, et quidem supremus; quod optime in Jacobum congruit, pro sacerdotii arce Hierosolymis, qua divinis rebus ac precibus ad Deum semper assiduis——vere populi munimentum erat: consiliis etiam et prudentia, seu solertia, quod femininum illius vocis doctis Hebræis exponitur. Sic etiam magis congruit ut sit ducta metaphora, quam ut ab arce seu præsidio; adde quod nulla radicalium mutatio est, quæ officiat. Vide tamen in P. Haloix. t. ii. in Hegesipp. Fulleri eruditam piamque expositionem, qua satis Scaligeri depellatur calumnia." Suicer. *Thes.* t. ii. p. 1593. Augusti l. l. legit ὄλβιας, nescio an solo typothetæ errore. HEIN.

23, 6. τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων τῶν προγεγραμμένων μοι] Locus Hegesippi, in quo de septem Judaicis populi sectis se scripsisse testatur, exstat in libro iv. Eusebii nostri cap. 22. Ad quem locum Deo juvante, plura dicturi sumus de septem illis sectis. VALES.

Ib. τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ] Ostium hoc loco est introductio, seu institutio atque initiatio. Ostium igitur Christi nihil est aliud, quam fides in Deum Patrem et in Filium ac Spiritum Sanctum. De hoc ostio dicitur in Psalmis: Hæc est porta Domini et justi intrabunt per eam, ut explicat Clemens in lib. vi. στρωματέων. Et ostium quidem Joannis Baptistæ erat pœnitentia: Christi vero ostium est remissio peccatorum quæ fit per baptismum. VALES. Vid. *Excursus* iii. HEIN.

Ib. οὐκ ἐπίστευον οὔτε ἀνάστασιν] Male Rufinus eumque secutus Christophorsonus vertit: *non crediderunt:* quasi legeretur οὐκ ἐπίστευσαν. Longe melius Musculus vertit: *non credunt.* Nam Græca vox hanc habet significationem. Falsum tamen est eas sectas non credidisse resurrectionem. Nam Pharisæi eam credebant. VALES.

Ib. ὅσοι δὲ καὶ ἐπίστευσαν, διὰ Ἰάκωβον] Vox ἐπίστευσαν iterum repetenda est: quod virgula illa quæ in manuscriptis etiam codicibus appicta est, satis declarat. In vetustissimo codice Mazarino post ἐπίστευσαν punctum adscriptum est ad pedes literæ, quod virgulæ nostræ respondet, et Græce quidem vocatur ὑποστιγμὴ, a Latinis autem *subdistinctio.* VALES.

23, 8. μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν] Merito Scaligerum hic reprehendit Dionysius Petavius, quod negasset licuisse ulli Gentili interesse festis diebus Judæorum. Nam præter locum illum quem citat Petavius ex Evangelio Joannis cap. 12., plurima suppetunt Josephi testimonia, e quibus discimus, Gentiles azymorum solemnitati sæpius interfuisse. Certe Vitellius legatus Syriæ, festo paschæ ingressus est Hierosolyma, et a Judæis honorifice exceptus, ut legitur in lib. xviii. Originum Judaicarum cap. 6. Idem de Quadrato legato Syriæ in lib. xx. scribit. VALES.

23, 9. καὶ λεγόντων ὡς ἀννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ] Scaliger in animadversionibus Eusebianis hæc de Jacobo dicta esse existimavit: cui in eo quidem facile assentior. Sed quod negat idem Scaliger Jacobum filium David dici potuisse, in hoc graviter hallucinatur. Fuit enim Jacobus filius Josephi, ac proinde oriundus ex stirpe David. Porro verissimum est quod ait Scaliger, eos qui Osanna acclamabant, palmas manibus gestare debuisse. Cujus rei illustre exemplum est in itinerario Hierosolymitano Antonini monachi pag. 30. Ex quo discimus, morem olim fuisse Christianorum, ut episcopis ac

presbyteris advenientibus obviam procedentes honoris causa, acclamarent Osanna. *Ibi venerunt mulieres in occursum nobis cum infantibus, palmas in manibus tenentes, et ampullas cum rosaceo oleo: et prostratæ pedibus nostris, plantas nostras ungebant, cantabantque lingua Ægyptiaca psallentes antiphonam. Benedicti vos a Domino, benedictusque adventus vester, Osanna in excelsis.* Idem testatur etiam Hieronymus in cap. xxi. Matthæi. *Videant ergo episcopi et quantum libet sancti homines, cum quanto periculo dici ista sibi patiantur: si Domino, cui vere hoc dicebatur (quia necdum erat solida credentium fides) pro crimine impingitur.* Ceterum voces illas *Osanna filio David*, quas a quibusdam Judæis acclamatas tunc fuisse dicit Hegesippus, non immerito quis existimet de Christo potius quam de Jacobo intelligi oportere. Nam cum Jacobus in fastigio templi positus, Jesum revera Christum esse ac redemptorem generis humani prædicasset, Judæi quidam Christi fidem amplectentes, acclamare cœperunt Osanna filio David, id est, *Jesu Christo palma et victoria.* VALES. Ad Christum pertinere illam acclamationem, idem ego satis certum puto verbis proxime præcedentibus *καὶ πολλῶν πληροφορηθέντων καὶ δοξαζόντων ἐπὶ τῇ μαρτυρίᾳ τοῦ Ἰακώβου.* Nihilominus dubius hac de re est ipse Augusti *Denkwürdigkeiten aus der Christlichen Archæologie* tom. v. p. 218., qui præterea de formula illa ὡς ἀννὰ est conferendus. HEIN.

Ib. ὡς ἀννά] In omnibus nostris exemplaribus duo sunt vocabula ὡς ἀννά [y]. Ita etiam apud Hieronymum in interpretatione nominum Hebraicorum: *Osanna, salvifica, quod Græce dicitur ὡς ἀννά. Utrumque autem nomen per extensam literam legendum.* Id est, Osanna tam in Hebræa quam in Græca lingua primam syllabam producit. Isidorus quoque in lib. vi. Originum, Osanna ex duobus vocabulis Osi et Anna compositum esse testatur, elisa scilicet una litera, sicut in versibus cum scandimus. *Osi enim salvifica interpretatur: Anna interjectio est, motum animi significans sub deprecantis affectu.* Quæ Isidori verba desumpta sunt ex Hieronymi epistola 145. ad Damasum. Eadem fere habet Augustinus in lib. de Doctrina Christiana cap. 11. VALES.

23, 10. ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ] Memoria lapsum esse Hegesippum affirmat Scaliger. Neque enim hunc locum apud Esaiam ex-

[y] Ita quoque Stroth. HEIN.

stare, sed in libro qui inscribitur Sapientia Salomonis cap. 2. Sed fallitur ipsemet Scaliger qui Hegesippum temere reprehendit. Revera enim hic locus legitur in Esaia cap. 3. *δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστί· τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται.* Ita quidem legitur in editione Romana. Verum Justinus in Dialogo adv. Tryphonem diserte testatur, in editione LXX interpretum scriptum fuisse *ἄρωμεν τὸν δίκαιον,* pro quo Judaici interpretes *δήσωμεν* verterant. Justini lectionem confirmat etiam Tertullianus contr. Marc. iii. 22. *Venite, inquiunt, auferamus justum, quia inutilis est nobis.* Sed et in eo fallitur, quod apud Rufinum pro Esaia Hieremiam scribi dicit. Porro Hegesippus hunc Esaiæ locum quem dixi, in mente habuit paulo supra, cum diceret, Jacobum a prophetis justum esse appellatum. *Ἐκαλεῖτο δίκαιος ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ.* VALES.

23, 11. *υἱοῦ Ῥαχαβείμ*] Merito Nicephorus hæc duo vocabula expunxit, ut jampridem notavit Scaliger, tum in Animadversionibus Eusebianis, tum in Elencho Trihæresii cap. 25. Sed tamen cum apud Rufinum legantur, et in omnibus nostris exemplaribus exstent, ferri commode possunt. Ac si rem attentius expendamus, non sunt ita inepta atque insulsa ut putavit Scaliger. *Εἷς τῶν ἱερέων τῶν υἱῶν Ῥηχὰβ υἱοῦ Ῥαχαβείμ. Unus ex sacerdotibus de filiis Rechab filii Rechabim.* Idem enim est ac si diceret: unus ex sacerdotibus, filius Rechab de genere Rechabitarum. Quæ postrema verba consulte edita sunt, ut Rechab pater illius sacerdotis, ab aliis Rechab distingueretur. Plures enim eodem nomine appellabantur Rechab, verum hic de quo loquitur Hegesippus, erat ex stirpe Rechabitarum illorum, de quibus locutus est Hieremias. VALES. *Χαραβεὶμ* Genev. (Steph. ?) HEIN.

Ib. *Παύσασθε· τί ποιεῖτε*] Epiphanius in hæresi 78. non a Rechabita sacerdote hæc dicta esse scribit, sed a Symeone Clopæ filio, qui Jacobi justi frater patruelis erat. VALES.

Ib. *λαβών τις ἀπ' αὐτῶν εἷς τῶν κναφέων τὸ ξύλον*] Hæc verba duobus modis construi possunt: nempe hoc modo *εἷς τις ἀπ' αὐτῶν, λαβὼν τὸ τῶν κναφέων ξύλον.* Id est: *unus ex illis arrepto fullonis vecte.* Aut in hunc modum, *τὶς ἀπ' αὐτῶν, εἷς τῶν γναφέων, λαβὼν τὸ ξύλον.* Quam distinctionem secutus est Rufinus. Ita enim vertit: *Et unus ex ipsis fullo, arrepto fuste, in quo vestes exprimere solent.* Neque aliter ceteri inter-

pretes. Atque hunc sensum confirmat Clemens Alexandrinus in libro vii. Hypotyposeon, ubi Jacobum a fullone interemptum esse scribit. Verba Clementis habentur supra in cap. 1. hujus libri. Apollonius Collatius in lib. i. de Excidio Hierosol. Jacobum non fullonis vecte, sed securi percussum interiisse scribit. VALES.

Ib. *ἐν ᾧ ἀπεπίεζε τὰ ἱμάτια*] Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis hunc locum ita expressit: *Fullonis fuste, quo uda vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit.* Hieronymi verba Græce ita vertit Sophronius: *τῷ τε κναφικῷ μοχλῷ ᾧ τὰ ἱμάτια ἐκπιέζειν εἰώθασι.* Musculus quidem Eusebii locum ita vertit: *unus ex fullonibus arrepto instrumento quo vestimenta excutiunt ac purgant.* Langus vero Nicephori interpres sic reddidit: *Et fullonum quidam ligno quo vestes complanabat arrepto.* Mihi quidem magis placet Rufini et Christophorsoni expositio, qui *vestes premere* seu *exprimere* interpretati sunt. Id enim significat vox *πιέζειν*, ex qua fit *πιεστήριον*, quod est Latine *pressorium* seu *prælum.* Duplex fuit fullonum officium. Nam et maculas eluebant e vestibus, et eas dealbabant, ac splendorem iis conciliabant. Utebantur autem ad id pressoriis seu prælis, ut notavi ad lib. xxviii. Amm. Marcellini pag. 366. VALES.

23, 12. *ἔτι αὐτοῦ ἡ στήλη μένει παρὰ τῷ ναῷ*] Quomodo fieri potest, ut hic cippus (id enim significat *στήλη*, ut supra notavimus) et hoc Jacobi sepulcrum adhuc permanserit post urbem a Romanis excisam? Sed neque verisimile est, quod ait Hegesippus, Jacobum juxta templum sepultum fuisse. Nam Judæi extra urbem corpora condebant, ut colligere est tum ex Evangelio, tum ex sepulchro Helenæ Adiabenorum reginæ, de quo superius locuti sumus. Merito igitur Rufinus totam hanc pericopem in versione sua prætermisit. Hieronymus vero in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cujus maxima pars ex Historia Ecclesiastica Eusebii nostri desumpta est, hæc Hegesippi verba interpretans ita emollivit: *Titulum usque ad obsidionem Titi, et ultimam Hadriani, notissimum habuit.* Ubi tamen illud probare non possum, quod de ultima Hadriani obsidione dicit. Nam in eo secutus est errorem Eusebii, quem jampridem alii confutarunt. Porro Hieronymus *titulum* dixit; pro eo quod in Græco est *στήλη*. Eodem sensu *στήλη* dicitur in lib. ii. Regum cap. 18., ubi vetus interpres *titulum*

vertit. Ad quam vocem in vetustissimo codice Mazarino hoc scholium adscriptum inveni: Ἰστέον ὅτι ἡ στήλη αὕτη λίθος ἦν ἄμορφος, ἐπιγραφὴν ἔχων τὸ ὄνομα τοῦ τεθαμμένου Ἰακώβου: ἐξ οὗ καὶ ἔτι νῦν οἱ Χριστιανοὶ ἐν τοῖς μνήμασιν αὐτῶν λίθους ἱστᾶσιν, καὶ ἢ γράμματα ἐν αὐτοῖς γράφουσιν, ἢ τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ ἐγχαράττουσιν. *Sciendum est columnam hanc nihil aliud fuisse quam lapidem informem, in quo nomen Jacobi illic sepulti erat incisum. Unde et Christiani in sepulcris suis etiamnum lapides statuunt: in quibus aut literas inscribere, aut crucis figuram insculpere consueverunt.* VALES.

23, 15. παρέδωκε λευσθησομένους] Quid magis contrarium esse potest, quam hæc Josephi et illa Hegesippi narratio? Nam Josephus quidem Jacobum damnatum esse scribit in publico Judæorum consilio, Hegesippus vero per seditionem ac tumultum populi occisum. Et Hegesippus quidem fuste fullonis necatum in media urbe, Josephus autem lapidatum occubuisse narrat. Fiebat autem lapidatio extra portas civitatis, ut notum est. Porro Josephus annum quo mortuus est Jacobus, duabus notis nobis designavit, pontificatu scilicet Anani, et adventu Albini in Judæam. Eusebius in Chronico, Albinum Festo successisse scribit anno 6. imperii Neronis. Idem tamen Jacobi martyrium confert in annum sequentem. Quod manifeste pugnat cum Josepho, qui diserte testatur Jacobum necatum, priusquam Albinus in provinciam venisset. Eodem igitur anno initium Albani et Jacobi cædem Eusebius includere debuerat. Verum reclamat Baronius, et Jacobi martyrium anno septimo Neronis contigisse probat, cum ex consensu omnium veterum, tum ex Josephi libro secundo de Bello Judaico, capite duodecimo. Ego vero Hieronymum, Nicephorum et alios qui Eusebii Chronicon secuti sunt et exscripserunt, non discussa ejus sententia, haud numerandos puto. Josephi autem locus nihil aliud probat, quam Albinum quarto anno antequam bellum inchoaretur Judaicum, et septimo antequam urbs caperetur, fuisse præsidem Judææ. Verum ex eo colligi non potest, Albinum septimo anno ante expugnationem Hierosolymorum, Judæam administrare cœpisse. Immo verius mihi videtur, eum anno 4. Neronis in Judæam venisse. Nam Porcius Festus biennii spatio Judæam administravit, ut ex ejus gestis apparet, quæ pauca admodum a Josepho referuntur. Huic successit Albinus anno Neronis

quarto, mansitque usque ad annum decimum, ut ex Josepho recte ponit Eusebius. Anno igitur Neronis quarto cæsus est Jacobus. Conjecturam porro nostram confirmat Epiphanius in hæresi 78., ubi Jacobum hunc ait præfuisse ecclesiæ Hierosolymitanæ annos circiter quatuor et viginti ab ascensu Domini. VALES. Addenda puto ea, quæ ex Pagi *Crit.* vol. i. p. 46. ad h. l. attulit Reading. Josephus Antiqq. xx. 8. narrata Jacobi fratris Jesu Christi lapidatione, et Albini Judææ procuratoris in eam regionem adventu, ait: *Hoc tempore Agrippa rex prolatis pomœriis Cæsareæ, quæ Philippi dicitur, mutato nomine in Neronis honorem vocavit eam Nerodiada: et theatrum apud Berytios impendiis magnis exædificatum ornavit spectaculis annuis, assignata in eum usum ingenti vi pecuniæ——totamque eam urbem ornavit statuis passim dispositis—et omnia pœne sui regni ornamenta in eam civitatem transtulit.* Factam esse hanc Cæsareæ Philippi ampliationem currenti anno decennalium Neronis occasione, indeque desumtam epocham nummorum Domitiano imperante cusorum, qui L. KA. id est, annum xxi. usque ad annum KZ, id est, xxvii, præferunt. Inter illos Trinardum secum communicasse dicit Pagi nummum, in quo legeretur: IM. CA. VES. F. DOM. AU. GER. COS. XII. in postica: ΕΠΙ ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κστ. infra S. C. id est: *Imperator Cæsar Vespasiani Filius, Domitianus Augustus, Germanicus Consul* xii. *Sub Rege Agrippa anno* xxvi. *Senatus consulto.* Domitianus autem anno C. 80. consulatum 12. iniit. Quare, si tunc Agrippa 26. regni annum ingressus erat, sub hujus anni finem Cæsaream ampliarat. Itaque annus 21. Agrippæ post diem 13. Septembris anni C. 81., quo die Domitianus Tito successit, inchoatus fuit. Posticam partem nummi Domitiani habere: ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ ΕΤ. ΚΑ id est: *Agrippa rex anno* 21. Ex his sequi, Jacobum currenti anno morte affectum et Albinum præsenti etiam anno in Judæam venisse, licet Baronius utrumque in sequentem annum differat, neque audiendum esse Valesium, qui h. l. Jacobum anno quarto Neronis occisum esse contendat. HEIN.

23, 16. τῷ Ἀνάνῳ] Nicephorus in libro secundo cap. 4. hunc Ananum eundem esse existimavit cum Anania illo qui Paulum colaphis cædi jussit, de quo Lucas in Actibus Apostolorum. Sed in eo longe fallitur. Nam Ananias Nebedæi filius, de quo loquitur Lucas, pontifex fuit principatu Claudii,

ab anno ejus septimo usque ad Neronis initia, vir omnium ætatis suæ Judæorum potentissimus, teste Josepho in libro vicesimo. Sed et series illa pontificum quæ ibidem recensetur a Nicephoro, ex Josephi libris supplenda est, et post Josephum Camæ filium ponendus est Ananias Nebedæi filius, de quo Josephus capite tertio libri vicesimi. Post hunc fuit Ismaelus Phabæi filius, ab Agrippa juniore factus. Josephus pagina 696. Cui successit Josephus cognomento Cabi, Simonis filius. Post quem Ananus Anani filius, de quo hic sermo est. VALES.

Ib. Δαμμαίου] Apud Josephum et Nicephorum scribitur Δαμναίου. VALES. De hoc Josephi Antiqq. xx. 8. et præcedenti loco vid. Clericus *Art. Crit.* P. iii. S. i. c. xv. 9. sq. qui eos spurios esse pronuntiat. Contra Reuterdahl. *de Fontibus Hist. Eccl. Eus.* p. 22. contextum certe hunc esse genuinum demonstrare dicit. HEIN.

23, 17. νοθεύεται μέν.] Hunc locum Rufinus et Christophorsonus ita verterunt, quasi hæc quorundam esset opinio. Quem sensum nos etiam in interpretatione nostra secuti sumus. Sed nunc re attentius perpensa, aliter sentimus, Eusebium scilicet absolute hanc Jacobi Epistolam spuriam pronuntiare. Hieronymus de Jacobo: *Unam*, inquit, *scripsit epistolam, quæ et ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.* VALES. Imo recte vertit Val.: "*Quam quidem nonnulli spuriam ac supposititiam esse existimant.*" vid. Hug. *Einl.* t. i. p. 119. HEIN.

24, 1. Μάρκον τὸν ἀπόστολον καὶ εὐαγγελιστήν] Ita codex Regius. Verum in reliquis codicibus Maz. Med. Fuk. ac Saviliano desunt hæ voces ἀπόστολον καὶ, quæ etiam in interpretatione Rufini non leguntur. Scio quidem Marcum merito apostolum dici posse, quippe qui primus Christi fidem Alexandrinis nuntiaverit[z]. Sane Athanasius in synopsi Marcum et Lucam apostolos vocat. In fastis quoque Idatii Timotheus et Lucas apostoli dicuntur. Vide quæ supra notavi ad caput ultimum libri primi, ubi de Thaddæo et Abgaro agitur. Verum hoc loco non quærimus quem titulum mereatur Marcus, sed tantum quid Eusebius scripserit. VALES.

[z] Cf. Gieseler. *Lehrbuch der Kirchengeschichte* t. i. p. 81. sq. supra cap. xvi. infra iii. cap. 1. HEIN.

Ib. Ἀννιανὸς] Reuterdahl. *de Fontt.* p. 58. *Ammianus* scribit: qua de causa, nescio. HEIN.

25, 1. Ἐξοκείλας] i. e. delapsus. Cf. infra vi. 16. Est enim ἐξοκέλλειν verbum proprium de iis qui ad turpe vitæ genus deflectunt. vid. Plutarch. de Puerorum Educ. vii. 19. οἱ δὲ εἰς κύβους καὶ κώμους ἐξοκέλλουσι. Metaphora autem petita ab iis qui in syrtes navem impingunt. Vid. anonymus Atticista in Villoison. *Anecdot. Græc.* t. ii. p. 65. ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ἐξερρίφη ἡ ναῦς ἐν ταῖς πέτραις, προσώκειλεν ἡ ναῦς λέγουσιν (οἱ Ἀττικοὶ) cf. Hesych. s. v. Athen. xii. p. 543. Orell. *ad Nicol. Damasc.* p. 126. et *supplem. nott.* p. 60. HEIN.

Ib. Verba καὶ—ἀδελφ. quæ aperte solo errore typothetæ aberant ex Valesii editione, cum ipse illa verterit: *cum fratribus*, imprimenda curavi. Ceteri omnes libri et edd. ea habent. HEIN.

Ib. διαχρήσασθαι i. e. *interficere.* Videtur autem illud primum quidem εὐφήμως dictum fuisse a Græcis, ut esset: *vita alicujus abuti.* Vid. Hemsterh. *ad Poll.* ix. 153. unde Thomas Mag.: διαχρῶμαι—κρεῖττον ἢ φονεύω. Sed deinde mitior illa vocis significatio prorsus, ut facile intelligitur, oblitterata est, cf. ii. 7. HEIN.

25, 2. τὴν ἀνατολὴν πᾶσαν ὑποτάξας] Quisquis Tertulliani Apologeticum Latine vertit, sive is Eusebius sit, quod non puto, sive quis alius, Tertulliani verba non intellexit. Neque id in hoc uno Tertulliani loco ei contigit, sed etiam in aliis pluribus Tertulliani locis, qui ab Eusebio Græce in hoc opere proferuntur. VALES. Verba Tertulliani hæc sunt: *Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, nonnisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.* Patet inde sane, quod dicit Stroth. *Uebersetz.* t. i. p. 496. not. 3., interpretis Græci ignorantia. Conf. Dodwell. *in Supplement. Pears.* cap. iii. Valesius *ad Euseb. de Vita Const.* ii. 48. Kestner. p. 75. Reuterdahl. *de Fontt.* p. 80. Münter. *in Actis Litterar. Diœc. Seland.* t. i. p. 500. HEIN.

25, 3. ἀποτμηθῆναι] Paulum ultimo Neronis anno cum Petro et quidem sub præfectis urbi absente Nerone die 22. Februarii martyrium subiisse, refert Clemens Romanus.

vid. Pearson. *Ann. Paull.* p. 25. ad ann. C. 68. Neronis 14. Pagi *Crit.* v. 1. ad a. C. 65. Ner. 12. qui ibid. p. 51. sq. diem martyrii non posse definiri recte fassus est, monente Readingo ad h. l. HEIN.

Ib. καὶ—ἀνασκολοπισθῆναι] Et quidem capite deorsum verso. Ita Orig. lib. iii. expositionum in Genesim, quem locum infra habes, in lib. iii. in., Petrus quoque Alexandrinus in sermone de Pœnitentia cap. 9. οὕτως ὁ πρόκριτος τῶν ἀποστόλων Πέτρος πολλάκις συλληφθεὶς καὶ φυλακισθεὶς καὶ ἀτιμασθεὶς, ὕστερον ἐν Ῥώμῃ ἐσταυρώθη. Sed et Eusebius noster in sermone de eo quod ait Dominus, *non veni pacem mittere:* "et unde mihi hoc? Supra dignitatem est meam, ut vel injuriam pro Christo sustineam. Cruci autem figi, et inverso capite, Petri magis est quam aliorum hominum." Palladius in vita Chrysostomi sub finem. VALES.

Ib. ἐκκλησιαστικὸς ἀνήρ] Tribus modis dicitur ecclesiasticus. Interdum enim accipitur pro Christiano, et opponitur gentili, ut apud Hieronymum in præfatione libri de scriptoribus ecclesiasticis. Atque ita sumpsisse videtur Cyrillus in Catechesi 15. cum ait: σημεῖον ἐκκλησιαστικὸν ζητοῦμεν οἱ ἐκκλησιαστικοί. Interdum vero ecclesiasticus designat catholicum, et opponitur hæretico, ut apud Hieronymum in præfatione in Matthæum, et in Commentariis in Ecclesiastem pag. 27. et in cap. 13. Ezechielis. Ita Origenes in tomo 16. Explanationum in Joannis Evangelium: *Dicet profecto Heracleon, et secum fortassis sentiens alius ecclesiasticus.* Et Cyrillus in Catechesi 15. supra citata, ubi dicit ταύτην δὲ εἶναι τῶν Ῥωμαίων οἱ ἐκκλησιαστικοὶ παραδεδώκασιν ἐξηγηταί. Epiphanius in Hæresi Audianorum pag. 821. Denique ecclesiasticus interdum denotat eum, qui in clero est constitutus: et opponitur sæculari seu laico, ut apud eundem Hieronymum in Epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi, et in Epistola 46. ad Rusticum. Item in præfat. commentariorum in Danielem, et in libro secundo apologiæ adversus Rufinum. Atque ita sumit hoc nomen Cyrillus in Catechesi 17. cum ait: καθὼς μέχρι σήμερον βλέπομεν ἄρχοντας κοσμικοὺς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἀγομένους καὶ διδασκομένους. Auctor quæstionum Veteris et Novi Testamenti cap. 121. et imperatores in lege 20. codice Theod. de episcopis et clericis: *Ecclesiastici aut ex ecclesiasticis, vel qui continentium se volunt nomine nun-*

cupari, etc. et in lege 21. eodem titulo: *Hi qui ecclesiæ jugo obsequium deputarunt, curiis habentur immunes*, etc. Et paulo post: *ceteri revocentur, qui se post id tempus ecclesiasticis congregarunt*. Cum igitur hæc vox triplicem habeat significationem, quæri non immerito potest, quomodo hic accipienda sit. Equidem in secunda significatione malim accipere hoc loco, tum quia hæc frequentior hujus vocabuli significatio est, tum quod Eusebius de Caii libro adversus Proclum loquens, utrumque proprio epitheto designavit. Caium enim ecclesiasticum hominem appellat, Proclum vero Cataphrygarum sectæ patronum, id est hæreticum. Ὃς δὴ Πρόκλῳ τῆς κατὰ Φρύγας προϊσταμένῳ γνώμης ἐγγράφως διαλεχθεὶς, etc. Quippe Cataphrygarum secta in duas partes divisa est. Alterius princeps fuit Proclus, alterius vero Æschynes. Qui Proclum sequebantur, dicebantur οἱ κατὰ Πρόκλον, qui Æschyni favebant, dicebantur οἱ κατὰ Αἰσχύνην, ut docet Tertullianus in libro de Præscriptione Hæreticorum. VALES. Equidem Valesio assentior, nolim tamen vertere simpliciter: *vir catholicus*, sed accuratius, cum de Caio sermo sit: *doctor* vel *scriptor catholicus*. Minus recte Strothius reddit: *Ein Kirchenschriftsteller*. Hoc sensu legitur illa vox infra iii. 25. τῶν ἄλλων ἀποστόλων πράξεις ὧν οὐδὲν οὐδαμῶς ἐν συγγράμμασι τῶν κατὰ διαδοχὰς ἐκκλησιαστικῶν τις ἀνήρ κ. λ. ubi non magis recte Strothius vertit: *Kein Kirchenlehrer*, cf. i. 1. iii. 3. ἐκκλησιαστικὸς συγγραφεύς. Semper enim contexta oratio docere potest, utrum de scriptore an doctore ecclesiastico sermo sit. Cf. iv. 7. Ita l. l. παρὰ πλείστων τῶν ἐκκλησιαστικῶν, quæ verba paulo ante priora illa leguntur, de doctoribus ecclesiasticis accipiendum. Cf. Hug. *Einleitung ins Neue Testament* t. i. p. 414., qui recte vituperat Vogelium *Comment. de Can. Euseb.* part. i. p. 8., quod de Christianis catholicis ibi cogitavit. Ipse tamen Hugius non recte nostro loco de doctore ecclesiastico nulla ejus ὀρθοδοξίας habita ratione cogitat, et nec iii. 25. τῶν κατὰ διαδ. ἐκκλησιαστ. κ. λ. de scriptore accipit. iii. 39. utrosque tum doctores tum scriptores ecclesiasticos in mente habet Eusebius. Primam autem et tertiam vocis ἐκκλησιαστικὸς significationem, quam recte statuit Valesius, omisit Suicer. in *Thes.* t. i. p. 1062. Insolentiorem denique vocis ἐκκλησ. usum deprehendisse mihi videor apud Gregor. Nyss. Contra Eunom. lib. i. t. ii. p. 330. Οὐκοῦν ἡ πᾶσα μάχη καὶ ἀμφιβολία τοῦ δόγ-

ματος τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς πρὸς τοὺς ἀνομοίους ἐστὶ περί τε τοῦ δεῖν ἢ κτιστὸν νοεῖν τὸν υἱὸν—ἢ τῆς ἀκτίστου φύσεως καθὼς ἡ ἐκκλησία πεπίστευκε. Ipsa enim vox *ἐκκλησία* et rei ratio indicat, non de solis doctoribus vel scriptoribus ecclesiasticis iisdemque *ὀρθοδόξοις* loqui Gregorium, sed simul laicos eum habuisse in mente. HEIN.

Ib. Πρόκλῳ—διαλεχθείς] Eundem esse hunc librum cum illo qui commemoratur infra iii. 28. 31. vi. 20. cf. Phot. cod. 48., defendit post Lardnerum *Glaubwürdigkeit der Evang. Gesch.* t. iii., Paulus *Histor. Cerinthi* P. i. p. 56. HEIN.

25, 4. τὰ τρόπαια τῶν ἀποστόλων] Hieronymus in Epistola ad Marcellam: *Est quidem ibi sancta ecclesia; sunt tropæa apostolorum et martyrum.* VALES.

Ib. ἐπὶ τὸν Βατικανόν] Vaticanus quidem ad b. Petrum referri debet, qui sepultus est in Vaticano. Ostiensis autem via Paulum denotat, qui sepultus est in via Ostiense. VALES.

Ib. ταῦτα καὶ ὑμεῖς] Scribendum puto ταύτῃ. Quam lectionem interpretatio nostra expressit. Atque ita videtur legisse Rufinus, qui sic vertit: *Sed et habentes commonitionem a Petro et Paulo, plantationem Romanæ et Corinthiorum ecclesiæ conjunxistis.* VALES.

Ib. διὰ τοσαύτης νουθεσίας] Id est, per hujusmodi vestram cohortationem. Respondet Dionysius epistolæ Soteris et cleri Romani, qui missis ad Corinthios literis, eos benevole admonuerat, ut infra docet Eusebius in lib. iv. cap. 22. Quod jam antea Clemens Romanus episcopus fecerat, datis ad Corinthios literis. Ait igitur Dionysius Soteri: *Vos per vestram hanc commonitionem, plantationem Romanæ et Corinthiorum ecclesiæ a Petro Pauloque olim factam, nunc denuo conjunxistis.* Hæc ideo fusius exposui, quia interpretes ac præcipue Christophorsonus, in hujus loci versione magnopere aberrarunt. VALES.

Ib. γεννηθεῖσαν] Ita quidem scribitur in Chronico Georgii Syncelli. Sed nostri codices Regius, Maz. Med. ac Fuk. habent γενηθεῖσαν per simplex *ν*. quod equidem magis probo. VALES.

25, 5. ἄμφω—Κόρινθον] Vid. Eichorn. *Einleitung in das N. T.* tom. iii. p. 105. h. HEIN.

Ib. φυτεύσαντες] Georgius Syncellus in Chronico habet φοι-

τήσαντες, rectius [a]. Sed et in his quæ sequuntur ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν, supplendum est φοιτήσαντες. Sane in codice Regio et Med. post Ἰταλίαν virgula ponitur. VALES. Minime supplendum φοιτήσαντες. Vid. Hermann. *de emendanda ratione Græc. Gramm.* p. 151. *ad Viger.* p. 857. 876. Matthiæ *Ausführliche Grammatik* p. 1141. sq. cf. Wesseling. *ad Diodor.* tom. i. p. 551. Hemsterh. *ad Aristoph. Plut.* p. 456. Duker. *ad Thucyd.* p. 230. Valcken. *ad Herod.* i. 21. ii. 56. Niedner. *Dissertatio de loco Commentarr. Lucæ* xvi. 1—13. Lips. 1826. p. 68. sqq. not. 32. Passow. s. v. εἰς 6. s. v. ἐν 6. Ælian. V. H. vii. 8. ὅτι Ἡφαιστίων εἰς Ἐκβάτανα ἀπέθανε, ubi Perizonius male glossema suspicatus est. Ibid. ix. 30. iv. 18. Lucian. Tim. §. 50. εἰς Ὀλυμπίαν θεωρεῖν. Plat. Sympos. vii. 1. Chrysost. tom. xii. p. 391. C. τοὺς εἰς τὴν οἰκουμένην ἅπαντας, πῶς διορθώσομεν; Lobeck. *ad Phryn.* p. 43. sq. HEIN.

Ib. κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν] Non dicit aperte Dionysius Petrum ac Paulum uno eodemque die passos fuisse, sed tantum eodem tempore; quod de plurium dierum intervallo explicari potest. Prudentius περὶ στεφάνων eodem quidem die cæsos ait, sed non eodem anno: verum inter utriusque necem anni spatium intercessisse. Cum Prudentio consentit Augustinus in sermone 28. de Sanctis, et in sermone nuper edito Parisiis in supplemento operum Augustini, Arator lib. ii. Hist. Apost. Symeon tamen metaphrastes hæc Dionysii verba ita accepit, quasi dicere voluisset, Petrum ac Paulum eodem die simul subiisse martyrium. Verba ejus sunt in commentario de pe-

[a] Minime vero. Valesium satis refutavit Fearson. *de Successione Primorum Romæ Episcoporum* p. 36. citante G. Lowthio. Totum locum præterea Dionysii inde a verbis ταῦτα καὶ——καιρὸν male reddidit Valesius sic: *Ita et vos tanta admonitione vestra, sementem quæ Petri ac Pauli satione succreverat, Romanos scilicet et Corinthios commiscuistis. Ambo enim illi in urbem nostram Corinthiorum ingressi, sparso doctrinæ evangelicæ semine nos instituerunt, et in Italiam simul profecti, cum vos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulerunt.* Rectius Pearsonus vertit: *Ita et vos ex tanta admonitione plantationem Romanorum et Corinthiorum a Petro et Paulo factam commiscuistis. Ambo enim in urbe nostra Corintho plantantes nos similiter docuerunt, similiter autem et in Italia audacter docentes circa idem tempus martyrium passi sunt.* Idem Pearsonus formulam ὁμόσε ἰέναι a Valesio aut male translatam aut penitus omissam illustravit loco Platonis in Euthyphrone ἀλλ' οὐδὲν αὐτῶν χρὴ φροντίζειν, ἀλλ' ὁμόσε ἰέναι, et ex Hyperidis oratione contra Athenogenem ἀλλ' ὁμόσε βούλομαι τῷ λόγῳ τούτῳ ἐλθεῖν. Cf. Euseb. H. E. vi. 3. ὁμόσε χωρῶν τοῖς κινδύνοις. Sturz. *Lexic. Xenoph.* t. iii. p. 284. HEIN.

regrinationibus Petri ac Pauli apud Surium in tomo 3. *Caius vero quidam vir ecclesiasticus, et Zephyrinus Romanorum episcopus, et Dionysius Corinthius scribunt, uno tempore et simul Petrum et Paulum subiisse martyrium.* Sed primo falsum est, quod ait metaphrastes de Caio. Quod si quis objiciat, Caium forte id dixisse alio in loco quem non adduxit Eusebius, respondeo Eusebii nostri eam fuisse diligentiam, ut nunquam id omissurus fuerit, si a Caio dictum fuisset. Id enim agit in hoc capite, ut doceat Petrum ac Paulum Romæ passos esse eodem tempore. Ac prius quidem probat Caii testimonio; alterum vero verbis Dionysii. Quod si Caius de tempore martyrii apostolorum idem dixisset quod Dionysius, cur Eusebius id tacuisset hoc loco? Fallitur etiam metaphrastes, dum Zephyrinum ejus rei citat auctorem. Videtur enim legisse in Eusebio, καὶ Ζεφυρῖνος Ῥωμαίων γεγονὼς ἐπίσκοπος. In synodo Rom. sub Gelasio pontifice hæc leguntur de Petro: *Cui data est etiam societas b. Pauli; qui non diverso sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Nerone agonizans coronatus est.* VALES. De martyrio Petri Romæ Eusebius quoque infra agit iii. 1. 30. cf. Reuterdahl. *de fontibus Historiæ Eccl. Euseb.* p. 20. *Quis non largitur in testimoniis hisce falsi aliquid posse contineri? Quis vero ideo statuere audeat, nihil nisi falsa in iis contineri?* De sepulcris apostolorum illorum idem V. D. conferri jubet Münterum in *Historia persecutionis antiquiss. Christian.*, inserta *Actis diœces. Seland. litterariis* t. i. Fasc. 3. p. 519. sqq. Præterea cf. Cramer. *Fortsetzung des Bossuet* t. ii. p. 501. sq. HEIN.

26, In. tit. Pene omiseram monere, in titulo hujus capitis scribendum videri τὸ ὕστατον adverbialiter. Sic enim vertit Rufinus: *Ut innumeris Judæi malis afflicti sint, ac novissime contra Romanos arma moverint.* VALES. Valesio in eo assentitur Strothius, sed temere. Neque enim ex Rufini interpretatione h. l. sequitur, scribendum esse τὸ pro τόν. Cf. supra cap. xviii. pag. 104. HEIN.

26, 2. τὰς πόλεις μεστάς] Verba sunt Josephi ex lib. ii. de Bello Judaico pag. 814. editionis Genevensis. VALES.

LIB. III.

I, I. Θωμᾶς μὲν—τὴν Παρθίαν] Idem scribit Clemens in lib. ix. recognitionum, apud quem Petrus ita loquitur: *Denique apud Parthos, sicut nobis Thomas, qui apud illos evangelium prædicat, scripsit, non multi jam erga plurima matrimonia diffunduntur.* Fortunatus in carmine primo libri quinti:

Bellica Persidis Thomæ subjecta vigori;
Fortior efficitur victa tiara deo.

Vide notationes Baronii ad martyrologium Romanum. Innominatus auctor in Homilia 2. in Matthæum, de magis Persicis loquens ita scribit: *Denique cum post resurrectionem Domini, Thomas apostolus isset in provinciam illam, adjuncti sunt et baptizati ab eo, facti sunt adjutores prædicationis illius.* VALES. Vid. Reuterdahl. *de Fontt. Hist. Eccles. Eus.* p. 28. sq. cf. Thilo *ad Acta Thomæ Apostoli* p. 86. sqq. 97. sqq. Pagi *Crit.* vol. i. p. 421. Augusti *Denkwürdigkeiten* t. iii. p. 219. sqq. p. 222. HEIN.

Ib. τοῖς ἐν διασπορᾷ] Judæi per totum orbem dispersi sunt variis temporibus et varias ob causas. Primo quidem cum abducti sunt ab hostibus in Babylonem et in Ægyptum ac Syriam: cumque a Romanis duce Pompeio victi et in servitutem redacti sunt. Deinde spontanea migratione; ut contigit temporibus Machabæorum, cum quidam sponte ex Judæa in Ægyptum sedes transtulerunt. Lex enim non vetabat ne Judæi in alias terras migrarent, ut ex libro Ruth colligere est. Tertio id contingebat ob proselytos: quos cum ex omnibus gentibus admitterent Judæi, hinc fiebat ut per totum orbem dispergerentur. Sperabant autem Judæi, venturum quandoque Messiam, qui ipsos ita ut diximus dispersos ac dissipatos, in unum colligeret. Ita in cantico Aggæi et Zachariæ qui est Psalmus 146. Οἰκοδομῶν Ἱερουσαλὴμ ὁ Κύριος, καὶ τὰς διασπορὰς τοῦ Ἰσραὴλ ἐπισυνάξει. i. e. populum Israel ex dispersione rediget, ut loquitur Tertullianus in lib. iii. cont. Marcion. VALES.

Ib. ταῦτα Ὠριγένει] Cum Eusebius hic dicat, superiora ex libro 3. explanationum Origenis in Genesim esse desumpta, dubitari merito potest, unde incipiant Origenis verba: an a

vocibus illis Θωμᾶς μὲν, ὡς ἡ παράδοσις, etc., an potius ab istis Πέτρος δὲ ἐν Πόντῳ, etc. Neque enim Eusebius satis distincte nobis notavit, quodnam esset initium Origenis verborum [a]. In codice Mazarino ac Med. ad latus hujus lineæ hanc notam appositam inveni φ. De qua nota jam multa dixi ad initium libri primi. Verum quid hic significet, difficile est affirmare. Neque enim ὡραῖον denotat, cum nulla venustas et elegantia in hoc loco possit reperiri. Forte igitur hæc nota est, quam Isidorus vocat φ. et ρ. Qua monemur intendendum esse sollicite, undenam incipiant Origenis verba. VALES.

2, 1. Λῖνος] Hunc post mortem Petri episcopum Romæ factum esse cum Eusebio statuunt Syncellus et Theodoretus ad 2. Tim. iv., ac plerique recentiores ex Latinis annos ei undecim aut duodecim tribuentes. Contra aut vivo adhuc Petro Linum Romæ episcopum nec post illius mortem in vivis fuisse, aut eodem anno quo Petrum passum esse cum Onuphrio aut etiam priori, veri similius esse dicit Pearson. *de annis primorum Romæ Episcoporum* p. 154., laudante Readingo ad h. l. Irenæum enim ita diserte tradere ordinationem: *fundantes igitur et instruentes beati apostoli ecclesiam Lino episcopatum administrandæ ecclesiæ tradiderunt.* Consentire præterea Epiphan. Hær. xx. et veterem indiculum, qui Linum mortuum esse tradat Capitone et Rufo coss. s. anno C. 67. cum Petrus et Paulus passi non sint ante a. 68. Italico et Turpiliano coss. Chronicon quoque Metense hæc habere: *Nisi tempora pontificatus Lini atque Cleti sub spatio præsulatus b. Petri comprehenderis, non sibi consone respondebunt anni pontificum Romanorum annis Imperatorum.* Cletum tamen aut ex pontificum numero esse eliminandum, aut Anencletum in ejus locum substituendum, a quo male distinguatur. Quanquam contra Pearsonum disputantem cf. Cave *Hist.* t. i. p. 16. ad a. C. 64. Præterea Romanorum episcoporum indices ad manum fuisse Eusebio, recte conjicit Reuterdahl. *de fontt. Hist. Eccles. Eus.* p. 58. 60. 61. vid. Euseb. v. 6. 7. cf. iv. 22. Satis autem lu-

a Cf. Reuterdahl. *de Font. Hist. Eccl. Eus.* p. 24., qui non definire audet, utrum quæ de Johanne h. l. et ejus exilio Pathmico iii. 18. et de diuturna quam gesserit ecclesiarum Asiæ minoris procuratione et morte ejus Ephesina leguntur, ex sola traditione manaverint an ex biblicis quibusdam simul orta sint. Sed Apoc. i. 9. certe non omisisset laudare Eusebius, si inde confirmari sua posse crederet. HEIN.

brica est ea conjectura (p. 59.) qua duplicem illorum catalogum cognovisse Eusebium inde colligit V. D., quod de prioribus tantum episcopis Romanis præter annorum numerum, quibus episcopi fuerunt, etiam quo imperatorum anno munere suo fungi cœpissent, Eusebius retulit. Cf. quoque Cramer. *Fortsetzung des Bossuet* tom. ii. p. 628. sq. HEIN.

3, 1. Ἀνωμολόγηται i. e. *sine controversia* pro authentico et genuino libro habetur. Eadem significatione ἀνομολογεῖσθαι legitur infra c. 24. 25. 38. iv. 7. extr. Sed veteres plane contrariam tribuunt passivo illius vocis significationem quamvis probabiliter solo participio passivi ita utuntur. Vid. Heindorf. *ad Plat. Gorg.* p. 495. A. cf. Passow. s. h. v. Omisit verbum Suicer. in *Thes.* Similiter autem ἀνάπυστος, quod vulgo dicitur de homine vel re notissima et omnium sermone decantata (vid. Abresch. *ad Aristænet.* p. 130. cf. Herodot. vi. 64. Hom. Od. xi. 247.), in Orphei Argonaut. v. 1166. p. 212. ed. Hermann. dici videtur de re *inaudita, vix credenda.* cf. Pausan. Bœot. cap. 9. p. 721. Neque tamen hanc significationem agnoscit Passow. s. v. ἀνάπυστος. Latini vero verba cum præpositione *in* conjuncta utraque ratione, tum affirmativo tum negativo sensu usurpare certum est. Cic. de Invent. ii. 53. 30. *immutata* i. e. *haud mutata.* de Nat. Deor. ii. 40. 25. Terent. Andr. i. 5. 7. Contra Terent. Eunuch. ii. 1. 19. Adeon' homines *immutari* ex amore? i. e. *mutari.* Hecyr. iii. 3. 9. HEIN.

Ib. τό τε λεγόμενον αὐτοῦ κήρυγμα, καὶ τὴν καλουμένην ἀποκάλυψιν] Miror quod hic Eusebius dicit, Petri librum qui κήρυγμα dicebatur, ejusque apocalypsim a nemine veterum presbyterorum citari. Certe Clemens in libris hypotyposeon, Petri apocalypsim laudat, teste ipso Euseb. in cap. 14. libri 6. Quod spectat ad librum qui κήρυγμα, seu prædicatio Petri dicebatur, citatur etiam ab eodem Clemente in libris hypotyposeon, sive in excerptis Theodoti, ut dicemus ad cap. 14. lib. vi. Origenes quoque in tomo 13. Expositionum in Joannis evangelium, mentionem facit hujus libri, et ex eo profert testimonium. Sed utrum liber ille genuinus sit, an nothus, an mixtus, alibi se dicturum pollicetur. Vetus auctor in tractatu de hæreticis non rebaptizantibus, quem Nicolaus Rigaltius edidit in notis suis ad Cyprianum, hunc librum ab hæreticis confictum esse testatur. *Est autem adulterini hujus, immo in-*

ternecivi baptismatis, si quis alius auctor, tum etiam quidam ab iisdem ipsis hæreticis propter hunc eundem errorem confictus liber, qui inscribitur Petri prædicatio. Denique Lactantius in lib. iv. cap. 20. hujus libri mentionem facit. VALES. Epiphan. Hæres. xxx. apud Ebionitas invenit περιόδους Πέτρου. Cf. Cave *Hist. Litt.* t. i. p. 5. Moshem. *Dissertt. ad Historiam Eccles. pertt.* vol. i. p. 174. sq. Neander. *Entwickelung der Gnostischen Systeme* p. 361. sqq. HEIN.

Ib. ἐν καθολικοῖς i. e. inter scripta canonica. Vide indic. verbor. s. v. καθολικός. HEIN.

3, 2. Προϊούσης δὲ τῆς ἱστορίας] Pessime hunc locum interpretati sunt Rufinus et Christophorsonus, ut eruditus lector facile deprehendet, si utriusque versionem consulere voluerit. VALES.

Ib. τίνες—ὁποίαις ita h. l. sunt inter se connexa, ut nonnisi una existat interrogatio, id quod ipsis antiquis Græcis haud infrequens est. v. c. Xen. Apol. i. 4, 14. ὅταν τί ποιήσωσιν ibid. ii. 2, 3. τίνας οὖν ὑπὸ τίνων εὕροιμεν ἂν μείζονα εὐεργετημένους; vid. Wyttenb. *Epist. crit.* p. 181. cf. Sturz. *Lex. Xenoph.* t. iv. p. 305. k. sq. Statim post contra apud Eusebium legitur τίνα τε—καὶ ὅσα. Sed v. 18. τίς οὖν τίνι χαρίζεται τὰ ἁμαρτήματα; Neque aliter loquitur Luc. xix. 15. ἵνα γνῷ τίς τί διεπραγματεύσατο. HEIN.

Ib. παρὰ τοῖς πάλαι πρεσβυτέροις ὁμολογουμένην] Codex Mazarinus ac Med. cum Fuk. et Savil. scriptum habent ὡμολογημένην. VALES.

3, 3. πρὸς τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας] Rufinus vertit: *Scio tamen apud Latinos de ea quæ ad Hebræos inscribitur, haberi dubitationem.* Optime meo quidem judicio. Nam Eusebius Ῥωμαίους vocare solet omnes Latinos; ut in lib. ii. cap. 25. ubi Tertullianum vocat Romanum: τούτου δὲ πάλιν ὁ Ῥωμαῖος Τερτυλλιανὸς, etc. Et in cap. 2. ejusdem libri de eodem Tertulliano ita loquitur: ἀνὴρ τά τε ἄλλα ἔνδοξος, καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν. Si quis tamen Romanæ urbis ecclesiam hoc loco intelligere maluerit, equidem non valde repugnabo. Id enim sensisse videtur Caius in disputatione quam scripsit Romæ adversus Proclum. Ejus verba habes infra in lib. vi. cap. 20. Porro hunc Eusebii locum innuit Theodoretus in proœmio commentariorum in Epistolam ad Hebræos, ubi

ait Eusebium hanc epistolam Paulo apostolo adjudicasse. VALES.

Ib. τὰ περὶ ταύτης vid. infra vi. 14. 20. HEIN.

Ib. Ἑρμᾶ, οὗ φασὶν ὑπάρχειν τὸ τοῦ Ποιμένος βιβλίον] Quidam existimant hunc librum, qui dicitur pastor, non ab Herma illo cujus meminit Paulus in Epistola ad Romanos, sed ab alio Herma multo recentiore scriptum fuisse, qui Pii Romani pontificis frater fuit, ut tradit auctor libri de pontificibus Romanis [b]. Exstat hodie hic pastoris liber in Latinum sermonem translatus. Ejusque testimoniis utuntur Origenes, Irenæus et Athanasius. Rufinus in Interpretatione Symboli, inter libros qui in ecclesia quidem leguntur, auctoritatem tamen sacræ scripturæ non habent, memorat librum Pastoris seu Hermetis, qui dicitur duæ viæ vel judicium Petri. VALES. Cf. Iren. iv. 3. HEIN.

4, 1. Τοὺς—τὸν Χριστὸν εὐαγγελιζόμενος, i. e. *Christum annuncians* (tanquam Messiam) *Judæis*. Constructio autem verbi εὐαγγελίζεσθαι h. l. est paulo notabilior. Namque in N. T. certe illud cum accusativo personæ conjungitur nonnisi ita, ut significet: *ad doctrinam divinam aliquem instituere*, hoc contra loco duplici accusativo juncto significari eo patet: *annunciare alicui aliquid*, quo sensu in N. T. semper dativus personæ vocem illam sequitur. Nihilo tamen minus præferendam puto cum Valesio et Strothio lectionem τοὺς lectioni τοῖς, quam exhibent Ion. Cast. Cph. Quamvis enim nesciam, an non fides habenda sit Lobeckio *ad Phryn.* p. 268. ubi εὐαγγελίζεσθαί τινά τι eo sensu ut sit: *annunciare alicui aliquid*, legi quoque dicitur apud Alciphr. Epist. iii. 12. et Heliod. ii. 16.,

[b] Cf. Muratori *Antiqq. Italic. medii ævi* tom. iii. p. 853. Pseudo-Tertullian. carmen contra Marcionitas lib. iii. c. 9. p. 366. ed. Venet. Opp. Tert. Cave *Hist.* t. i. p. 20. Du Pin *Auctorum eccles. biblioth. nov.* vol. i. s. v. Hermas. Moshem. *Commentt. de Rebus Christ. a. C. M.* p. 162. sqq. p. 163. ubi Moshemius de Herma: "*Aut*, inquit, *mente captus fuit et fanaticus, aut, quod verisimilius est, licitum sibi duxit colloquia cum Deo et Angelis fingere, quo dogmata et præcepta quæ vera et popularia fratribus putabat, faciliores aures et animos invenirent.*" Ejusd. *Dissertt. ad Hist. Eccles. pertt.* vol. i. p. 262. Schröckh. *Christl. Kirchengesch.* t. ii. p. 274. sq. Recentissimo tempore scripsit Gratz. *Disquisitionum in Pastorem Hermæ* part. i. Bonnæ 1820. 4. Ibi pag. 9. hæc leguntur: "*Scriptorem quendam anonymum seculo secundo composuisse hunc librum, fingendo colloquia et visa divina, quibus plebem erudiat, piisque fabulis percellat animos. Nec minus induisse personam Hermæ, ut faciliores et aures et animos inveniat; quæ omnia apprime ingenio seculi secundi correspondere, neminem historiæ chr. peritum præterit.*" HEIN.

id quod non agnoscit Winer. *Neutest. Gramm.* p. 83. c., tamen non video, cur eandem significationem non obtinere censeat Winerus *apud Euseb. Vit. Const.* iii. 26., quem locum idem laudavit Lobeckius. Recte enim ibi verba: εὐαγγελιζόμενος τὰς γυναῖκας vertisse Valesium: *felicem nuntium afferens mulieribus*, tum præcedentia tum sequentia docent, in quibus de institutione quadam plane non sermo est. Itaque ad scriptores tantum N. T. restringendum erit, quod l. l. Winerus dicit: *In the sense of annunciare aliquid* εὐαγγ. *naturally governs only a dative of the person.* Ceterum miror, nostrum locum, qui si quis alius, probat illam insolentiorem constructionem verbi εὐαγγελίζεσθαι, a Lobeckio et Winero fuisse neglectum. cf. Eus. H. E. ii. 1. extr. Rom. i. 15. HEIN.

4, 3. θεοπνεύστοις cf. quæ disputavi ad i. 7. et *Exc.* ii. ac Kestner. p. 65. HEIN.

4, 4. Φασὶ—ἰδίου τινὸς εὐαγγελίου γράφων] Satis hoc explosit Semler. *additt.* ad Towson *Abhandlung über die vier Evangelien* t. i. p. 21. cf. Storr. *Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe des Johannes* p. 253. sq. Natam puto opinionem istam, Lucam evangelium monente et adjuvante Paulo scripsisse, primum quidem ex falsa interpretatione vocis εὐαγγέλιον (2. Tim. ii. 8.) quæ satis mature sensu angustiori de vitæ Jesu Christi commentariis usurpari cœpta est. vid. Justin. M. Apol. ii. p. 98. ed. Cotel. Hieronym. Præf. in Matthæum et Catalog. Scriptt. Eccles. s. v. Lucas. Accedebat, quod Lucas τὰ πλεῖστα συγγεγονὼς τῷ Παύλῳ, ut dicit antea Eusebius. Jam vero hic ipse nullo modo vulgari illi opinioni adhæsisse videtur, quamvis hoc contenderit Reuterdahl. *de fontt.* p. 35. Obstant enim verba, ὃ καὶ χαράξαι μαρτύρεται——παρηκολουθηκέναι et ἃς οὐκέτι δι' ἀκοῆς κ. λ. Ceterum καθὰ——παρηκολουθηκέναι non satis recte vertit Valesius: *prout ab ipsis verbi divini ministris——acceperat, quos etiam omnes se jam dudum assectatum esse profitetur.* Melius Strothius. *wie es ihm von denen erzählt worden, die vom Anfang an Augenzeugen und Diener des Worts gewesen, welchen er auch von Anfang an, wie er selbst sagt, gefolgt ist.* Locum vero Luc. i. 3. nec Eusebium recte interpretatum esse apparet. Vid. Kuinol ad h. l. Cf. Reiskius *Indic. in Demosthen.* pag. 566. Hug.

Einleitung ins Neue Testam. t. ii. p. 120—128. De Luca medico ibid. p. 131. sq. Eichorn. *Einleitung in das N. T.* t. i. p. 624. sq. Col. iv. 14. HEIN.

Ib. Κρίσκης μὲν ἐπὶ τὰς Γαλλίας] Locus Pauli exstat in posteriore Epistola ad Timotheum [c] ubi hodie quidem legitur: Κρίσκης εἰς Γαλατίαν. Sed veteres quidam, atque in his Eusebius, legisse videntur εἰς Γαλλίαν. Et sic scribendum esse in Epistola Pauli, contendit Epiphanius in hæresi Alogorum numero xi. [d] Eusebii scripturam secutus est Hieronymus in catalogo, ejusque interpres Sophronius, et alii recentiores. Verior tamen est altera lectio εἰς τὴν Γαλατίαν [e] quam confirmat Clemens in constitutionibus apostolicis [f]. Theodoretus in loco illo b. Pauli legit quidem Γαλατίαν; sed eo nomine Gallias ait significari ad quas missus erat Crescens. Certe Galli Crescentem sibi vindicant, Viennenses et Moguntini. Vide Serarium in lib. ii. Moguntinarum Antiquitatum. VALES.

4, 5. τρίτος ἐπίσκοπος] Tertium post Linum et Anencletum Romæ episcopum fuisse Clementem non solum iterum tradit infra cap. 15. Eusebius, sed cum eo etiam Epiphanius Hær. xxvii. 6., Irenæus iii. 3. et Hieronymus de vir. illustr. c. 15. ita ut anno fere 91. Clemens episcopus factus sit. Cf. Schröckh. *Christl. Kirchengeschichte* t. ii. p. 234. 267. At Tertullianus de præscript. hær. c. 32. scriptor constitutionum apostolicarum ac teste Hieronymo plures alii illud potius affirmant, Petrum munus episcopale ad Clementem detulisse. Has discrepantes sententias ita conciliare studuit Cave *Hist. Litt.* t. i. p. 17., ut putemus duos diversos Romæ fuisse cœtus Christianorum ex paganis et Judæis et illorum quidem cœtui Paulum præfecisse Linum, horum Petrum Clementem, qui vero mox mortuo Lino et Anencleto alterius quoque cœtus curam nactus sit. Cf. cap. ii. supra. Errasse autem Eusebium contendit I. Vossius in epistola secunda ad Rivetum vindic. Pearson. adjecta in eo, quod initium episcopatus Clementis contulerit ad annum C. 93. cum recte in Chronico Damasi statuatur a. 67. cf.

c Cap. iv. HEIN.

d Cf. Petav. *Animadvers.* ad. h. l. p. 90. HEIN.

e Ita Cph. HEIN.

f Cf. Kestner. p. 74. §. 64. HEIN.

Pagi *Critic.* vol. i. p. 70. Pearson. ac Dodwell. *de successione primorum Romæ episcoporum.* HEIN.

Ib. Διονύσιος] Cf. quos citat Reading. ad h. l., Cave *Hist.* t. i. p. 15. Halloixius *de illustr. Eccles. Orient. scriptor.*, Pearson. *Vind. Epist. Ignat.* part. i. c. 10. 4. Pagi. *Crit.* t. i. p. 88. sqq. HEIN.

5, 1. Τῶν ἀμφὶ—Ὄθωνα i. e. Galba et Othone. Constat ipsis Atticis scriptoribus haud infrequentem esse eum locutionis οἱ ἀμφὶ, περί τινα usum, quo ea nihil exprimitur nisi: *aliquis.* cf. Æschin. Diall. iii. 12. 20. Bene autem quomodo ille usus exstiterit, docet Passow. s. ἀμφὶ C. 2. et περὶ C. 2. b. cf. Herm. *ad Vig.* p. 700. Winer. *Neutest Gramm.* p. 53. 6. Eus. H. E. viii. 6. Contra v. 3. significari potius puto Montanum, Alcibiadem, et Theodotum cum suis sodalibus, non cum Val. illos solos. HEIN.

5, 2. κατά τινα χρησμὸν] Vid. Paulus *Commentar über das Neue Testam.* tom. iii. p. 429. Cf. ibid. p. 414. 434. 453. 459. Joseph. B. J. v. 4. τὸ ἐπᾶραν αὐτοὺς μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος (?) ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εἰρήμενος γράμμασιν (Dan. vii. 12—15. 27. 28.?) ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας τὶς αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης κ. λ. Sueton. Vespas. c. iv. *Percrebuerat toto oriente vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæi profecti rerum potirentur*, etc. Cf. Ernesti ad h. l. Bretschneider. *Capita theolog. Judæorum dogmat. e Fl. Josephi scriptis collecta.* p. 36. sqq. Ammon. *Biblische Theologie* tom. ii. p. 19. sq. Keilii *Opusc. Acadd.* p. 31. ed. Goldhorn. HEIN.

Ib. Πέλλαν αὐτὴν ὀνομάζουσιν] Idem tradit Epiphanius in Hæresi Nazaræorum cap. 7. Christianos scilicet qui Hierosolymis habitabant, de imminente obsidione a Christo præmonitos, Pellam se contulisse. In libro autem de ponderibus et mensuris[g], Christi discipulos ab angelo admonitos, Pellam migrasse scribit: postea vero cum Hadrianus Hierosolyma instaurasset, et ex suo nomine Æliam coloniam appellasset, eo reversos esse. Porro cum Eusebius nullum hujus rei citet auctorem, satis apparet illum ex veterum traditione ista scripsisse, cum alioqui ipse vicinus esset iis locis. VALES.

[g] §. xv. p. 171. HEIN.

5, 4. Χρῆν γοῦν] Ante hæc verba Christophorsonus locum integrum Josephi inseruit ex lib. vi. de Bello Judaico, contra fidem manuscriptorum codicum, et absque ulla necessitate. Certe nec Rufinus nec Nicephorus illum Josephi locum inseruerunt; et Eusebius satis habuit illum indicare, et verba quædam ex eo depromere, ut sunt illa ὥσπερ ἐν εἱρκτῇ. Quæ quidem ipsamet verba Josephi esse, satis indicavit Eusebius, cum dixit: ὥσπερ ἐν εἱρκτῇ ῥήμασιν αὐτοῖς ἀποκλεισθῆναι εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα ἀμφὶ τριακοσίας μυριάδας τὸ πλῆθος ἱστορεῖ. VALES. Cf. Stroth. *Uebersetz.* t. i. p. 142. not. 9. *To conclude, Eusebius has here taken the whole number, whereas Josephus only says that it was* 2700200, *exclusive of lepers, defiled, and other unclean men and women who were not allowed to eat the passover.* HEIN.

6, 2. Ἤδη παρῳδεύοντο] Prava hujus loci interpunctio quæ habetur in editione Stephani, Christophorsonum in errorem induxit. Atqui facile erat eam restituere in hunc modum, οἱ τηκόμενοι δὲ ἤδη, παρῳδεύοντο. Ut scribitur apud Nicephorum, et in codice Maz. et Med. VALES.

Ib. Pro ἀντικατηλλάξαντο ex Jos. Nic. Steph., Stroth. scripsit ἀντηλλάξαντο. Cph. ἀντικατάξαντο solo, ut videtur, errore typographico. HEIN.

6, 3. αἰδῶς] Ad sententiam cf. Prov. x. 4. πενία ἄνδρα ταπεινοῖ. HEIN.

6, 5. Καὶ—ἀνάγκης brachylogia quædam pro: τὸ μετ' ἀνάγκης βασανίζειν. Recte igitur vertit Valesius: *Minus enim crudele visum fuisset, si necessitate adacti talia perpetrassent.* Eadem est ratio verborum sequentium γυμνάζοντες δὲ τὴν ἀπόνοιαν κ. λ. ubi fere hæc subaudienda sunt: *Crudelius agebant, cum* etc. Vales. minus recte: sed *id agebant*, ut audaciam suam—confirmarent. Videtur igitur ἦσαν post βασανίζοντες supplesse. At oppositionis natura postulat, ut contrarium eorum, quæ si non verbis, certe re præcesserunt, καὶ—ἀνάγκης i. e. ad sensum: *minus crudele egissent*, subaudiamus, i. e. *crudelius agebant.* HEIN.

6, 6. Ἀγαπητὸν—σεσυλημένον i. e. *beati sibimet ipsis videri debebant*, si spoliati, non etiam necarentur. Cf. Ælian. V. H. xiii. 41. οὐκ ἀγαπᾷς ἀποθνήσκων μετὰ Φωκίωνος. Xenoph. Cyr. iv. 3, 4. Eodem sensu ἀγαπᾷν conjungitur cum εἰ, ἤν, ὅτι.

Vid. Sturz. *Lexic. Xenoph.* tom. i. p. 14. sqq. cf. Bergler. *ad Alciph. Epist.* p. 23. Infinitivo ἀγαπᾷν ita jungitur apud Julian. Epist. ad Themist. p. 254. ed. Spanhem. ἀγαπήσεις καὶ ναῦν πόρρωθεν κατιδὼν προσειπεῖν τοὺς ἐπιπλέοντας i. e. *beatum te putabis*, si vel navem e longinquo cernere potueris ac vectores salutare, interprete Petavio. Imitati autem sunt illud loquendi genus ratione memorabili scriptores Romani. cf. Horat. *Sat.* ii. 7, 31. *ita te felicem dicis amasque.* Ibid. i. 2. 23. sq. Cic. ad Att. iv. 16. Belle, me hercule, et in eo *me* valde *amo.* HEIN.

6, 8. εἰς τὸν ναὸν ἐφεώρα] Notanda est religio Judæorum, qui ubicumque terrarum essent, oculis in urbem sacram et in templum conversis, Deum supplices orabant. Cujus moris exemplum est in capite vi. Danielis. Εἰσῆλθε τὸν οἶκον αὐτοῦ· καὶ αἱ θυρίδες ἀνεῳγμέναι αὐτῷ ἐν τοῖς ὑπερῴοις αὐτοῦ κατέναντι Ἱερουσαλήμ· καὶ καιροὺς τρεῖς τῆς ἡμέρας ἦν κάμπτων ἐπὶ τὰ γόνατα αὐτοῦ. Ad quæ verba notat Hieronymus: *Orat autem secundum præceptum Dei, dictaque Salomonis, qui contra templum orandum esse admonuit.* Sic etiam in Esdræ cap. 4. juvenis ille Judæus oculis in cælum sublatis versus Hierusalem Deum laudasse dicitur. Atque hinc manasse mihi videtur consuetudo Christianorum, qui ad ortum solis conversi Deum orabant, more accepto a Judæis qui ex circumcisione ad Christum transierant. VALES. Cf. Kortholt. *Pagan. obtrectat.* ii. 2. 3. p. 273. 287. sqq. HEIN.

6, 9. ἰχῶρα] vid. Galen. Meth. iii. 3. ἐν τοῖς ἕλκεσιν ἰχὼρ μὲν καλεῖται τὸ λεπτὸν περίττωμα, ῥύπος δ' ἕλκους, τὸ παχύ. cf. Euseb. vii. 21. νεκρῶν ἰχῶρας et Chrysost. t. i. p. 342. B. ubi de Jobi malis agitur, qui locus dignus est, ut cum nostro accuratius conferatur. Apud Homerum constat illam vocem usurpari de liquore illo sanguineo in deorum venis fluente: cf. Iliad. v. 340. Ceterum loca a me laudata sunt insignia propterea quod in iis recte et ipsorum veterum Atticorum exemplo usurpatum est ἰχὼρ, non ἰλύς, quod in aqua, neque vero in cujusvis generis sedimentis illos dixisse docuit Lobeck. *ad Phrynich.* p. 72. sq. Iidem in oleo ἀμοργὴ, in lacte ὀρὸς, in vino τρὺξ dixerunt. Ad βαθὺν ἰχῶρα cf. supra ii. 18. pag. 104. sq. HEIN.

6, 10. Πίστις δ' ἀπορίας] Hunc locum Christophorsonus longa verborum ambage, ut fere solet, involvit potius quam exposuit, nec magis fideliter Gelenius. Rufinus autem brevius quidem quam nos vertit: *Fides autem nec mortuis erat.* Sed verbum ἀπορίας omisit, *et morientibus* dicere debuit, non *mortuis.* VALES.

6, 12. Βαθεζὼρ] Stroth. conjicit esse urbem illam haud diversam ab ea, quæ in libris sacris dicitur Βήθσουρα. HEIN.

6, 13. οὔτε—καὶ h. l. et supra eodem modo dictum est, quo Latini dicunt: *neque—et.* Cf. Held. *ad Cæsar. B. C.* iii. 28. HEIN.

Ib. εὑρεῖν σιτίον ἄλλοις] Id est, *prædonibus, non sibi.* Itaque non placet lectio illa quæ ad marginem editionis Genevensis adscribitur ἄλλως. Quam Savilius quoque ad oram libri sui apposuit. VALES.

6, 14. τοῖς στασιασταῖς ἐριννὺς] Erinnym dixit Josephus non eodem sensu quo Græci, qui deas quasdam apud inferos esse credebant, quæ noxios homines ac præcipue cædis reos persequerentur. Sed Erinnym dixit pro ποινήν. Credebant enim Judæi perinde ac Græci, umbras eorum qui occisi fuerant, persequi interfectores suos, et pœnas ab illis exposcere. Sic apud Virgilium in libro quarto Dido ait:

Omnibus umbra locis adero.

Eodem sensu accipio verba illa quæ leguntur in cap. iv. Geneseos: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Id est: Frater tuus quem impie occidisti, postulat ut se ulciscar, et cædis suæ pœnas a te exigam. Sequitur deinde: *Vagus et profugus eris super terram.* Id est: umbra fratris tui quem occidisti, persequetur te ubique, et aderit infesta. VALES.

7, 2. Συγγραφεὺς] Cf. Jos. B. J. i. 6. 45. HEIN.

Ib. εἰς ἐννέα μυριάδας] Hallucinatur Eusebius. Neque enim Josephus hoc dicit, sed tantum affirmat, numerum eorum qui toto belli tempore capti sunt a Romanis, ad nonaginta septem hominum millia pervenisse. Locus est in fine libri vi. Itaque merito Christophorsonus hoc loco Eusebii verba aliquantulum immutavit. VALES.

7, 5. ὡς ἀληθῶς ut ipsi Græci loquuntur. Cf. Plat. Crit. ix. μὴ ὡς ἀληθῶς ταῦτα—σκέμματα ᾖ Xen. Cyrop. iv. 4. 1. ὡς ἀδρείως Lucian. Hermot. 56. ὡς ἀκριβῶς. Neque vero ὡς in ejusmodi locutionibus redundat, ut censent Bergler. *ad Alciph.* p. 126. sq. Kœnius *ad Gregor.* p. 51. Budæus *Commentarr. Ling. Gr.* p. 956., sed auget vim adverbiorum, ut v. c. ὡς ἀληθῶς sit: tam verum, quam illud esse potest, i. e. verissimum. Vid. Heindorf. *ad Plat. Cratyl.* 27. Passow. s. v. ὡς. A. ii. 3. Eodem modo explicandum est ὡς ἐν βραχέσι supra i. 2. = ὡς βραχέως, *ganz in der Kürze.* Neque aliter ὡς accipiendum 2. Cor. ii. 17. ὡς ἐξ εἰλικρινείας—ὡς ἐκ Θεοῦ—λαλοῦμεν i. e. animo *plane* candido—*solo* Deo teste doceo. Denique Latini quoque ita utuntur *quam.* Vid. Cæs. B. C. i. 55. *quam* magnum numerum. cf. Held. ad h. l. HEIN.

Ib. ταῖς ἱστορίαις ἐπιλέγειν] Male Christophorsonus vertit *in hac historia disserere non est omnino necesse.* Rectius Musculus: *non opus est ut historiis addamus aliquid.* Historias vocat Eusebius libros Josephi de excidio urbis Hierosolymitanæ, non historiam suam, ut putavit Christophorsonus. VALES.

7, 6. τεσσαράκοντα—ἔτεσι] Chrysost. t. v. p. 959. οὐ γὰρ εὐθέως ἐπήγαγεν ἐπ' αὐτοὺς τὴν κόλασιν, ἀλλὰ τεσσαράκοντα καὶ πλείονα ἔτη διέλιπε μετὰ τὸν σταυρόν. VALES. Cf. Pagi *Crit.* t. i. p. 23. citante Readingo ad h. l. HEIN.

Ib. Οὐδὲν οἷον] Cf. quæ monui supra i. 8. pag. 36. HEIN.

8, 1. Προσεῖχον, sc. Judæi, ἐκεῖνοι, qui continentur in nomine collectivo δῆμος. Præcedentia verba τὸν—παρέπειθον non accurate vertit Vales. hoc modo: Et falsis quidem illis vatibus atque a Deo se missos mentientibus *infelix populus fidem adhibebat.* HEIN.

Ib. Τοῦτο μὲν ὅτι] Scribo ὅτε, ut est apud Josephum in lib. vii. p. 960.[h] Ceterum Nicephorus quidem astrum hoc gladio simile, et cometen qui per annum continuum apparuit, unum idemque sidus esse existimavit, non recte ut opinor. VALES.

8, 2. τοῖς δὲ ἱερογραμματεῦσι] *Legis peritos* vertit Rufinus, non male. Scribæ enim apud Judæos, iidem erant ac legis

[h] Ὅτε cum Str. dedi. HEIN.

periti seu legis doctores, ut recte notavit Petavius in animadversionibus ad Hæresim 15. Epiphanii. Horum munus erat sacros legis libros custodire, eosdemque legere coram populo in templo et in synagoga. Unde in capite viii. Esdræ scriba et legis doctor pro eodem sumitur. Sed hæc jam ab aliis notata sunt [k]. Quod vero a nemine adhuc observatum est, præcipuum illorum officium fuit, ut pontificibus assiderent una cum senioribus in judiciis et publico consilio quod *συνέδριον* vocabant. Docet id Lucas in cap. vi. et xxiii. Actuum Apostolorum. Fuit igitur id nomen magistratus apud Judæos, sicut apud Græcos. Et quemadmodum *γραμματεῖς* in Græcia concionibus et judiciis intererant, legumque et plebisscitorum ac senatusconsultorum custodiam habebant, sic etiam scribæ apud Judæos legis erant custodes. Eum certe honorem non exiguum fuisse, apparet ex multis evangelii locis, in quibus fastus eorum et insolentia a servatore perstringitur. Eodem plane modo apud Græcos *γραμματεῖς*, id est scribæ publici, in magna erant dignitate. Nam et nomen eorum senatusconsultis ac plebisscitis præfigebatur, ut ex Aristophane alibi notavi: et in concionibus magnam habebant auctoritatem, ut patet ex iis quæ refert b. Lucas de scriba publico civitatis Ephesiorum in capite xix. Apud Judæos quidem eo honoratiores erant scribæ, quo Judæi præ cæteris gentibus suam legem venerabantur. Cujus scribæ non solum custodes, verum etiam interpretes erant. Quin etiam consulebantur tanquam prophetæ quidam et antistites et omnium sapientissimi, qui optime interpretarentur signa ac prodigia, et qui legis arcana penitus cognita haberent. Sic in Matthæi cap. xi. Herodes scribas consulit. Et in hoc Josephi loco quem præ manibus habemus, prodigia in cælo visa quid significent, prædicunt scribæ. Eosdem *λογίους* paulo post vocat Josephus. Porro magistratus urbis Hierosolymorum qui *στρατηγὸς* dicebatur, suum habebat scribam, ut docet Josephus in lib. xx. Sed an hic scriba fuerit ex numero illorum legis interpretum, difficile est dicere. Ceterum *ἱερογραμματεῖς* erant apud Ægyptios quidam sacerdotes, qui sacrorum disciplinam et arcanas literas custodiebant, et futura prædicebant. De quibus Josephus in

[k] Cf. Suiceri *Thes.* t. i. p. 781. sq. HEIN.

lib. ii. cap. 5., ubi *ἱερέας* vocat quos supra *ἱερογραμματεῖς* vocaverat. Hi post cantorem et horoscopum, tertio loco procedebant in templum, alas in capite gestantes, atramentum et calamum cum libro præferentes in manibus. Libros item Mercurii hieroglyphicos et de cosmographia, deque terrarum et Ægypti situ, item de Nilo ac de locis in honorem deorum consecratis, custodiæ suæ creditos habebant, ut scribit Clemens Alexandrinus in lib. vi. Lucianus in longævis gentem hanc seu familiam fuisse ait apud Ægyptios. VALES.

Ib. *πρὸς τῶν ἀποβεβηκότων*] Ita legitur in vulgatis Josephi editionibus. Sed quinque nostri codices, Regius scilicet Maz. ac Med. cum Fuk. ac Saviliano diserte scriptum habent *πρὸ τῶν ἀποβεβηκότων.* Atque ita legit etiam Gelenius, sicut ex versione ejus apparet [l]. Certe vulgata lectio ferri non potest. Neque enim Græce dicitur *πρὸς τῶν ἀποβεβηκότων ἐκρίθη.* Dixisset potius: *πρὸς τὰ ἀποβεβηκότα* [m]. VALES.

Ib. *μοχλοῖς μὲν ἐπερειδομένη*] Intelligere videtur cardines quos Gallice *gonfos* vocamus. Iis enim appensa est janua. Male interpretes *seras* verterunt. Posthæc Eusebius omisit nonnulla quæ apud Josephum leguntur, de eo prodigio confestim magistratui nuntiato. Sic enim interpretor eum qui *στρατηγὸς* a Josepho appellatur. De quo officio multa notavi ad librum ultimum Amm. Marcellini. Ejus dignitatis meminit etiam Josephus in lib. vii. de excidio pag. 960. et Lucas in Actibus cap. v. ubi magistratus templi recte vertitur in vulgata editione. VALES.

Ib. *καταπῆγας*] Ad rem Readingus ad h. l. apte laudat Liv. v. 32. 50. Juv. Sat. xi. 111. Cic. de Div. i. p. 272. ed. Lamb. et Valer. Max. i. 75. HEIN.

8, 3. *σκηνοποιεῖσθαι πάντας ἔθος ἦν τῷ Θεῷ*] Post hæc verba virgula notatur in codice Regio, Maz. et Fuk. et apud Josephum: quam interpunctionem secuti sunt Musculus et Christophorsonus. Ego vero cum Gelenio alteram distinctionem sequi malui. VALES.

8, 4. *οἱ ἄρχοντες*] Id est, magistratus templi, et pontifices et scribæ. Hi enim erant magistratus Judæorum, penes quos erat jurisdictio. VALES.

[l] Neque aliter Venet. Stroth. HEIN.

[m] Πρὸ ipse dedi. HEIN.

Ib. δαιμονιώτερον] Valesius vertit: *divinum*, non recte. Neque satis accurate Stroth. *dass er von einer höhern Macht getrieben würde.* Hoc enim potius dicitur, illum hominis impetum fuisse *magis* divinitus immissum, quam hominis ipsius, quæ sententia non minus convenit Judæorum fidei hominem illum propterea diutius punire nolentium. Neque igitur h. l. comparativus pro positivo positus esse credatur necesse est. Sunt enim in universum Græci in comparativi usu satis severi, et non exigua in eo adhibenda est cautio. Cf. Eus. H. E. v. 24. vii. 23. extr. vid. Valcken. *ad Eurip. Phœn.* p. 666. Bremi in *Supplem. Nott. in Nicol. Dam.* p. 52. sq. ed. Orell. Hermann. *ad Eurip. Hec.* v. 1200. cf. Matthiæ *Ausführl. griech. Gramm.* p. 842. 854. Hom. Od. ii. 276. sq. παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται, οἱ πλέονες κακίους κ. λ. ubi nos sane diceremus: *die Meisten von ihnen.* At comparantur pauci, qui patrum sunt similes, cum *longe majori* numero reliquorum. Hinc comparativus. Ibid. v. 350. ubi pro λαρώτερον recentiores cum Eustathio male dederunt λαρώτατος. cf. Xen. Mem. ii. 8. 10. vid. Nitzsch. *Commentatio de comparativis Græcæ linguæ modis* p. 78. cf. Thiersch. *Grammatik, vorzüglich des homerischen Dialekts* §. 281. ed. iii. Neque N. T. scriptores in comparativi usu sunt negligentes. Iis locis, quæ attulit Winer. *Neutest. Gramm.* p. 96. 3., addo hæc: Philipp. i. 12. τὰ κατ᾽ ἐμὲ μᾶλλον εἰς προκοπὴν τοῦ ἐναγγελίου ἦλθεν i. e. quæ mihi mala acciderunt, *magis* profuerunt Christi doctrinæ, quam nocuerunt. 2 Tim. i. 18. βέλτιόν συ γινώσκεις i. e. *melius* tu nosti, quam ut illud ego tibi exponam accuratius. Denique Latini quoque satis sunt constantes in usu comparativi. Vid. Heusinger. *ad Cic. de Offic.* iii. 32. 9. Corte *ad Sall.* p. 680. Ramshorn. *Latein. Grammatik* p. 316. sqq. Contra sæpius nec superlativo recte offendamur. Ita temere Matthæi *in Chrysost.* t. xii. p. 389. D. (vol. ii. p. 24.) pro οὗ τί γένοιτ᾽ ἂν ἀλογώτατον scribi jubet ἀλογώτερον. Vid. Hermann. *ad Vig.* p. 718. cf. Abresch. *Auctar. Thucyd.* p. 272. Matthiæ *Gramm.* p. 862. Xen. Mem. i. 2. 46. Ceterum constat non solum Judæos, verum etiam alios populos, quæcunque essent aliquo in genere insignia et fere unica, non humana quadam arte et consilio, sed ab ipso divino numine effecta credidisse. Sic Aristot. Ethic. viii. 1. observat, Lacedæmonios vocasse

θείους, quos propter virtutem cum maxime suspicerent et admirarentur. cf. Plat. Men. 26. Æschin. Diall. i. 13. Iamblich. de vita Pythag. c. 35. Euseb. H. E. vi. 3. ubi θείῳ non recte vertit Val. *sacro*. Juven. Sat. v, 3. 35. Cic. de Orat. i, 23. ii, 42. Acad. Qu. ii. 43. extr. ed. Schütz. Buttmann. *Lexilogus* tom. i. p. 166. sq. HEIN.

Ib. ἔπαρχον] Rufinus *judicem* vertit, recte. Ceteri interpretes *præfectum* interpretantur, gravi errore. Is erat Albinus præses et procurator Judææ. Recte igitur Musculus *præsidem Romanum* interpretatus est. Quod idcirco monendum existimavi, ut lector agnoscat, Musculum plerisque in locis felicius vertisse quam Christophorsonum. VALES.

8, 5. ὡς ἀπὸ τῆς χώρας αὐτῶν τις] In codice Regio ac Maz. τὶς acuitur. Neque id in hoc solum loco, sed semper in iisdem libris ita fieri observavi, licet nulla sit interrogatio. VALES.

Ib. δικαιότερον—ἀναχθείη cf. quæ observavi supra ii. 2. (pag. 61. sq.) HEIN.

9, 1. Αὐτὸς = αὐτόματος libera animi voluntate, ut apud Homer. Il. xvii, 254. cf. Hermann. *ad Vig.* p. 733. iii. Euseb. de Martyr. Palæstinæ c. 5. αὐτοπαρθένους ubi vid. Vales. cf. Terent. Andr. i. 2. 22. animus *ipse* ægrotus. Ernesti *ad Xen. Mem.* i. 3. 7. HEIN.

Ib. Ῥωμαίους] Sine causa conjecit Gruterus Ῥωμαίοις vel πρὸς Ῥωμαίους, cum ipsi veteres πολεμεῖν τινα dicant, ut sit: hostiliter agere contra aliquem. vid. Bast. *Epist. crit.* p. 112. HEIN.

Ib. ταπρῶτα scribendum duxi pro τὰ πρῶτα, quod dederunt Valesius et Strothius. vid. Wolf. *Præf. Iliad.* p. lxii. Passow. *Lex.* t. ii. p. 610. 4. HEIN.

9, 2. συντάξαντα λόγον] In Nicephoro scribitur λόγους. Quod confirmare videtur Josephus, qui plures libros contra Judæorum gentem ab Apione scriptos esse testatur. Vulgatam tamen scripturam tuetur Hieronymus in catalogo, ubi de Josephi scriptis. VALES.

Ib. τὰ πάτρια] Interpretes omnes, Langus scilicet, Musculus et Christophorsonus cum Rufino, *patrios ritus et instituta* interpretati sunt. Verum hoc vocabulo amplius aliquid significari existimo. Nam Josephus in libris contra Apionem, non

iis solum respondet qui Judæorum leges atque instituta calumniati fuerant. Sed præcipue adversus eos scribit, qui de origine atque antiquitate Judæorum falsa quædam commenti fuerant, ut patet ex libro primo. Sub finem autem secundi libri respondet Apollonio, Moloni et Lysimacho, qui de legibus institutisque Judæorum falsa quædam conscripserant. Πάτρια igitur hoc loco utrumque designat; antiquitatem scilicet, et leges [n]. Notum est vel mediocriter doctis, *πάτρια* sumi pro antiquitatibus. Eoque titulo multi apud veteres exstabant libri, partim soluta oratione, partim versibus scripti. Sic Hermæ Hermopolitæ *πάτρια τῆς Ἑρμουπόλεως* iambico versu scripta laudat Photius in bibliotheca cap. 279. et Horapollinis Grammatici *περὶ πατρίων τῆς Ἀλεξανδρείας*. Christodori quoque poetæ plures ejusmodi libros citat Suidas. Unicus hodie liber Codini exstat hoc titulo inscriptus. VALES.

10, 1. *Δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι*] Totidem erant apud Hebræos libri sacri, quot elementa seu literæ, ut docet Origenes in expositione primi Psalmi, et Hieronymus in proœmio galeato, ubi etiam tres ordines sacrorum voluminum apud illos fuisse testatur. Primus ordo legem continebat, secundus prophetas, tertius hagiographa. Quæ cum Josepho optime conveniunt. Sed in hoc differunt, quod Josephus quidem tredecim libros secundi ordinis facit, secutus scilicet seriem temporum. In tertio autem ordine quatuor tantum recenset libros, aliter ac Hieronymus, tum in illo proœmio, tum in præfatione in Danielem; qui octo quidem prophetarum libros numerat, hagiographorum autem novem. Sed Josephus librum Josuæ et Judicum, Regum item ac Paralipomenon libros et Esdram inter prophetica volumina reposuisse videtur, non quod prophetias continerent, quemadmodum prophetarum libri, sed ideo quod a prophetis essent conscripti. VALES.

10, 4. *ἐπ' αὐτοῦ τῆς ἀρχαιολογίας τοῦ τέλους*] In libello scilicet de vita sua pag. 1026. editionis Genevensis. Qui quidem libellus, epilogus est vicesimi et ultimi antiquitatum libri: a quo male divulsus est in Græco-Latinis editionibus. Epilogum autem esse docet ipse Josephus in calce libri vicesimi, et in fine ipsius opusculi de vita sua. Itaque fallitur Scaliger in

[n] Vertit Val. *Judæorum origines.* Paulo post *παλαιᾶς* sc. *διαθήκης* quod latet in sequenti *ἐνδιαθ.* HEIN.

animadversionibus Eusebianis p. 188. qui Eusebium memoria lapsum hæc scripsisse ait. Fallitur etiam Christophorsonus, qui hunc Eusebii locum corruptum esse existimans interpolavit. Qui si Græcos Josephi codices manu exaratos, aut certe Basiliensem editionem consuluisent, facillime deprehendissent id quod dixi, librum scilicet Josephi de vita sua, nihil aliud esse, quam appendicem vel epilogum libri vicesimi antiquitatum. VALES.

Ib. Ἰοῦστον Τιβεριέα] Hic Justus historiam belli Judaici scripserat, ut docet Josephus in libro de vita sua, et Stephanus in voce Τιβεριάς. Præter hanc historiam scripsit etiam Chronicon regum Judæorum, ut testatur Photius in bibliotheca. Quod opus Agrippæ regi ab illo dicatum fuisse affirmat Scaliger in animadversionibus Eusebianis pag. 176. Additque hæc verba: *Nemo de obitu regis Agrippæ certius pronuntiare potuit quam is qui illi opus suum dedicavit.* Quæ profecto nollem excidisse viro acutissimo. Quomodo enim testari potest historicus de obitu illius cui historiam suam nuncupat? Nisi forte dicamus, Justum Agrippæ mortuo Chronicon suum nuncupasse, quod est absurdum. Sed ut sine auctore illud asseruit Scaliger, Justum Tiberiadensem Chronicon suum Agrippæ regi dicavisse, sic etiam absurdum est quod ex eo adstruxit. Ex Photii autem testimonio constat, id opus a Justo editum fuisse post mortem Agrippæ regis. Historiam quoque belli Judaici post ejusdem obitum a Justo evulgatam fuisse refert Josephus, cum viginti ante annis conscripta fuisset. Ejusdem Justi liber cui titulus erat στέμματα, laudatur a Laertio in Socrate; quem eundem fuisse cum Chronico testatur Photius. VALES.

Ib. μόνον—βλεπομένων vertit Val. "*cum res gestæ pæne adhuc ante omnium oculos versarentur.*" HEIN.

10, 5. βασιλεὺς Ἀγρίππας καί τινες αὐτοῦ τῶν συγγενῶν] Julium Archelaum intelligit et Herodem, ut ipse Josephus indicat in libro i. contra Apionem. Ex his Julius Archelaus sororius erat Agrippæ regis. Quippe Mariamnem sororem ejus duxerat, teste Josepho in fine libri xix. et xx. VALES.

Ib. ὥστε χαράξας τῇ αὐτοῦ χειρὶ τὰ βιβλία] Nicephorus in lib. iii. cap. 11. hæc Josephi verba interpretans ait, Titum libros Josephi de Bello Judaico manu sua descripsisse. Ad

quem locum vide quæ notavit Joannes Langus. Idem quoque scribit in libro ii. cap. 18. his verbis: ἑπτὰ δὲ αὐτῷ εἰς τὴν Ἱεροσολύμων συντάττονται ἅλωσιν· οὓς λόγος ἔχει καὶ τὸν Καίσαρα Τῖτον ἰδίαις γεγραφότα χερσὶ, δημοσιεύεσθαι πανταχοῦ προστάξαι, καὶ τῇ ἐν Ῥώμῃ τῶν βιβλίων ἀναθέσει καταλεγῆναι. Quæ tamen verba Langus contra Nicephori mentem ita interpretatus est: *Quos fama fert Titum Cæsarem manuum suarum subscriptione, publicari ubique, atque etiam in Rom. bibliotheca reponi jussisse.* Omnes tamen interpretes qui hunc Josephi locum in Latinum sermonem transtulerunt, eundem quem Langus sensum secuti sunt, et Josephi libros Titi Cæsaris manu notatos ac subscriptos, non autem ab eo descriptos esse intellexerunt. Ego vero Nicephori sententiam libentius sequi malim. Neque enim aliud mihi sonare videntur hæc Josephi verba: ὥστε χαράξας τῇ αὐτοῦ χειρὶ τὰ βιβλία, δημοσιεύεσθαι προσέταξεν. Ita distinguitur hic locus in cunctis exemplaribus, tam scriptis quam editis. Quod si Josephi locus de sola manus subscriptione intelligendus esset, tum post vocem χειρὶ apponenda esset distinctio. VALES. Ita ipse interpunxi præeunte Strothio, cum haud dubie de subscriptione tantum aliqua Titi, neque vero de librorum ipsius imperatoris manu facta descriptione sit cogitandum. Accedit Rufinus, qui vertit: *ut manu sua subscriberet, publice ab omnibus eos legi debere.* Optima autem videtur sententia Strothii *Uebersetzung* t. i. p. 163. not. 1., ex qua non tam de librorum sed de alicujus jussi regii subscriptione sermo sit, cum Langus ad Nicephorum et alii Josephi interpretes de illa cogitent. Deinde ad χαράξας subaudiendum πρόσταγμα, ex sequenti προσέταξεν. Sed Valesii certe opinio vix cuiquam probetur, neque ipse satis de ea videtur fuisse certus, ut qui vulgatam potius interpretationem retinuerit in ipsa Latina translatione: *ut manu sua subscriptos publicari præceperit.* cf. vii. 30. extr. ubi ὑποσημειοῦσθαι τοῖς γράμμασιν est: edictis subscribere. HEIN.

Ib. δημοσιεύεσθαι] Hanc lectionem secuti videntur omnes interpretes. Rufinus quidem primus ita vertit: *Ut manu sua subscriberet, publice ab omnibus legi debere.* Gelenius vero in hunc modum: *Ut manu sua subscriptos in bibliotheca publicari jusserit.* Sed nescio quid causæ fuerit Gelenio, ut has voces adderet, *in bibliotheca:* nisi forte quia apud Eusebium legerat

in superiori capite, Josephi libros Romæ in bibliotheca publica esse repositos. Quod testatur etiam Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis. Rufini tamen versionem magis probo, qui δημοσιεύεσθαι interpretatur, publice legi. Sic enim hoc verbum sumit Eusebius in lib. ii. cap. 22. ubi de epistt. catholicis Jacobi et Judæ, et in lib. iii. cap. 3. Ceterum ex his Josephi verbis colligere est, historiam belli Judaici ab ipso editam esse imperante adhuc Vespasiano. Antiquitatum autem libri diu postea publicati sunt, principatus Domitiani Aug. anno 13. ut ipse testatur in fine lib. xx. et ad calcem lib. de vita sua. Quod autem librum de vita sua septem annis post antiquitatum libros a Josepho editum esse scribit Scaliger in animadversionibus Eusebianis p. 187., id mihi non videtur probabile. Nam liber ille epilogus est duntaxat lib. xx. ut supra docui: et in ejus calce Josephus imp. Romanos recensens, in Domitiano desinit. VALES.

11, 1. Συμεῶνα τὸν τοῦ Κλωπᾶ] Hæc Eusebii narratio non convenit cum iis quæ scripsit in Chronico. Nam in Chronico quidem statim post Jacobi mortem, Symeonem electum esse scribit, anno Neronis septimo. Hic vero post cædem Jacobi cessavisse episcopatum testatur octo aut novem circiter annis. Hanc tot annorum lacunam ut suppleret auctor Chronici Alexandrini, Jacobi mortem contulit in annum primum Vespasiani Augusti. VALES.

11, 2. Κλωπᾶν ἀδελφὸν τοῦ Ἰωσήφ] Idem scribit Epiphanius in hæresi 78. cap. 7. Proinde emendenda est interpretatio doctissimi viri D. Petavii, qui locum Epiphanii in eadem hæresi cap. 14. ubi Symeon Clopæ filius, Jacobi Justi ἀνεψιὸς dicitur, vertit *e sorore nepos;* cum *patruelem* vertere debuisset. Porro hunc Symeonem Clopæ filium, quidam cum Simone apostolo confuderunt, inter quos est Isidorus in libro de vitis patrum Veteris et Novi Testamenti, auctor Chronici Alexandrini, et Dorotheus in libello de apostolis ac discipulis Domini. Idem scriptum inveni in veteribus schedis quæ cum historia ecclesiastica Rufini compactæ sunt in codice Parisiensis ecclesiæ. *Joseph qui interpretatur augmentum, filius Jacob filii Mathan de tribu Juda, et de familia David ortus, in civitate sua Nazareth natus, faber arte. Frater Cleopæ: vir Mariæ adjutorio non carne. Cleophas vero pater apostoli Symeonis Cana-*

næi: Joseph autem pater Jacobi fratris Domini, qui aliter dicitur Jacobus Alphæi. Nicephorus Constantinopolitanus in chronologia tripertita Symeonem hunc Clopæ filium, Jacobi Justi fratrem facit. Sic enim ait in catalogo episcoporum qui Hierosolymis sedere: Συμεὼν Κλεόπας, ἀδελφὸς αὐτοῦ καὶ μάρτυς. Ita juxta Nicephori sententiam, Symeon Josephi filius fuit, perinde ac Jacobus Justus. Cleopæ tamen seu Clopæ filius dicitur ex adoptione legali. Nam cum Cleopas sine liberis decessisset, Josephus frater ducta ejus vidua semen ei suscitavit, sicut scribit Nicephorus in libro i. cap. 33. Quanquam Nicephori Constantinopolitani locus aliter etiam explicari potest: ut scilicet Symeon et Jacobus Justus fratres dicantur, Clopæ nimirum filii. Certe Chrysostomus et Theodoretus in Epistolam ad Galatas, Jacobum Justum Clopæ filium fuisse scribunt. Verum in hac tanta scriptorum discrepantia, Hegesippi et Epiphanii sententiam sequi malim, et Symeonem Clopæ filium qui episcopus fuit Hierosolymorum, a Symeone seu potius Simone Josephi filio distinguere. Certe Beda hanc tandem sententiam utpote certiorem amplexus est, cum Isidori sententiam antea secutus fuisset, ut ipse fatetur in retractationibus in Acta Apostolorum cap. i. Isidori autem locus quem intelligit Beda, est in libro de vitis patrum utriusque Testamenti. Ex quo etiam libro desumtum est fragmentum illud quod supra citavi sine auctoris nomine. VALES.

12, 1. Verba καὶ ἐπὶ τούτοις, Kestner. p. 45. ostendere putat, sequentia verba alicunde medio ex contextu erepta esse. Negligentius enim omisisse Eusebium indicare fontem cf. iii. 27. Sed quomodo illud probetur eo quod ad προστάξαι non addidit φασὶ vel λέγει, non video, cum solus infinitivus sufficiat, quo Hegesippi esse illa, quæ cap. 12. leguntur, commonefias. Male vertit ipse Valesius: *fama est Vespasianum* etc. Ad meam sententiam accedit Reuterdahl. *de fontt.* p. 81. not. HEIN.

13, 1. Nescio cur Rob. Stephanus lectionem Ἀνακλήτῳ prætulerit, cum omnes nostri codices, nullo excepto, scriptum habeant Ἀνεγκλήτῳ. Atque ita Nicephorus Constantinopolitanus, ejusque interpres Anastasius bibliothecarius in chronologia tripertita. Sic etiam Nicephorus Callistus in lib. iii.

cap. 2. et Georgius Syncellus et manuscripti codices Rufini. Sed et Irenæus in lib. iii. ubi Rom. episcoporum seriem recenset, Anencletum nominat; omisso Cleti nomine, qui ex mutilato Anencleti vocabulo fictus mihi videtur. Certe nec Optatus, nec Augustinus in Epistola 165. ubi Romanos episcopos recenset, Cletum agnoscit. Contra vero in duobus vetustissimis indicibus seu catalogis episcoporum Rom. quorum alter exstat in monasterio sancti Germani, alter in collegio Claromontano societatis Jesu, nulla fit Anencleti mentio, sed solius Cleti, qui post Linum sedisse dicitur annis xi. mense uno, diebus ii. Ex quo patet unum eundemque esse Cletum et Anencletum. Plura vide apud P. Halloixium in notationibus ad cap. 7. vitæ Irenæi. VALES. Cf. Pagi *Crit.* t. i. p. 97. quem laudat Reading. ad h. l. et supra cap. ii. not. 2. HEIN.

14, 1. Ὁ πρῶτος Ἀννιανός] Primus scilicet post Marcum. Sic Eusebius supra dixit de Lino Romæ urbis episcopo, in principio hujus libri μετὰ τὴν Παύλου καὶ Πέτρου μαρτυρίαν, πρῶτος κληροῦται τὴν ἐπισκοπὴν Λῖνος. Marcus enim Alexandrinorum apostolus fuit, ut supra dixi. Apostoli vero extra ordinem erant, nec in episcoporum numero censebantur. Itaque nihil opus erat supplere hic μετὰ Μάρκον, ut fecit Nicephorus. Vide Seldeni notas ad Eutychium patriarcham Alexandrinum. VALES. Cf. Euseb. ii. 24. ubi initium Anniani ex octavo Neronis anno repeti ostendit Dodwell. in *Supplem. ad Dissert.* Pearson. *de annis Rom. Episcop.* p. 56. citante Readingo ad h. l. HEIN.

Ib. δεύτερος Ἀβίλιος] Hunc Abilium vocant Rufinus et reliqui interpretes; ipseque adeo Hieronymus in Chronico, minus recte ut equidem sentio. Avilium enim dici oportuit: quod nomen Romanum est; perinde ac Anniani, qui ante Avilium episcopus fuerat. Avilius Flaccus præfectus Ægypti memoratur a Philone. VALES.

16, 1. Κλήμεντος, quod expressit quoque Rufinus, omisit Stroth. HEIN.

17, 1. Πολλήν γε μήν] Male Rufinus hæc verba esse putavit Hegesippi, quem in fine superioris capitis laudavit Eusebius. Ex quo patet Rufinum ita legisse, ut habetur in nostris codicibus Maz. Med. ac Fuk. μάρτυς ὁ Ἡγήσιππος λέγων· πολλήν γε μὴν etc. Quin etiam in optimo codice Rufini, cap. 17

incipit ab his verbis: *Verum de seditione facta apud Corinthios*, quemadmodum in Maz. ac Fuk. codice factum observavi. Vulgarem tamen scripturam ac distinctionem magis probo. VALES. Recte animadvertit Stroth., si ea quæ sequuntur, essent Hegesippi verba, Eusebium haud dubie addíturum fuisse post λέγων: κατὰ λέξιν, αὐτοῖς ῥήμασι aut tale quid. Hegesippi tamen esse videntur καίπερ τοῦ πατρὸς κ. λ. cf. cap. 19. extr. HEIN.

Ib. τῶν ἐπὶ Ῥώμης εὐπατριδῶν] Christophorsonus *patricios* vertit magno errore. Qui tamen error communis est ipsi cum plerisque interpretibus Græce doctissimis. Gregorius Nazianzenus in Oratione 18. Παρθένος τις ἦν τῶν εὐπατριδῶν. Billius interpretatur *patricio genere ortam*, pari errore. Idem Gregorius in oratione quadragesima: Μὴ ἀπαξιώσῃς συμβαπτισθῆναι πένητι, πλούσιος ὤν, ὁ εὐπατρίδης τῷ δυσγενεῖ. Hic etiam Billius *patricius* vertit. Pari errore vertit Christophorsonus Socratis locum in lib. vi. ubi Johannes Chrysostomus oriundus fuisse dicitur ἐξ εὐπατριδῶν. In his omnibus locis *nobilem* verti oportuit, non *patricium*. Et sic Rufinus optime vertit hunc Eusebii locum, et Hieronymus in Chronico anno 8. Domitiani. *Domitianus plurimos nobilium in exsilium mittit atque occidit*. Εὐπατρίδης enim idem est ac εὐγενής, ut docet Gregorius Naz. tum in oratione supra citata, tum in carmine iambico 19. Quod si quis existimat patricios et nobiles nihil inter se differre, is vehementer fallitur. Patricius enim apud Romanos dicebatur, qui erat ex gente patricia, et opponebatur plebeio, non autem nobili. Itaque patricii quidam fuerunt apud Romanos, qui non erant nobiles, ut docuit Sigonius in libro de nominibus Romanorum. Observavi autem nobilem apud Romanos dictum esse, respectu habito ad familiam, non ad gentem. Proinde ex eadem gente alii erant nobiles, alii ignobiles. Nobiles quidem, quorum pater et avus magistratum curulem gessissent, ignobiles contra. VALES.

18, 2. Οἱ—συγγραφεῖς qui sint, quomodo nescire potuerit Kestner. p. 33., miror, cum bene docuerit Danz. p. 122. not. 22. de uno *Bruttio* s. *Brettio* esse cogitandum, cujus mentio fit in Euseb. Chron. ad a. Chr. 98. ubi eadem fere de Domitiano et Domitilla leguntur. Dubium sane, qui sint cap. xx. scriptores Nervæ æquales et Ἑλλήνων—παραδόντες. HEIN.

18, 3. ἐξ—Κλήμεντος vid. Scaliger. *animadversion. in Chron. Eus.* p. 188. quas laudavit Lowth. Ceterum Flavium Clementem ejusque conjugem Domitillam Christianos fuisse, unde interdum certe unus alterve genere nobilior ad ecclesiam Christianam illo tempore accesserit, satis probabile esse censet Tzschirner. *Græci et Rom. scriptt. cur rerum Christian. raro meminerint* Comment. iii. p. 6. ubi V. D. *Nam,* inquit, τὰ ἤθη τῶν Ἰουδαιων, *ad quæ aberrasse eos tradit Dio Cassius* (lib. lxvii. cap. 14.), *de Christianis pariter ac de Judaicis sacris intelligi possunt, et quod* τῆς ἀθεότητος *accusati esse dicuntur, non de his sed de illis cogitare suadet, quoniam hoc crimen Christianis sæpe, non facile autem Judæis objiciebatur.* HEIN.

20, 1. Υἱωνοὶ Ἰούδα] Miror Scaligerum, qui in animadversionibus Eusebianis pag. 187. tam Eusebium, quam Hegesippum immerito reprehendit. Nam neque Hegesippus posteritatem Davidis ad duos tantum homines tunc esse redactam dixit, ut falso ei objicit Scaliger, sed posteritatem Judæ qui erat frater Domini; nec Eusebius Hegesippi verba aliter accepit. Certe Hegesippus diserte testatur Symeonem Clopæ filium, qui tunc erat episcopus Hierosolymorum, ortum fuisse ex gente Davidica. Verba ejus habes infra cap. 32. Itaque nec Hegesippus erravit, nec Eusebius. Ipse potius Scaliger reprehendendus est, qui adversus auctoritatem Hegesippi, vetustissimi scriptoris et apostolicis temporibus proximi, obstinate contendit, nullum unquam Judam fratrem Domini exstitisse. Sed contra est Epiphanius in hæresi 78. qui Josephum ex priore conjugio quatuor ait suscepisse liberos, Jacobum, Symeonem, Josetem et Judam. Cui consentit Hippolytus Portuensis episcopus apud Nicephorum in libro ii. cap. 3. nisi quod pro Symeone Simonem dicit, rectius ut supra notavi, et filias aliter nominat. His accedit Hieronymus in libro adversus Helvidium. Dicet fortasse aliquis id quod a Scaligero dictum est, nullam in Evangelio mentionem ejus Judæ fieri. Immo vero Matthæus in cap. 13. de illo sic loquitur: *Nonne mater ejus dicitur Maria; et fratres ejus Jacobus, Joseph, Simon et Judas?* Idem legitur in Marci cap. 6. Vides ut Scaliger nimio reprehendendi studio abreptus, merito ipse in reprehensionem incurrit. Porro hic Judas uxo-

rem a nonnullis dicitur habuisse Mariam, teste Nicephoro in lib. i. cap. 33. Ex hac igitur liberos suscepit; a quibus propagati sunt δεσπόσυνοι, de quibus Africanus in epistola ad Aristidem. Hos porro Scaligeri errores jam dudum reprehendit P. Halloixius in notationibus ad vitam Hegesippi; quod quidem serius et absolutis jam animadversionibus meis didici. VALES.

Ib. ὁ Ἰόκατος] Qui sint Evocati, notum est ex Dione, milites scilicet honoratioris loci, qui confectis jam stipendiis dimissi, ad militiam evocabantur a principe [o]. Horum mentio fit in vetustis inscriptionibus, EVOK. AUG. id est, Evocatus Augusti. Ne quis autem miretur, Hegesippum Græcum scriptorem, Romano vocabulo usum fuisse. Non id novum aut infrequens Hegesippo, quippe qui δηλατωρεύειν et δηνάρια usurpat in hac narratione quam præ manibus habemus, et plebeio sermone utitur. VALES.

20, 2. ἐξ ὧν καὶ τοὺς φόρους ἀναφέρειν] Male Christophorsonus vertit *vectigalia*, quasi vectigalia agrorum solverentur. Atqui φόροι tributa sunt, quæ ex agris solvebantur, atque in ipsis speciebus fere pendebantur, id est in tritico, hordeo, vino et similibus, ut patet ex codice Theodosiano. Vectigalia vero sunt quæ Græce dicuntur τέλη, quæ a publicanis conducebantur et exigebantur; cum tributa a susceptoribus vel ab apparitoribus præsidum ac præfectorum exigi solerent. VALES.

Ib. τύλους] Cum initio vertissem *callos*, dubitare postea cœpi, an callus masculino genere diceretur. Tandem vero callos a Rufino dici comperi in lib. ii. ubi de morte Jacobi fratris Domini. VALES.

20, 3. κρίνειε ζῶντας] In codice Maz. Med. ad Fuk. nec non apud Nicephorum legitur κρίνειν. Sed et codex Regius ita diserte scriptum habet. Quare mendum est typographicum, quod in Rob. Stephani editionem irrepsit. VALES. Hoc negat Stroth. HEIN.

o Verba ex lib. xlv. adscripsit Stroth. hæc: ἐκ τούτων δὲ δὴ τῶν ἀνδοῶν καὶ τὸ τῶν ἠουοκάτων σύστημα (οὓς ἀνακλήτους ἄν τις ἑλληνίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατιᾶς, ἐπ' αὐτὸν αὖθις ἀνεκλήθησαν, ὀνομάσειεν) ἐνομίσθη. vid. Irmisch. *ad Herodian.* i. 15. ubi dicuntur ἐκκαλούμενοι. cf. Baumgarten-Crusius *ad Sueton. Galb.* x. Held. *ad Cæs. de B. C.* i. 3. HEIN.

20, 5. Τερτυλλιανὸς vid. Apol. v. "*Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate, sed qua et homo, facile cœptum repressit, restitutis etiam, quos relegaverat.*" HEIN.

Ib. μέρος cf. quæ monui ad ii. 24. not. 3. Held. *ad Cæs. B. C.* ii. 44. HEIN.

Ib. ἅτε ἔχων τι συνέσεως] Quisquis Tertulliani apologeticum Græce vertit, verba illius minime est adsecutus. Ait enim Tertullianus, post Neronem qui primus sæviit in Christianos, Domitianum quoque utpote alterum Neronem, idem tentavisse, sed ut homines levi ac mobili sunt ingenio, cito ab incepto destitisse. At Eusebius seu quis alius fuit interpres apologetici, verba illa Tertulliani, *sed qua et homo* ita accepit, quasi Tertullianus dicere voluisset, Domitianum quidem aliquatenus hominem fuisse, Neronem vero belluam potius fuisse quam hominem. VALES.

Ib. Μετὰ δὲ τὸν Δομετιανὸν cf. Sueton. Domit. 17. Pagi *Crit.* t. i. p. 88. 92. ad a. C. 96 et 98. laudante Readingo ad h. l. Ceterum a voce μετὰ Steph. inchoat cap. xxi. HEIN.

21, 1. Δέκα πρὸς τρισὶν ἔτεσιν] Observatu sane dignum est, Eusebium priores Alexandrinos episcopos inde ab Avilio octo vel decem singulos, fere duodecim annos episcopali munere functos esse tradere, unde conclusit Reuterdahl. *de fontt. hist. eccl. Eus.* p. 58. horum episcopatus, cum catalogus conficeretur, quo probabiliter ipse Eusebius usus est, adeo obsoletæ fuisse memoriæ, ut rotundus quidam numerus qui tamen variis de causis paulum immutatus cogitari possit, pro exacto ederetur. Cf. iv. 1. 4. 5. 11. 19. v. 9. 22. vi. 26. 29. 35. vii. 28. HEIN.

Ib. μετὰ Παῦλόν τε καὶ Πέτρον] Duo hic observanda sunt; tum quod Paulum Petro præponit Eusebius, tum quod utrumque urbis Romæ episcopum facere videtur. Quod ad primam quæstionem attinet, etiam alibi id ipsum fecit Eusebius. Non tamen existimandum est, Paulum idcirco anteferri Petro. Sæpe enim honoratiores posteriore loco nominantur. Denique in sigillis ecclesiæ Romanæ Paulus semper a dextra ponitur, Petrus a sinistra, ut notavit Baronius in expositione concilii Nicæni. Quod ad secundam difficultatem attinet, sciendum est Eusebium apostolos in ordine episcoporum minime numerare, ut supra notavi. Et Paulum quidem una

cum Petro Romanam ecclesiam fundasse ac plantasse supra dixit ex Dionysio Corinthiorum episcopo, et infra dicet ex Irenæo. Tamen cum de episcopatu Rom. loquitur, soli Petro eum tribuit, ut patet ex Chronico Eusebiano. Vide quæ in hanc rem doctissime disputata sunt a Petro Haberto Vabrensi episcopo in libro de primatu Petri [p]. Ita intelligendus est Irenæus in libro i. de Hygino loquens, ἔνατον κλῆρον τῆς ἐπισκοπῆς διαδοχῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἔχοντος. Et in lib. iii. cap. 3. 4. Quippe Irenæus, perinde ac Eusebius noster, Petrum ac Paulum apostolos Romanam quidem ecclesiam fundavisse dicit, sed eos in episcoporum ordine nequaquam recenset. Eodem sensu in hæresi Cerdonianorum Epiphanius ait Hyginum post Jacobum, Petrum ac Paulum apostolos, nonum episcopalis successionis locum tenuisse. Si quis ex hoc loco contenderet Jacobum fuisse episcopum urbis Romæ una cum Petro, is profecto ridiculus haberetur. Idem quoque putandum est de Paulo [q]. Alia quoque ejus rei causa afferri potest. Quod enim ab uno apostolo gestum est, id ab omnibus apostolis simul gestum esse dicitur, ob collegium et consortium apostolatus. Quemadmodum in edicto unius præfecti prætorio jubere dicebantur etiam cæteri propter auctoritatem ejusdem potestatis, sicut scribit auctor quæstionum Veteris ac Novi Testamenti cap. 97. Ecclesia itaque ab uno apostolo fundata, ab omnibus simul apostolorum recte dicitur constituta. Certe Eusebius in his libris apostolicarum sedium successores enumerans, episcopos illarum semper vocat successores apostolorum. Verbi gratia, Alexandrinæ ecclesiæ episcopos enumerans, non solius Marci, sed generaliter apostolorum successores eos nominat. Idem quoque observat in episcopis Antiochiæ. Sed et Latinos eodem modo locutos invenimus. Certe Rufinus de adulteratione librorum Origenis ita dicit: *Clemens apostolorum discipulus, qui Romanæ ecclesiæ post apostolos episcopus et martyr præfuit.* VALES. Vid. quæ monui infra ad cap. xxxvi. HEIN.

p Imo vid. Schröckh. *Christliche Kirchengesch.* t. ii. p. 149. p. 152—155. p. 231. 235. cf. Euseb. H. E. ii. 14. iii. 1. 2. v. 6. Vales. ad ii. 16. not. 1. Lactant. de mortt. persec. cap. 2. Pagi *Crit. Baron.* ad a. C. 43. HEIN.

q Cf. Pearson. *de successione prim. Rom. episcop.* p. 291. citante Reading. HEIN.

22, 1. Τὴν λειτουργίαν ἐγκεχειρισμένος ἦν] Unde, quæ de Antiochenis episcopis refert Eusebius, depromsit, nonnisi conjiciendo possumus assequi. Videtur enim certe, quæ magis singularia de iis tradit ex catalogo quodam habere. Cf. v. 19. λόγος εἶχεν Reuterdahl. *de fontt. hist. eccl. Eus.* p. 56. sq. Eus. H. E. v. 12. not. HEIN.

23, 2. Καὶ πάντες οἱ πρεσβύτεροι] Locus hic Irenæi exstat in lib. ii. cap. 39. ubi Irenæus disputat, quot annos in terris vixerit Christus, et ex relatione seniorum qui cum Joanne apostolo in Asia familiariter vixerant, asserit Christum plusquam quadraginta annorum spatio vitam prorogasse. Verba ejus hæc sunt ex veteri interpretatione: *Sicut evangelium et omnes seniores testantur, qui in Asia apud Joannem discipulum Domini convenerunt, id ipsum tradidisse eis Joannem. Permansit autem cum iis usque ad Trajani tempora.* VALES.

23, 3. περὶ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου] De re ipsa cf. Reuterdahl. *de fontt.* p. 25. sq. "Valet hic quod generatim de ore traditis valet: res principales veræ esse possunt, quamvis ornamentis recens appositis non sint destitutæ. *Nec, nisi fallor, consilium plane latet,* (?) *quo hic sint apposita: daretur* μέγα παράδειγμα——βλεπομένης.—*Num hæc verba ad ætatem narrationis eliciendam sufficiant, ego non definiam.*" Stroth. *Uebersetz.* t. i. p. 173. not. 5. HEIN.

23, 4. ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα γε] Rufini versio nostram emendationem confirmat. Sic enim habet: *rogabatur etiam vicinas lustrare provincias, quo vel ecclesias fundaret, in quibus non erant locis, vel in quibus erant, sacerdotibus ac ministris instrueret, secundum quod ei de unoquoque Spiritus Sanctus indicasset.* VALES.

Ib. ἧς καὶ τοὔνομα λέγουσιν ἔνιοι] Smyrnam vocat hanc urbem auctor Chronici Alexandrini. VALES. Stroth. *Uebers.* t. i. p. 174. not. 8. *It is believed that Clement purposely omitted the name of the city, in order to attach no stain to its bishop Polycarp.* HEIN.

Ib. καὶ τἄλλα ἀναπαύσας τοὺς ἀδελφούς] Hujus verbi vim ac proprietatem non intellexit Christophorsonus. Vertit enim hoc modo: *Cum alia quæque officia quæ ad animos fratrum inter se dissidentium conciliandos pertinebant, obiisset,* etc. Atqui Clemens nihil dixit de fratrum discordia. Neque vero

Græca vox conciliationem significat, sed tantum consolationem. Ait igitur Clemens, Joannem apostolum cum in illam urbem venisset, fratres adventu suo consolatum esse, cum post diuturnum exsilium quo Domitiani principatu exsulaverat, eum reducem tandem viderent. Potest etiam hoc verbum intelligi de prædicatione, qua Joannes ecclesiam illius loci consolatus est. Utitur eadem voce Hegesippus infra lib. iv. cap. 22. Porro in codicibus nostris Maz. Med. ac Fuk. scriptum est sine apostrophe *καὶ τὰ ἄλλα* rectius. VALES. Ita Reg. Str. HEIN.

23, 5. *τὴν σφραγῖδα τοῦ κυρίου*] Veteres Christiani ita baptismum vocabant, ut præter ceteros docet Gregorius Nazianzenus in oratione quadragesima, ubi baptismum diversis nominibus a Christianis vocari observat. *Δῶρον καλοῦμεν, χάρισμα, βάπτισμα, χρῖσμα, φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, λοῦτρον παλιγγενεσίας, σφραγῖδα, πᾶν ὅτι τίμιον.* Causam vero cur baptismum vocarent *σφραγῖδα,* idem Gregorius subjungit; quod scilicet baptismus sit conservatio et nota dominii. Male ergo Christophorsonus hunc Eusebii nostri locum de sacramento confirmationis interpretatus est. Sic enim vertit. *Postea vero ubi sigillo Domini, id est sacramento confirmationis, tamquam perfecta tutaque ejus animi custodia obsignasset, nonnihil de cura remisit.* Atqui Græca id non sonant. Nam Clemens ait, episcopum cum adolescentem illum aliquando fovisset atque instituisset studiosissime, tandem illum baptizavisse. Postea vero curam illius adolescentis abjecisse; quippe cui perfectissimum custodem apposuisset, dominicum signaculum. *ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ κυρίου.* Christophorsonus illa verba *ὡς ἐπιστήσας* vertit, *ubi obsignasset;* cum vertere potius debuisset, *utpote qui obsignasset.* Hanc enim vim habet Græca particula, et lectori indicat, id quod dicitur ad superiora referri debere. Cum igitur antea de baptismo locutus sit Clemens (id enim significat verbum illud *ἐφώτισε,*) in hac etiam periodo de baptismo eum loqui necesse est. Sed et Eusebius in lib. vi. cap. 5. ubi de Basilide agit, baptismum vocat *σφραγῖδα.* Latini quoque eodem modo vocant *signaculum fidei.* Sic Rufinus in lib. i. adversus Hieronymum initio, et vetus auctor de hæreticis non rebaptizandis a Nic. Rigaltio editus, signum fidei bis

appellat baptisma, et signum simpliciter pag. 131. Clemens Alexandrinus in Pædagogo pag. 41. ait baptismum multis nominibus appellari, *χάρισμα, φώτισμα, τέλειον.* Et in excerptis Theodoti pag. 344. vocat baptismum *σφραγῖδα,* et *σφράγισμα τῆς ἀληθείας,* causamque affert nominis eandem quam Gregorius. Plura vide apud P. Halloixium in notationibus ad vitam sancti Polycarpi cap. 9. Quibus adde Epiphanium in hæresi Ebionæorum cap. 4. et 34. VALES. Cf. quæ monuit Valesius ad Euseb. H. E. vi. 43. *τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου,* et Suicer. *Thes.* t. ii. p. 1198. sq. 1491. De solo baptismo nostro loco debere cogitari, equidem cum Valesio et Suicero puto esse certissimum. Docet hoc profecto satis præcedens *ὡς* atque *ἐφώτισε,* quod ad nihil aliud nisi baptismum posse referri omnes concedunt, unde ipsum *τὴν σφραγῖδα τοῦ κυρίου* eo tantum pertinet, quod si tanquam aliquid a priori diversum esset cogitandum, accuratius debebat significari ab Eusebio, ut v. c. inserto vel *καὶ* vel *ἔτι* ante *τὴν σφραγῖδα τ. κ.* aut *τὸ τέλειον φυλακτήριον,* quo minime baptismus s. *τὸ φωτίζειν,* certe non solus tanquam *τὸ τέλειον φυλακτήριον* describeretur, sed alius ritus i. e. *ἡ σφραγὶς τοῦ κυρίου,* certe simul tanquam illud indicaretur. Similiter probant illud verba, quæ inferius leguntur, *βαπτιζόμενος ἐκ δευτέρου,* quibus proprium baptismum præcessisse ostenditur; sed aliud quam illum antea factum esse ne ibi quidem et nec leviter quamvis illud esset satis opus, significatur. Itaque non possum assentiri iis, quæ disputavit Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archäologie* tom. vii. p. 16. *It is an old point of dispute between Christophorson, Bellarmin, Selden, Valesius, Dallæus, and others, whether the σφραγὶς, sigillum, signaculum, &c., which we so often meet with in the Fathers, signifies the sign of the cross—in baptism or confirmation? Com. Bingham,* t. iv. p. 144—149. *But the whole of this dispute is fruitless, and of no peculiar importance.* (?) *For every one both may,* (quomodo hoc fieri potest?) *and can bring forward proofs in favour of his own opinion, because these expressions may signify and actually do signify the one just as well as the other.* (Siquidem per se illas locutiones spectaveris. Sed singulis locis singulæ illarum quomodo possunt significare plura?) *Sometimes it is the antecedent, the preparation by means of exorcism preceding*

the act of baptism, in which the person to be baptized was blessed with the sign of the cross; sometimes the act of baptism itself; sometimes the consequent, or the confirmation or consecration which followed it. In many passages it does not admit of being certainly determined, in which sense it is intended. Et hoc profecto solum possit suadere, ut putemus singulos illorum VV. DD., inter quos de hac re fuit contentio, recte ac jure suo contendisse, quia—adhuc sub judice lis sit. Sed Augusti ipse concedit, illos locos, ubi non satis certa sit verbi illius significatio, nonnisi esse pauciores. Itaque certe plures alii debent docere, quid sit verius. Hoc statuendum et affirmandum puto, hoc Eusebii loco de solo baptismo illud σφραγὶς τοῦ Κυρίου esse accipiendum, neque recte Augusti statim post illa verba, quæ laudavi, inter ambiguos locos hunc ipsum retulit. Cf. p. 17. ἐφώτισε *and* ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου *may here certainly signify two different acts, Baptism and Confirmation.* (ex nostra sententia supra exposita hoc fieri nequit.) *but it is not necessary to separate the two.* (Imo utrumque debet conjungi, et idem significat h. l.) *Baptism is frequently called* φώτισμος, *and the same holy action may also be called* σφραγὶς, *so far as the person baptized is declared to be the property of the Lord.* Φυλακτήριον vocari baptismum a Basil. M. Hom. xiii. de Baptism. p. 413. Augusti ipse (p. 21. num. 6.) commemorat. Sed nihilominus constans sibi V. D. l. l. p. 404. sq. utrum de baptismo an de confirmatione nostro loco sermo sit, incertum esse repetit, et p. 16. alios locos, ubi vis vocis σφραγὶς non satis possit definiri, laudat. Sed justam causam non potui perspicere. In solis fortasse Constitt. Apostt. ii. 14. ubi de Simone mago dicitur: τὴν ἐν κυρίῳ σφραγῖδα ἔλαβε, nonnihil possit dubitari de vocabuli significatione, sed semper puto illud stare ac manere, confirmationem veteri ecclesiæ Græcæ et Latinæ prorsus fuisse inauditam, et recte Valesium hoc, quamvis catholicum, concessisse. HEIN.

Ib. προσφθείρονται] Hujus verbi vim non intellexit Christophorsonus, ut ex versione ejus apparet. Προσφθείρεσθαι idem est quod προσέρχεσθαι, nisi quod in malam partem sumitur. Eodem sensu εἰσφθείρεσθαι dicunt Græci pro εἰσέρχεσθαι, ut notat Suidas. Quam vocem legere memini apud Gregorium Naz. in Oratione 21. ὥσπερ τι νόσιμα δεινὸν ταῖς ἐκκλησίαις εἰσ-

ἐφθάρη. Et paulo post de Gregorio Ariano loquens, τῇ πολιτείᾳ παρεισφθαρέν. Plura de hoc verbo alibi notavi, quæ in præsentia non sunt ad manum. VALES. Adde Ælian. V. H. ii. 17. προσφθαρεὶς θεούσῃ νηΐ. xiv. 26. Vid. Bergler. *ad Alciphron. epist.* p. 57. sq. p. 60. sq. p. 62. p. 68. sq. p. 142. Erfurdt. *ad Sophocl. Œdip. T.* v. 1489. p. 190. cum nota Brunckii ad h. l. et Schæfer. *ad Dionys. H. de compos. verbor.* p. 129. sq. HEIN.

23, 6. ἐπὶ λωποδυσίαν] vid. Combefisius *in Auctar. Noviss. PP.* tom. i. pag. 193. 35. "Hanc superiorum leviorumque vestium desuper et quasi joco luxuriante ætate expoliationem, Anast. priori editione reddit, πορνικοὺς καὶ σπίλους διανυκτερεύσεις, quod alterum alteri proclive hæreat, nec tam fures quam mœchi et scortatores videantur, qui huic pravitati student; sensim tamen ad majora furta et latrocinia per eam rudimenta ponunt, dum et liguriunt facultates unde egestate premuntur, paulumque non coërcita licentia ac audacia extreme crescit." Cf. Clement. Alex. Pædag. iii. 7. 11. λωποδύταις δὲ αὐτὰ καὶ κακούργοις παρασκευάζονται, καὶ τοῖς λίχνοις ὀφθαλμοῖς. HEIN.

Ib. Ἐνδακὼν, i. e. frenum mordens, reluctans dominorum suorum imperio. cf. Cic. ad Fam. xi. 23. Ernesti *Clav. Cic.* s. v. *mordere.*' Sensu vero plane diverso, quo significat: servitutem subire, formula illa: *frena mordere* legitur apud Stat. Sylv. i. 2. 28. *Subiit leges et frena momordit* Martial. i. 104. cf. Tibull. Eleg. i. 3. 41. sq.

Illo non validus subiit juga tempore taurus;
Non domito frenos ore momordit equus.

HEIN.

23, 7. ἴσα τοῖς ἄλλοις παθεῖν ἠξίου] Gruterus negativam particulam hic addidit οὐκ ἠξίου. Atque ita legisse videntur Rufinus et Musculus. Mihi magis placeret ἀπηξίου. Ferri tamen potest vulgata scriptura si voce illa τοῖς ἄλλοις non sodales adolescentis illius intelligas, sed alios latrones et sicarios. VALES. Ἠξίου unice verum. HEIN.

23, 8. καί τι καί] Loquendi ratio prima specie insolentior, sed nec veteribus Græcis inaudita, et ita explicanda, ut prius καὶ sit copula, alterum significet *etiam.* Vid. Plat. Crit. i. καί

τι καὶ εὐεργετεῖται ὑπ' ἐμοῦ ubi Fischerus temere scribi volebat *καί τοι καὶ*, quod longe aliam vim habet. Imo recte recentiores editores illo loco *καί τι καὶ* retinuerunt. Cf. Thucyd. ii. 17. *καί τι καὶ Πυθικοῦ μαντείου ἀκροτελεύτιον διεκώλυε.* iv. 5. *καί τι καὶ αὐτοὺς ὁ στρατὸς ἔτι ἐν ταῖς Ἀθήναις ὢν ἀπέσχε.* Arrian. ii. 22. Lucian. Somn. c. 16. Sigillatim hac de re egit T. S. Forbiger. in *Prolusione animadversiones ad quædam Platonis loca continente*, Lipsiæ 1824. p. 1. sq. Præterea inde minus etiam insolens videri potest *καὶ ἔτι καὶ νῦν,* quod interdum usurpavit Eusebius. cf. i. 1. not. 16. ubi verborum transpositio a Steph. proposita, quia sane amat verba transponere Eusebius, alias esset admittenda, nunc autem sententiam meam ibi propositam magis etiam confirmari puto. Similiter *καὶ δὴ καὶ* legitur cap. 24. init., quod non recte in *καὶ δὴ* mutandum videtur Valesio. Et Xenoph. Mem. iii. 7, 8. *καὶ γὰρ καὶ οἱ ἕτεροι* recte dedit Ernestius pro vulgato *καὶ γὰρ οἱ ἕτ.* HEIN.

23, 11. *βαπτιζόμενος ἐκ δευτέρου*] Eleganter locutus est Clemens Alexandrinus. Nam pœnitentia alter baptismus est, qui lacrymarum fonte perficitur, ut ait Gregorius Naz. in oratione de baptismo [r]. Porro in codicibus nostris Maz. Med. et Fuk. scriptum inveni *βαπτιζόμενος ἐκ τοῦ ἑτέρου.* Sed Regii codicis lectionem magis probo. VALES.

Ib. *παρὰ τοῦ σωτῆρος εὕρηται*] Rufinus et reliqui interpretes in futuro verterunt, quasi legeretur *εὑρήσεται*, quod non probo. Efficacius enim erat ad confirmandam juvenis mentem, jurare se veniam scelerum illius impetrasse a Deo, quam polliceri se impetraturum. Nostri codices Maz. Med. et Fuk. scriptum habent *ηὕρηται.* VALES.

23, 12. *κατέστησε τῇ ἐκκλησίᾳ.*] Rufinum secutus est Christophorsonus: quorum tamen interpretationem probare non possum. Neque enim convenit apostolicæ disciplinæ, ut homo cædis ac latrocinii reus, licet peracta pœnitentia, episcopus fuerit ordinatus. Itaque magis placet scriptura quam in

r Ad eundem *βαπτισμὸν διὰ δακρύων* alludit Sedulius, lib. iii. ubi de peccatrice, de qua Luc. vii. sermo est, ita canit:

———purgata recessit
Per gemitum, propriisque *lavans* in gurgite fletus
Munda suis lacrymis redit et detersa capillis.

Cf. Suicer. *Thes.* tom. i. p. 627. 6. p. 628. HEIN.

quatuor nostris codicibus inveni Maz. Med. Fuk. et Saviliano ἀποκατέστησε τῇ ἐκκλησίᾳ, quam lectionem secuti videntur Langus et Musculus. Nicephorus quidem hujus loci sensum ita expressit: πρὶν ἢ στερρῶς αὐτὸν ἐπιστῆναι τῇ ἐκκλησίᾳ. Eodem verbo usus est Georgius Syncellus in hujus historiæ narratione, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπιστήσας. Sed fortasse quidam nostrorum codicum lectionem repudiabunt, eo quod Clemens jam dixerit, juvenem illum a Joanne apostolo in ecclesiam reductum fuisse, ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν ἐπανήγαγε. Quod si hoc loco legamus ἀποκατέστησε τῇ ἐκκλησίᾳ, inepta erit ac superflua ejusdem rei repetitio. Respondeo restituere ecclesiæ, non idem esse ac reducere in ecclesiam. Reducitur enim ad ecclesiam, qui pœnitentiam acturum se esse profitetur. Restituitur autem ecclesiæ is, qui peracta pœnitentia reconciliatoriam manus impositionem accepit. Atque hoc sensu vocem *restituere* usurpat Tertullianus in libro de Pudicitia pluribus locis. Ceterum quod hic legimus, Johannem apostolum latroni ac homicidæ post pœnitentiam pacem indulsisse, id dispensatione ab eo factum intelligere debemus. *Multa enim hujusmodi fecerunt apostoli non ex disciplina, sed ex potestate*, ut loquitur Tertullianus in dicto libro cap. 21. VALES. Ego retinendum putavi κατέστησε cum Reg. Steph. Clem. Ruf. (MSt. etc.) et Strothio, cum in eo non insit, quod Val. putat inductus falsa interpretatione Rufini. Cum vox ἀποκατέστησε probabiliter debeatur ei cui vocabulum κατέστησε eo sensu quem Rufinus in sua interpretatione expressit, durius visum est, et fortasse adeo nec insit in illo κατέστησε, quod Rufinus voluit. Vid. Combefisius *in Auctar. noviss. PP.* tom. i. pag. 194. 39. "Non intellexit ergo Rufinus vim vocis illius, ad sensum Clementis, nec qui addita præpositione, alio traxere; expressit vero Niceph. πρὶν στερρῶς αὐτὸν ἐπιστῆσαι τῇ ἐκκλησίᾳ—ut scilicet non jam amplius priori levitate ab ea discederet, sed constantiam sancta professione teneret; juxta quod τὸ κατὰ, vim intendendi, seu augendæ significationis habet," etc. Fictum vero discrimen inter ἐπανάγειν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν et ἀποκαθιστάναι. Vid. Chrysost. t. xii. p. 398. B. καὶ μὴ πρότερον ἀποστῇς, ἕως ἂν αὐτὸν (τὸν ἀπολειφθέντα, τὸν ἀποπλανηθέντα) ἐπαγάγῃς καὶ τῇ μητρὶ (τῇ ἐκκλησίᾳ) συνάψῃς. Cf. Matthæi *Homm. Chrys.* vol. ii. p. 126. not. 149. De narratione ipsa,

vera a falsis lectores facile dignoscent. Cf. Fabricii *cod. Apocryph. N. T.* tom. ii. p. 531. sqq. HEIN.

24, 1. Καὶ δὴ καὶ τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον] Posterius καὶ expungendum est, utpote ineptum ac superfluum. Abest certe a tribus nostris codicibus Maz. Med. et Fuk. Scribendum quoque ἀνωμολογήσθω[s] producta secunda syllaba, sicut in iisdem codicibus habetur. VALES. Ἀνομολογείσθω tamen retinuit Stroth. HEIN.

Ib. ταῖς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν—ἐκκλησίαις, i. e. omnibus, ubicunque sint, ecclesiis. Eodem modo loquitur Chrys. de Sacerd. iv. 6. 414. ed. Tauchn. HEIN.

24, 3. Ὁ γοῦν Παῦλος πάντων] De hoc toto loco et iis quæ sequuntur, conferendus est accurate Chrysostom. de Sacerdot. iv. 6. 414. 417. 422. 423. 424. 7. 8. ed. Tauch., ubi non solum aureo quodam dicendi flumine laudes Pauli canit Chrysostomus, sed quæcunque hoc in genere contra Paulum dici possint, fortiter repellit. HEIN.

Ib. οὐ πλέον τῶν βραχυτάτων ἐπιστολῶν] Ambiguum est utrum paucas, an breves epistolas velit dicere. Utrumque enim de Pauli Epistolis dici potest, eas scilicet et paucas esse, quippe quæ quartuordecim numerum non excedant, et breves, iis quidem, qui illas pie ac religiose perlegerint. Certe Origenes eas ὀλιγοστίχους vocat in lib. v. expositionum in Evangelium Joannis. Origenis verba si quis legere desiderat, habentur infra in lib. vi. cap. 25. VALES.

24, 4. πατρίῳ] Idem tradere constat Papiam, Iren. adv. Hær. iii. 1. Origenem apud Euseb. vi. 25. cf. infra cap. 39. not. 9. Locum vero, quo Matthæus contenderit, cum non accuratius definisset Eusebius verbis ἐφ' ἑτέρους, quomodo seriores scriptores definire studuerint, docet Augusti *Denkwürdigkeiten* t. iii. p. 239. HEIN.

Ib. τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ] Nicephorus in libro ii. cap. 45. habet τὸ λεῖπον τῆς αὐτοῦ παρουσίας. Id est: *Defectum præsentiæ suæ iis quos relinquebat, scripto compensavit.* Rufinus quoque et Musculus hunc quem dixi sensum secuti sunt. Christophorsonus vero verbis pressius adhærens, aliter interpretatus est in hunc modum: *Et quod illis a quibus*

[s] Maz. HEIN.

discessit, deesse dum præsens apud eos erat, videbatur, illud sedulitate et labore scribendi omnibus suis quasi numeris explevit. In qua interpretatione hoc primo reprehendendum est, quod Matthæum scripsisse ait evangelium, cum ab Hebræis jam discessisset; cum tamen Eusebius contrarium dicat. Nam in Græco est ἀφ' ὧν ἐστέλλετο, id est, *a quibus discessurus erat.* Certe Athanasius in tractatu de libris sacræ scripturæ, et Chrysostomus scribit Matthæum primum omnium Hierosolymis evangelium suum conscripsisse. Idque anno 15. post adscensum Christi, ab eo factum fuisse tradit Nicephorus, et auctor Chronici Alexandrini. Deinde verba illa τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, nullo modo id significare possunt, quod voluit Christophorsonus. Sed id potius significant, si ad verbum interpreteris: *Et quod præsentiæ suæ adhuc superesse videbatur* (*ad prædicationis scilicet consummationem,*) *scripto supplevit.* Hic est sensus verborum Eusebii. At Christophorsonus verba illa τούτοις ἀφ' ὧν ἐστέλλετο retulit ad verbum λεῖπον; cum tamen referantur ad vocem ἀπεπλήρου. Certe in scriptis codicibus Regio, Maz. et Med. post vocem παρουσίᾳ, et post ἐστέλλετο apponitur subdistinctio. VALES. Cum Eusebio, qui omnium primum scripsisse dicit Matthæum, præter Clementem omnes tum Græcos tum Latinos patres consentire constat. Vid. Hug. *Einleitung ins Neue Testam.* t. ii. p. 2. sqq. qui tamen cur pro ἐστέλλετο scribendum esse h. l. conjecerit διεστέλλετο (l. l. p. 3.*) non video. vid. Tittmann. *Lexici Synonymorum in N. T. Specim.* v. p. 9. sq. cf. 2 Thess. iii. 6. HEIN.

Ib. Ἀπεπλήρου] vid. Hug. *Einleitung ins Neue Testam.* tom. ii. p. 8. 66—111. 114. sq. 136. sqq. 183. sqq. 194. *John, Eusebius informs us, for a long time employed himself in oral instruction only, but after Matthew, Mark, and Luke, had published their Gospels, they reached him also; he sanctioned them, bore witness to their truth, and determined to complete whatever was imperfect in them, by a written record of his own. Now, what Eusebius says of the imperfect part of the history which John wished to complete, is certainly awkward, but it is clear from his own declaration, that he has mixed up the old account with explanatory conjectures of his own, which must be distinguished from the his-torical facts.* Cf. Muratori *Antiqq. med. Ævi*, t. iii. p. 854.

Euseb. iv. 14. Reuterdahl. *de fontt. hist. eccl. Euseb.* p. 36. qui animadvertit, certe tolerabiliorem esse hanc Eusebii de Johannis scribendi consilio conjecturam, quam eam, de qua vid. not. seq. HEIN.

24, 10. *οἷα κρείττονι*] Patet inde vel patres ecclesiasticos Johanneis de Christi vita commentariis primas partes tribuisse, ut in quibus solis *τὰ πνευματικὰ* tradi crederent, cum tres priores evangelistæ *τὰ σωματικὰ* referrent. Cf. Clemens Alexandrinus apud Euseb. H. E. vi. 14. HEIN.

24, 12. *οἰκειότερον—καιρὸν*] Patet vel ex hoc loco satis insigni, quam studiosus fuerit Eusebius ordinis et rationum temporis. Cf. verba ultima capitis: *ἐν οἰκείῳ καιρῷ τὴν ἐπίκρισιν δέξεται καὶ αὐτή*. In mente enim habet ille, de Apocalypsi referre, quod Dionysius de illa disquisiverit. Sed per temporis rationes illud fieri poterat demum vii. 25. cf. vi. 32. iii. 31. extr. vi. 31. extr. vid. Kestner. p. 82. sq. cf. Danz. p. 32. not. 21. HEIN.

Ib. *παρὰ τοῖς πολλοῖς*] Vide Eichorn. *Einleitung in das N. T.* tom. ii. p. 422. sq. HEIN.

24, 13. *διὰ τῆς τῶν ἀρχαίων παραθέσεως*, i. e. *vetustiorum* testimonio, ut h. l. recte vertit Valesius vel: *aus den Zeugnissen der Alten*, ut interpretatus est non minus recte Strothius. Moneo hoc propterea quod ut h. l. taxavit interpretes Latinos falso illam vocem vertentes Strothius (*Uebers.* t. i. p. 182. not. 10.), ita ipse et Valesius male reddiderunt verba similia *ὡς ἐξ ἀρχαίων ἱστορίας εἰρήσθω* supra ii. 1. p. 94. edit. meæ, ut bene animadvertit Danz. p. 121. not. 17. Cum enim illa nihil significent nisi: *hæc sint dicta ex veterum scriptorum narratione ὡς ἔχει ἡ παράδοσις*, Valesius vertit: *et hæc quidem ex veterum monumentis desumta sunt*, pejus autem Strothius ad h. l. p. 72. *aus alten Nachrichten genommen*. Cf. Paulus *Commentar über das N. T.* tom. i. p. 4. extr. p. 5. init. ed. ii. ad Luc. i. 3. HEIN.

25, 1. *Τὰς δηλωθείσας*] recte vertit Valesius: *de quibus jam diximus*. Cf. i. 8. 9. ii. 7. iii. 35. iv. 1. 14. v. 4. Erravit igitur Vogel. *Comment. de Can. Euseb.* P. i. p. 4. Lücke *Uber den Neutestamentl. Canon des Euseb.* p. 9. justo plus quærentes in verbis illis, ut recte observat Hug. *Einleit. ins N. T.* t. i. p. 115.* Neque contrarium mihi persuaserunt argumenta

quæ attulit Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archæologie* tom. vi. p. 28. ubi postquam scripsit: Δηλωθεῖσαι γραφαί *are the same as* ὁμολογούμεναι, in nota subjecta illud inde patere dicit quod Eusebius ante locutus sit de ἀναντιρρήτοις γραφαῖς et ex verbis: εὐαγγέλιον ταῖς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν διεγνωσμένον ἐκκλησίαις ac: παρά τε τοῖς νῦν, καὶ τοῖς ἔτ' ἀρχαίοις ἀναμφίλεκτος ὡμολόγηται. Quæ quomodo quidquam probent, non video. Nonne enim Eusebius de ἀντιλεγομένοις quoque *statim* antea locutus est? non in ipso cap. 25. de iisdem iterum loquitur? Δηλωθεῖσαι igitur γραφαὶ duplex illud librorum genus continent, et vox ipsa nihil aliud potest significare, nisi: *de quibus diximus.* HEIN.

Ib. εἴγε φανείη] Patet vel ex his verbis Eusebio non certo constitisse utrum Apocalypsis inter ὁμολογούμενα sit referenda. Clarissime autem hoc demonstrant verba quæ paulo post leguntur ἔτι δὲ ὡς ἔφην———ὁμολογουμένοις. Ex quibus Eusebium prioribus illis εἴγε φανείη ne hoc quidem declarare voluisse, se *malle* inter ὁμολογούμενα referre Apocalypsin, luculenter apparet. Hinc non video, quomodo dicere potuerit Storr. *Uber den Zweck der evang. Geschichte und der Briefe des Johannes* p. 112. Eusebium h. l. inter ὁμολ. referre Apocalypsin. Quamvis hoc fecerit Irenæus, Melito, Origenes (ibid. p. 89—112.), tamen Eusebius nostro loco hac de re nihil definit, sed quidquid cuivis illo in genere placuerit, illud ei licere dicit. Hinc nullam vim habere puto quæ Storr. ibid. p. 116. sqq. affert. cf. de sententia Hieronymi ibid. p. 122. sqq. vid. Euseb. H. E. iii. 24. τῆς δὲ ἀποκαλύψεως ἐφ' ἑκάτερον ἔτι νῦν παρὰ τοῖς πολλοῖς περιέλκεται ἡ δόξα. iii. 39. εἰκὸς εἶναι τὸν δεύτερον Ἰωάννην (presbyterum,) εἰ μή τις ἐθέλοι τὸν πρῶτον, τὴν ἐπ' ὀνόματος Ἰωάννου ἀποκάλυψιν ἑωρακέναι. cf. Stroth. *Uebers.* t. i. p. 185. not. 2. Assentitur Reuterdahl. *de fontt. hist. eccles.* p. 38. qui tamen secum non satis conveniens scripsit: "*Quia tam indubium erat antiquitatis de hoc libro* (de Apocalypsi) *judicium,* (?) *inter homologumena* (?) *retulisse videtur Eusebius.*" Neque vero ex illa judicii de scriptore Apocalypseos ἐποχῇ quam Eusebius tenendam putavit, ut recte statuit quoque Eichhorn. *Einleitung in das N. T.* tom. ii. p. 421. sqq. cf. p. 387 sq., cum eodem V. D. l. l. p. 424 colligi posse censeo, ex antiquissimæ ecclesiæ testimonio an Johannes aposto-

lus Apocalypsin conscripserit, minime fuisse dubium: *Whoever cannot discover in the conduct of Eusebius here, that the voice of the oldest church has decided in favour of the Apocalypse as a work of the apostle John, must either have had little practice in the criticism of probabilities, or have made up his mind, at whatever cost, to declare himself for the contrary side.* Sed quamvis verendum sit ne aut omni sagacitate critica carere aut quovis modo aliis contradicere velle videar, tamen non possum non profiteri, mihi omnes rationes quibus vir summus sententiam suam probari posse putavit, videri falsas. Quod enim primum monuit Eichhorn. l. l. p. 423: *Elsewhere he places every book of which he has to speak in one of the three classes which he has constituted, why does he in the case of the Apocalypse leave every one to place it in whichever he chooses? How can he do this in accordance with the principles which he elsewhere follows in the classification of the books of the New Testament? How can he leave every one to form his own decision on the book, as long as the accounts of the ancients speak against it?* Illud quomodo nos docere possit, antiquissimam ecclesiam Apocalypseos αὐθεντίαν constanter agnovisse, non satis video. Nonne enim inde, quod Eusebius solam Apocalypsin in unam illarum quas constituit, librorum sacrorum classem haud referre voluit, sed judicium de illa plane liberum relinquere maluit, illud potius sua sponte et suapte vi consequitur, ex ipsius Eusebii sententia de Apocalypseos authentia longe magis quam de alio librorum sacrorum jam antiquiori tempore ecclesiæ judicium fuisse varium, multiplex et mutabile? Et nonne Eusebius optime nosse poterat non omnes τῶν ἀρχαίων Apocalypseos authentiam tueri, et tamen quid ipsi de illa statuendum videretur, haud definire propterea quod sua certe ætate de illa diversissima ratione statuebat ecclesia? Quod quidem eo fit veri similius quod de sola Apocalypsi noster monuit, suo tempore adhuc alios ejus auctoritatem canonicam agnoscere, alios non agnoscere. Vid. c. xxiv. ext. Τῆς δ' Ἀποκαλύψεως—— δόξα, et c. xxv. ἥν τινες—ὁμολογουμένοις. Sed Eichhornius ita pergit: *He promises more than once to adduce, on a suitable occasion, the notices of the ancients on the Apocalypse, why does he delay doing it, when many of the passages quoted presented the most suitable occasion?* Cur non ἐν οἰκείῳ καιρῷ (c. xxiv.),

vel κατὰ καιρὸν ut noster loquitur c. xxv., illa veterum testimonia attulisse dicendus sit Eusebius, non video (cf. cap. xxiv. pag. 168.), quamvis autem non opportuno loco attulisset, quid inde, quæso, colligi posset, nisi eum rectum narrationis ordinem non semper tenuisse? Sed multo magis mirum est, quod statim addit V. D.: *Why does he at last entirely fail in his promise, and never bring the passages of the ancients, as in the case of other books of the New Testament, in their full force before the mind of the reader? He clearly avoids the notices of the ancients, because he is not favourable to the book, and yet cannot reject it after the earlier judgment of the church, which gives it out as the work of the Apostle John; he does not venture to adduce the passages relating to it, because they might produce too favourable an impression on his readers, and on this account he prefers entertaining the readers of his history of the church with expectations without satisfying them.* Nam in his virum summum vehementer lapsum esse, nemo, credo, potest negare, cum Eusebius, quod promisit, optime præstiterit, quippe qui non solum Justinum M. et Theophilum Johanni tribuere Apocalypsin referat iv. 18. iv. 24. et v. 8. Irenæi locos, vi. 25. locum Origenis attulerit, unde illos quoque Apocalypsin Johanni Apostolo tribuisse luculenter intelligatur (cf. iv. 26. v. 18 ext.), sed etiam vii. 25. Dionysii Alexandrini qualemcunque in Apocalypsin ἐπίκρισιν nobis tradiderit. Cf. iii. 24. ext. Ὅμως—ἐπίκρισιν δέξεται καὶ αὐτή. Quomodo igitur Eusebius adeo non ausus esse dici potest afferre veterum locos qui Apocalypseos authentiam sint tuiti? quomodo adeo vano promissor hiatu appellari? Denique vero Eichhornius hæc scripsit: *He frequently feels a secret inclination to join the side of Dionysius of Alexandria; like him, therefore, he mentions John the Presbyter, proving that he formerly existed by the two tombs at Ephesus; history, however, will not allow him to decide in his favour, and he therefore gives the Apocalypse to John the Presbyter, and takes it away again in the same breath.* Sed primum non video, cur, si rectius rejicere Apocalypsin visus esset Dionysius Eusebio, hic illius partes in eo non secutus sit, qui haud longius a Dionysio discedere videtur in judicio de secunda et tertia Johannis Epistola. Vid. Euseb. H. E. vii. 25. et hoc ipso capite verba τῶν δ' ἀντιλεγομένων——ἐκείνῳ. De-

inde ubi tandem significavit Eusebius, se cupere cum Dionysio rejicere Apocalypsin, qui potius nihil de ea definiendum putat? Nihil enim aliud vel ex loco iii. 32. recte potest colligi. Verbis enim: Εἰκὸς γὰρ τὸν δεύτερον—ἑωρακέναι illud unum significare haud dubie noster voluit, quamvis an scripserit Johannes Apostolus Apocalypsin nec ne, non constet, tamen nonnisi ita sententias de eo recte posse discrepare, ut aut Johannes Apostolus aut Presbyter illam scripsisse censeatur. Sed ubi tandem Eusebius dixit *se* malle tribuere Johanni Presbytero Apocalypsin? Imo hoc non magis dixit quam *se* illam malle Johanni Apostolo vindicare. HEIN.

25, 2. ἐν νόθοις] Improprie hoc nomen usurpat Eusebius, pro libris scilicet qui ambiguæ sunt auctoritatis, cum νόθοι dici debeant libri adulterini et ab hæreticis conficti, de quibus mentio fit in fine hujus capitis. Quod ut manifestius appareat, intelligendum est tres esse species librorum sacrorum. Alii sunt extra controversiam veri, alii extra controversiam falsi, tertii sunt de quibus inter antiquos ambigitur. Hi postremi νόθοι dici non possunt, cum a multis habiti sint pro veris. Restat igitur ut secundi dicantur νόθοι sive adulterini. Hujusmodi est Pauli Epistola ad Laodicenses, quam Hieronymus uno consensu ab omnibus explosam fuisse dicit. Porro Athanasius, seu qui alius auctor est tractatus de sacræ scripturæ libris, eadem ἀκυρολογίᾳ utitur qua Eusebius, dum libros ἀντιλεγομένους confundit cum libris apocryphis et adulterinis. Sed Eusebius infra in cap. 31. seipsum emendat, et adulterinos libros ab ambiguis aperte distinguit. Sed et Gregorius Naz. in Iambico carmine ad Seleucum nostram sententiam aperte confirmat. Nam ex sacræ scripturæ libris alios ait esse genuinos ac legitimos, quos ibidem omnes recenset, alios vero suppositicios quos appellat νόθους, et adulterinæ monetæ comparat: tertios vocat medii ordinis, qui ad veros illos ac genuinos libros proxime accedant. Quam divisionem hausit Gregorius ex Origenis tomo xiii. explanationum in Joannem. Ibi enim Origenes de libro qui prædicatio Petri inscribitur, ait: *Disquirentes sitne genuinus liber, an nothus, an mixtus.* Ceterum si proprie loqui velimus, duo tantum sunt genera librorum sacrorum, veri scilicet, et dubii sive ἀντιλεγόμενοι. Nam spurii in numerum sacrorum librorum referri non me-

rentur. VALES. Constat varia ratione a VV. DD. canonem Eusebii esse constitutum. Videndi sunt et conferendi hanc in rem qui duos scriptorum ab Eusebio judicatorum classes constituunt: Chr. Fr. Schmidt. *Historia antiqua et vindicatio Canonis s. V. et N. T.* Lips. 1775. p. 356. Bertholdt. *Einleit. ins Neue Testam.* t. i. p. 120., qui quatuor: Chr. Fr. Weber. *Prüfung der Hauptstelle des Eusebius vom Kanon;* in: *Beiträge zur Geschichte des neutestam. Kanons*, Tübing. 1791. p. 142. sqq. Münscher. *Dogmengeschichte*, t. i. p. 321. sqq. t. iii. p. 61. sqq. 68. sq. Joh. Ern. Chr. Schmidt. *Uber den Kanon des Eusebius* in Henke *Magazin*, t. v. p. iii. p. 451. Hänlein. *Einleitung ins Neue Testam.* t. i. *Dänisch Ubersetzt* Partic. i. in appendicibus, p. 29. Equidem verum vidisse puto Hug. *Einleit.* t. i. p. 112. sqq. p. 116. sqq. cujus expositio a Valesii ratione re vera haud longe abest. Πρῶτον Eusebii ψεῦδος erat, quod illam νόθων, i. e. ἀντιλεγομένων librorum divisionem fingeret. cf. Hug. ibid. p. 118. 122—124. Præterea propius ad ejus sententiam accedunt, Stroth. *Deutsche Uebersetzung*, t. i. p. 183. not. 1. Flatt. *Magazin*, vii. viii. Vogel. *Commentat. de Canone Eusebiano*, PP. iii. Erlang. 1809–11. Lücke *Ueber den neutestam. Kanon des Eusebius*, Berol. 1816. Reuterdahl. *de fontt. hist. eccl. Euseb.* p. 31. sqq. Quidquid autem sit, illud profecto patet, si alicubi, h. l. studii certe sui criseos insigne dedisse Eusebium documentum, quamvis interdum ipse critici historici munere non functus sit. Conferantur autem potissimum loci ii. 15. i. 9. iii. 3. 38. iv. 3. 26. v. 16. 18. vi. 6. vii. 23. vi. 14. v. 18. iii. 36. 9. ex quibus locis singulis critica sagacitas nostri variis in causis elucet. vid. Kestner. *de Euseb.* p. 58—64. ubi bene simul animadvertit, V. D., Irenæum ut cui exigua de librorum sacrorum authentia judicanti fides haberi posset, non valde a nostro consultum esse. cf. v. 8. Möller. p. 110. sq. Kestner. p. 5. not. 7. HEIN.

Ib. τῶν ἀποστόλων λεγόμεναι διδαχαὶ] De hoc libro vide quæ notavit Usserius in *Dissertatione de Sancti Ignatii Epistolis,* cap. 7. VALES. Vid. præterea Cotelerii *Patres Apostoll.* tom. i. p. 201—428. Dallæi *de Pseudepigr. Apostolorum*, lib. i. ii. T. Ittig. *Dissert. de Patribus Apostolicis.* Ejusd. *de Pseudepigraphis Christi, Mariæ et Apostolorum*, c. ix. Albaspinæi

(D'Aupepine) *Observv. Eccles.* lib. i. c. 5. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christl. Archæol.* tom. iv. p. 211. sqq. cf. Pearson. *Vindic. Epist. Ignat.* part. i. p. 60. HEIN.

Ib. Τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον] De hoc Hieronymus in catalogo, ubi de Jacobo fratre Domini sic ait: *Evangelium quoque quod appellatur secundum Hebræos, et a me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum est, quo et Origenes sæpe utitur*, etc. De hoc evangelio loquitur Julianus Pelagianus in libro iv. ubi Hieronymum accusat, quod in dialogo adversus Pelagianos usus sit testimonio quinti evangelii quod in Latinum ipse sermonem transtulerat. Quod autem subjungit Eusebius, eo evangelio præcipue delectari Judæos illos qui Christum susceperunt, intelligere videtur Nazaræos et Ebionitas. Hi enim evangelium illud Hebraico sermone conscriptum legere consueverant, ut docet idem Hieronymus in Jesaiam cap. 11. et in Ezechielem cap. 18. et in Matthæum [t]. Recte ergo Rufinus vertit: *quo præcipue utuntur Hebræi illi qui Christum suspicere videntur.* Porro illud evangelium non Hebraïco, sed Syro Chaldaicoque sermone scriptum fuisse testatur Hieronymus in libro iii. adversus Pelagianos: *In evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque sermone, sed Hebraicis litteris scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazareni, secundum apostolos, sive ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod et in Cæsariensi Bibliotheca habetur.* Idem scribit in Epistola ad Hedybiam quæst. 7. VALES.

25, 3. κατὰ—παράδοσιν, i. e. a plerisque ecclesiasticis scriptoribus, ut recte vertit Valesius. Inter fontes, quibus usus est Eusebius, haud ultimum locum tenet traditio, tum ἄγραφος, iii. 39. vi. 14. tum ἔγγραφος et δι' ὑπομνημάτων, iii. 37. extr. ubi scripti fontes sub παραδόσεως titulo laudantur, iv. 8. 21. 37. cf. Suicer. *Thes.* t. ii. p. 576. Iren. adv. Hær. i. 10. iii. 3. 20. Tert. de Præscr. 22., quæ loca laudat Kestner. p. 37. ut doceat παράδοσιν alibi quoque de iis dici, quæ in aliorum *scriptis* nobis traduntur. Fide autem sæpe ut sunt dignissima ἐκ παραδόσεως tradita, ita satis lubrica et incerta, a μύθῳ autem semper distinguenda. HEIN.

Ib. πρὸς τῶν αἱρετικῶν, cf. Iren. adv. Hær. i. 17. Epi-

[t] Vid. Stroth. in: *Repertorium für bibl. und morgenl. Literatur*, t. i. p. 1. sqq. cf. Hug. *Einleitung ins Neue Testam.* t. ii. p. 20. sqq. HEIN.

phan. Hær. xxvi. xxx. Moshem. *de Causis suppositorum Librorum inter Christianos Seculi primi et secundi* in *Dissertt. ad hist. eccles. pertt.* vol. i. p. 234. cf. Augusti *Denkwürdigkeiten*, tom. iii. p. 242. HEIN.

Ib. τῶν κατὰ διαδοχὰς ἐκκλησιαστικῶν] Nicephorus in libro ii. cap. 46. hæc Eusebii verba interpolavit hoc modo οὔτις τῶν ἀποστολικῶν διαδόχων καὶ τῶν κατεξῆς ἐκκλησιαστικῶν συγγραφέων. Sed nihil opus erat hujusmodi emendatione. Neque enim Eusebius hic loquitur de apostolorum successoribus, qui titulus solis convenit episcopis, sed de ecclesiasticis scriptoribus loquitur, qui perpetua successione in ecclesia floruerunt. Itaque τῶν κατὰ διαδοχὰς ἐκκλησιαστικῶν, idem valet ac τῶν καθ' ἑκάστους καιροὺς ἐκκλησιαστικῶν, vel τῶν ἀεὶ ἐκκλησιαστικῶν. Nam ut apud Hebræos fuit olim successio prophetarum, licet aliquoties interrupta, quemadmodum tradit Josephus in libro i. contra Apionem, sic in ecclesia fuit semper successio doctorum et tractatorum, qui ecclesiastici dicebantur, ut supra notavi. Hieronymus in cap. 11. Esaiæ: *Id quod in Evangelio Matthæi omnes quærunt ecclesiastici et non inveniunt*, etc. VALES. Ἐκκλησιαστικοὶ qui sint, vid. supra, ii. 25. p. 127. sq. Falsum autem esse ipse Val. videt, h. l. nonnisi de episcopis cogitare, et de perpetua, nunquam interrupta *eorundem* successione, quam Catholici somniant. Niceph. sensum loci bene perspexit. Nam τῶν—ἀνὴρ nihil est nisi: quidam ex iis—qui primi secuti sunt apostolos, i. e. apostolorum temporibus vicinorum. Ita supra, ii. 23. dicitur Hegesippus ἐπὶ τῆς πρώτης τῆς ἀποστόλων γενόμενος διαδοχῆς, i. e. inter eos fuisse, qui primi exceperunt apostolos. Recte ibi ipse Val. vertit: qui apostolorum temporibus *proximus* fuit. cf. Danz. p. 118. et infra, 37. extr. v. 11. vi. 9. 12. Idem vero Danzius l. l. recte contendit contra Tillemont. *Mémoir.* t. iii. p. 610. sq. (cf. Pearson. *de serie et successione primor. Romæ episcop.* Diss. i. cap. 5.) vocem διαδοχὴ apud Eusebium semper de successione in munere, nunquam de successione doctrinæ seu traditione usurpari. Singularem tamen quandam et ab illa paulo diversam significationem vocis διαδοχὴ invenisse sibi visus est Reuterdahl. *de fontt. hist. eccl. Eus.* p. 6. apud Eus. i. 1. statim ab initio, ubi leguntur hæc: τὰς τῶν ἱερῶν ἀποστόλων διαδοχὰς κ. λ. Ita autem V. D. disputat:

Αἱ διαδοχαὶ τῶν ἀποστόλων proprie quidem et stricte sunt successiones apostolorum, i. e. *series præsidum ecclesiarum. Cum vero hæ series paulo post in alio membro commemorentur* (in verbis scilicet ὅσοι——προέστησαν) *Eusebius vel negligentissimus rerum suarum habeatur enumerator, unam rem bis referens, vel peculiari quodam modo in initio operis διαδοχὰς τῶν ἀποστόλων intellectas voluerit. Utrumque fere recte dictum de eo putaverim. Quia res totius ecclesiæ cum rebus illi præfectorum cohærent, notioni διαδοχαὶ τῶν ἀποστόλων facile generalior quædam vis obvenire potuit: talem ab Eusebio, si non clare, obscure tamen illi tributam fuisse, inde e. g. constat, quod in proœmio libri* viii. *totum suum opus περιγραφὴν appellat τῆς τῶν ἀποστόλων διαδοχῆς.* (cf. Reuterdahl. l. l. p. 50.) *Cum vero non clare distingueret inter generalius hoc et strictius illud διαδοχή; fiebat ut in initio operis neque hoc neque illud pure exprimeretur, sed utrumque confuse exhiberetur. Una scilicet ex parte hoc διαδοχαὶ opus incipiens omnia et singula complecti videtur, quæ in opere continerentur: ex altera vero sequentibus membris annexum perspicue copulante particula τε horum membrorum primum tantum fit. Similiter sequens membrum* (scilicet ὅσα τε καὶ πηλίκα—λέγεται) *per se generale, specialibus coordinatur. Strothius in versione theotisca διαδοχαὶ hoc, ne versio claudicaret, generaliter sumsit: cæteri interpretes, ad rem non attenderunt.* Verum enim vero ut ingenue fatear, hoc unum ex iis, quæ h. l. disputavit Reuterdahlius, verum puto non animadvertisse præter Strothium quemquam ea, quæ ipse monuit. Nego enim primum, tum generaliori tum angustiori sensu simul illo loco et quocumque alio vocem illam accipere potuisse Eusebium, affirmo contra eum non minus illo loco quam aliis consueto, i. e. angustiori sensu διαδοχῆς vocabulum usurpasse. Quod ad illud attinet, facile intelligitur cum cujusvis loci sensus nonnisi *unus* esse possit, duplici sensu nec voce διαδοχῆς uti potuisse Eusebium. De hoc vero, non cogitavit V. D., Eusebium ipsum accurate explicare, quid sibi voluerit illis τὰς τῶν ἀποστόλων—χρόνοις. Quæ quidem ipsa cum sint paulo obscuriora, adjicit primum ὅσα τε καὶ πηλίκα—λέγεται, quæ verba apte respondent illis: σὺν καὶ τοῖς——χρόνοις, neque vero novum quoddam membrum partitionis constituunt quod ipsum iterum tum generaliori tum specialiori sensu dictum nobis videri possit, sed ni-

hil indicant, nisi voluisse Eusebium opere suo omnia comprehendere, quæ inde a Servatoris ætate ad sua usque tempora referret historia ecclesiastica. Hinc nullo modo debebat Reuterdahl. p. 40. caput ii. inscribere: *ὅσα—λέγεται*, quasi Eusebius illis novam quandam classem voluerit indicare, in quam redigenda crediderit ea, quæ reliquis complecti non potuerit. Quod quam male fecisset Eusebius, qui facile earum rerum quas illa classe complexum eum putat Reuterdahl. p. 40. 41., nova membra facere potuisset, V. D. ipse l. l. sensisse videtur. Imo omisit Eusebius omnia, quæ retulit in opere suo, certis quibusdam partibus statim ab initio subjicere, easdemque omnes et singulas memorare. Verba autem *τὰς—διαδοχὰς*, ipse interpretatur sequentibus *καὶ ὅσοι——προέστησαν*. Itaque illa *σὺν καὶ—χρόνοις* quibus respondent *ὅσα——λέγεται* tanquam membrum divisionis generale quid tradere voluerit Eusebius in opere suo, in universum declarant, verba autem *τὰς—διαδοχὰς* qnibus conveniunt *καὶ——προέστησαν* eodem modo quo reliqua quæ sequuntur, quid sigillatim exponere voluerit Eusebius, significant et adumbrant, neque tamen accuratissime et plenissime definiunt et exprimunt. Neque vero generaliori sensu usurpasse Eusebium illo loco verbum *διαδοχή*, ostendunt verba ejusdem cap. i. *ἀγαπῶντες εἰ καὶ μὴ ἁπάντων—τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀποστόλων τὰς διαδοχὰς——ἀνασωσαίμεθα*, unde patet eum ut ipsum episcopum, hoc quoque potissimum sibi proposuisse, ut episcoporum successiones accurate indicaret, reliquis, ut per se patet, haud exclusis. cf. Danz. p. 46. Hinc denique, lib. viii. procem. dicit, *τὴν τῶν ἀποστόλων διαδοχὴν—περιγράψαντες*, sed nullo modo totum opus suum vocat *περιγραφὴν τ. ἀ. δ.* ut dicit Reuterdahl. HEIN.

26, 1. *Ὅπλον δεύτερον*] In hujus vocis interpretatione omnes interpretes lapsos esse miror. Rufinus *scutum* vertit, Langus et Musculus *armaturam*, Christophorsonus *propugnaculum*. Atqui *ὅπλον* hoc loco significat *telum*. Igitur *ὅπλον τῆς διαβολικῆς ἐνεργείας*, idem est ac *ὄργανον*, instrumentum dæmoniacæ pravitatis. VALES.

Ib. *Σαμαρεὺς*] Menander Samaræus dicitur, eodem modo quo Simon Samaræus appellatur a Justino in Apologetico et a Clemente in libris Recognitionum, id est, ex provincia seu re-

gione Samaria. Nam Simon quidem ex vico Gitthis, Menander vero ex Capparattea, ἀπὸ κώμης Καππαραττέας. Sic enim in Maz. Med. et Fuk. VALES. De Menandro vid. Moshem. *Instit. hist. Christ. major.* sec. i. p. 432—438. HEIN.

27, 1. Ἐβιωναίους, vid. Gieseler. *Comment. de Nazaræis et Ebionitis* in Staeudlin und Tzschirner *Archiv.* t. iv. P. ii. p. 297. sqq. 306. sqq. 320. HEIN.

27, 2. Ἄλλοι—προσηγορίας] Patet, ut ex loco Origenis, quem citavit Valesius, not. 4., ita ex hac divisione Ebionæorum in duo genera quam fecit Eusebius, eum solum Origenem secutum esse in iis, quæ h. l. de Ebionæis refert. Cum enim latiorem interdum potestatem subjicerent seculi ii. et iii. patres Ebionæorum vocabulo quam recentiores, atque omnes Ebionæos vocare solerent, qui ex Judæis Christum ita receperant ut Mosis simul legis essent tenaces (vid. Orig. contra Cels. iii. p. 385. tom. ii. Opp.), nata inde est ista divisio Ebionæorum in meliores et deteriores, quam haud dubie ex ipso Origene (vid. Orig. contra Cels. v. p. 625. t. ii. Opp. cf. Theodoret. Fab. Hæret. ii. 1.) cui reliqua debet, hausit Eusebius. vid. Moshem. *Commentarr. de rebus Christ. a. C. M.* p. 329. cf. ejusd. *Dissertt. ad hist. eccles. pertt.* vol. i. p. 559. Petav. *Animadvv. Epiph.* p. 55. Male igitur, Reuterdahl. *de fontt. histor. eccles. Euseb.* p. 71. sq. ex Irenæo sua depromsisse opinatur Eusebium, et cum Irenæus unum modo Ebionæorum genus habeat, tamen mala interpretatione in Iren. adv. Hær. i. 26. *Quæ sunt erga Dominum, non (?) similiter ut Carpocrates et Cerinthus opinantur Ebionæi*, Eusebium duo genera invenisse credit, ut taceam nec de lectione illius loci omnes consentire. Cf. Grabe ad h. l. HEIN.

Ib. ἀποστόλου—ἡγοῦντο] Hieronymus in caput xii. Matth. *adversus Hebionitas qui cum cæteros recipiant apostolos, Paulum quasi transgressorem legis repudiant.* VALES.

27, 3. Ταῖς δ' αὖ κυριακαῖς ἡμέραις——ἐπετέλουν] Non possum assentiri h. l. Augustio, qui in libro suo: *Denkwürdigkeiten aus der Christlichen Archæologie,* tom. iii. p. 364. hæc scribit: *When Eusebius relates of the Ebionites* ταῖς——ἐπετελοῦν—*this passage may bear two meanings; either, they keep the sabbath as we do in remembrance of the resurrection of Jesus, or they celebrate the holy supper on the sabbaths* (εἰς τὴν ἀνάμνησιν κυρίου.) Præfert

autem V. D. priorem sententiam propterea quod posterior pugnare videatur cum verbis Epiphan. Hær. xxx. Opp. tom. i. p. 139. ed. Petav. *Μυστήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαύτου εἰς ἐνίαυτον, διὰ Ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνον.* Jam vero primum quamvis dissentiat Epiphanius ab Eusebio, tamen nonnisi illud hunc quidem tradere puto, Ebionæos singulis diebus dominicis *simili ratione qua ecclesiam catholicam,* cœnam sacram celebrare. Satis enim aperte Eusebius dicit, Ebionæos sabbati celebrationem retinentes consensisse quidem cum Christianis simili celebratione (ἐπετέλουν) *ritus illius,* qui diebus Dominicis in memoriam *simul* resurrectionis Christi solebat ab iis observari, in eo autem discrepasse, quod *reliquæ Judaicæ disciplinæ* (τὴν Ἰουδαϊκὴν ἄλλην ἀγωγὴν Val. paulo angustius vertit: *ritus Judaicos* recte Stroth. *die übrige Jüdische Kirchenzucht*) quod inquam, huic non valedicebant. Ut enim monuit Stroth. *Uebers.* t. i. p. 193. not. 1., Judaismus Ebionæorum maxime continebatur in observando sabbato et circumcisione, quo accedebat quotidianus quidam eorum baptismus. Hæc igitur erat illa Judaica ἀγωγὴ ritus illos complectens. Quod vero ad Epiphanium pertinet, dubito an non in ejus verbis necessario insit, quod inesse contendit Augusti l. l. *That they celebrate the Lord's supper only once a year.* Quidni enim ἀπο ἐνιαύτου εἰς ἐνίαυτον temporis seriem minime interruptam significet, ut sit: *per totum annum?* cf. Matth. xxiv. 31. Sed παραπλήσια non debuisse vertere Valesium: *eadem* et Strothium: *eben das,* hoc docet Epiphanius. cf. v. 15. not. 1. HEIN.

Ib. τοῦ Ἐβιωναίων ὀνόματος τὴν τῆς διανοίας πτωχείαν] Idem scribit Origenes in lib. iv. de principiis: *οὐκ ἐλαμβάνομεν ταῦτα ὡς οἱ πτωχοὶ τῇ διανοίᾳ Ἐβιωναῖοι, τῆς πτωχείας τῆς διανοίας ἐπώνυμοι· Ἐβίων γὰρ ὁ πτωχὸς παρ' Ἑβραίοις ὀνομάζεται. Ὥστε ὑπολαβεῖν ἐπὶ τοὺς σαρκίνους Ἰσραηλῖτας προηγουμένως τὸν Χριστὸν ἐπιδεδημηκέναι.* Porro in codice Maz. ac Med. id nomen cum aspero spiritu perscriptum est, tum hoc in loco, tum in libro sexto, ubi agitur de Symmacho Veteris Testamenti interprete. VALES.

28, 1. Κήρινθον] De Cerintho potissimum, vid. J. E. Ch. Schmidt. *Cerinth, ein judaisirender Christ,* in ejusd. *Bibliothek für Kritik und Exegese des Neuen Testam.* t. i. p. 181.

Paulus *Historia Cerinthi* in ejusd. *Capp. sell. introduct. in N. T.*, Jenæ 1799. 8. HEIN.

Ib. ἐπεισάγει, cf. Fabric. B. G. t. iv. p. 791. ed. Harl. Cod. Apoc. N. T. p. 936—970. Ceterum Caium h. l. non necessario dicere, Apocalypsim quæ Johannis apostoli crederetur, esse πλάσμα Cerinthi imo potius finxisse Cerinthum non reverentem auctoritatem veræ Apocalypseos Johannis apostoli proprias ἀποκαλύψεις, mille annorum inde numero sumpto ut regno suo millenario ceterum a Johannis diverso fautores conciliaret, bene animadvertit, Paulus *Histor. Cerinthi part. prior.* §. 30. cf. Hug. *Einl. ins N. T.* t. ii. p. 543. sq. Sed diversa profecto est ratio illius loci, quem statim post ex Dionysii Alex. libro secundo περὶ τῶν ἐπαγγελιῶν laudat Eusebius. Recte vertit Valesius: *Cerinthum vero, inquit* (Dionysius) *qui hæresin illam quæ ab ipso Cerinthiana cognominata est condidit, aiunt eum librum composuisse indito Johannis nomine, dum auctoritatem suis figmentis ex Johannis nomine mutuari vellet.* cf. vii. 25. in. ἐπὶ Ἰωάννου γὰρ οὐκ εἶναι λέγουσιν ——Κήρινθον δὲ κ. λ. Jam vero cum nostro loco illud Dionysii effatum statim sine ulla accuratiori notatione priori Caii subjungat, Eusebius quidem credidisse videtur, Caium idem dicere, quod Dionysium, in quod Paulus l. l. non respexit. Sed inde non sequitur, nos quoque ita debere Caii verba interpretari. Neque Caium loqui de ipsius Johannis Apocalypsi, certum esse puto quamvis hoc contendat Eichhorn, *Einleitung in das N. T.* tom. ii. pag. 414. sq. not. f. ed. ii. ubi hæc leguntur: *It would never have occurred to any one to doubt whether Caius is speaking of our Apocalypse, if he did not use the term* Ἀποκαλύψεσι, *in the plural number, whereas John's work is generally called* Ἀποκάλυψις *in the singular. Yet* Ἀποκαλύψεις *may be the plural by way of distinction, for which Eusebius also appears to have taken it, since, although he was well acquainted with the passage of Caius of Rome, having himself quoted it, he yet invariably calls the book which is denied to be St. John's* Ἀποκαλύψεις, *and never* Ἀποκάλυψις, *as if both were one and the same thing. Eusebius in Hist. Eccl. lib.* iii. *c.* 25. *S. Storr's Neue Apologie, S.* 72. Sed hoc quomodi probari possit ἀποκαλύψεις h. l. idem esse quod ἀποκάλυψιν, non video. Nam quo jure credere possimus, quia Eusebius Johannis

Apocalypsin semper ἀποκάλυψιν, nunquam ἀποκαλύψεις dicit, propterea illum utrumque illud inter se confudisse? Et quamvis Eusebius Caium de Johannis Apocalypsi loqui crediderit, quod vero alia de causa et quam attuli, probabile videtur, num inde sequitur, nos quoque eo modo quo Eusebium *debere* interpretari verba Caii? Neque vero recte addit Eichhorn. l. l. *Moreover Dionysius of Alexandria without hesitation calls our Apocalypse,* Ἀποκαλύψεις *in Eusebius H. E. lib.* vii. *c.* 25. Nam in eo plane lapsus mihi videtur V. D. Neque enim Dionysius apud Euseb. l. l. ἀποκαλύψεις dixit Johan Apocalypsin. Verba Dionysii quæ in mente habuit V. D. (cf. Eichhorn. l. l. p. 437.), hæc sunt: Ἀδελφὸν δὲ ἡμῶν καὶ συγκοινωνὸν εἶπε καὶ μάρτυρα Ἰησοῦ, καὶ μακάριον ἐπὶ τῇ θέᾳ καὶ ἀκοῇ τῶν ἀποκαλύψεων. Quis vero ibi τῶν ἀποκαλύψεων idem esse recte censere possit quod τῆς ἀποκαλύψεως, ita quidem ut significetur *liber* ille Johannis qui ἀποκάλυψις inscribitur? An propter θέαν et ἀκοὴν illius libri se beatum prædicasse Johannes dici poterat? Imo propter *Revelationes* quas audiverat et viderat, i. e. cognoverat, perspexerat, habuerat. Hinc recte Strothius vertit *Offenbarungen.* Cf. vii. 25. p. 375. sq. edit. meæ: συντελέσας—τὴν προφητείαν—ταῦτα. Ibid. p. 377. Ἐπὶ ταύτῃ γὰρ τῇ ἀποκαλύψει etc. Itaque certe minime exploratum esse puto, de Johannis Apocalypsi loqui Caium, neque aliter *posse* ejus verba explicari. Cf. Moshem. *Institt. hist. Christ. major. sec.* i. pag. 459. sq. Walch. *Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzereien,* t. i. p. 258. sqq. Cf. Stroth. *Uebersetz.* t. i. p. 194. not. 4. HEIN.

Ib. ἐπίγειον] Docuisse regnum quoddam millenarium Cerinthum certum est. Sed tam crassa non erat doctrina qualem finxere Caius et Dionysius. Vid. Moshem. *Comm. de rebus Chr. a. C. M.* p. 199. Cramer. *Fortsetzung des Bossuet*, t. ii. p. 200. sqq. Gieseler. *Lehrb. der K. G.* p. 103. HEIN.

Ib. ἐν δευτέρῳ τῶν ἐπαγγελιῶν] Scribendum est ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν ἐπαγγελιῶν. Scripserat enim Dionysius Alexandrinus duos libros de promissionibus, seu de præmiis quæ promisit Deus se post hanc vitam justis hominibus redditurum. Ex his libris secundus erat adversus Nepotem quendam episcopum Ægypti, qui ex Joannis Apocalypsi adstruere volue-

rat, regnum Christi terrenum futurum esse, ut docet Eusebius in libro septimo. VALES.

28, 2. ἀξιόπιστον ἐπιφημίσαι θελήσαντα] Hic locus Dionysii integer exstat in lib. vii. hujus historiæ, cap. 25. Inde igitur petenda est hujus loci explicatio. Quidam inquit Dionysius, aiebant librum illum Apocalypseos compositum esse a Cerintho hæresiarcha, qui sub Joannis Apostoli nomine eam Revelationem publicavit, quo majorem auctoritatem dogmatibus suis compararet. VALES.

Ib. εὐφημότερον] Non aliter legisse Rufinum ex versione ejus apparet. Sic enim vertit: *Et ut aliquid sacratius dicere videretur, legales aiebat festivitates rursum celebrandas.* Festorum scilicet et sacrificiorum nomine libidines suas velabat Cerinthus, ut honestatem quandam in speciem præferret. VALES. Facile patet, non satis recte vertisse Val.: ut honestiori *vocabulo—velaret.* Recte ipse infra, vii. 24. 25. ubi eadem verba repetuntur. Valesium presse secutus Strothius in Germanica interpretatione ad loca laudata. Neque tamen aliud quid sibi voluit Val. quam quod Danz. p. 208. sq. interpretatus εὐφημ. *quod bonæ famæ vel existimationi melius consulit.* Hoc enim ipsum uno verbo est: *honestum, anständig.* HEIN.

28, 3. ἱστορίαν—λήθης] Eandem recoquit Eusebius, iv. 14. ubi adeo Irenæo affuisse dicit nonnullos, qui ex Polycarpo illud audivissent. Sed quam inepta sit illa fabula quam ipse Eusebius justo citius credidit, satis docet Epiphan. Hær. xxx. p. 148. sq. ed. Petav., qui idem de Ebione narrat. cf. Moshem. *Institt. hist. chr. sæcul.* i. p. 438. sq. Reuterdahl. *de fontibus Hist. Eccl. Eus.* p. 26., qui tamen, cur majorem auctoritatem fore credat illi narratiunculæ, si Eusebius Polycarpum ipsum eam retulisse, iv. 14. scriberet, nescio. HEIN.

29, 1. Νικολαϊτῶν] Vid. Moshem. *Demonstratio sectæ Nicol.* in ejus *Dissertt. ad Hist. Eccles. pertt.* vol. i. p. 395. sqq. cf. p. 408. 421. 429. De vocabuli illius originibus diversissimas opiniones et conjecturas constat protulisse VV. DD. Præter eos quos laudat Moshem. in supplemento ad dissertationem suam de Nicolaitis, pag. 466. sqq. vid. C. A. Heumann. in *Actis Erudit.* Lips. a. 1712. p. 179. Ejusd. *Poecile,*

t. ii. p. 391. Eichhorn. *Comment. in Apocal.* vol. i. p. 74. Münscher. in Gabler. *Journal für Theol. Litteratur*, t. v. p. 17, sq. cf. Clem. Strom. ii. p. 490. iii. p. 522. Iren. ii. 27. iii. 11. C. F. Rederus, *Nicolaum Diaconum Hæreseos Nicolaitarum Auctorem non fuisse*, Lipsiæ, 1736. 4. Equidem ut desererem sententiam Moshemii, l. l. p. 472. extr. expositam, qua a Nicolao diacono nomen sibi adscivisse putandi sunt Nicolaitæ, non potui adduci. Ceterum Eusebium solum Clementem ante oculos habuisse, nisi per se pateret, inde certe sequeretur, quod Eusebius non ut Irenæus vere ortos esse credit Nicolaitas a Nicolao, sed ab eo non nisi ortos esse voluisse Nicolaitas dicit verbis: *οὗτοι——ηὔχουν.* cf. Moshem. l. l. p. 429. sqq. Erravit in eo iterum Reuterdahl. p. 72. HEIN.

29, 2. *ἁπλῶς καὶ ἀβασανίστως*] Hæc verba referri debent ad *κατακολουθήσαντες*, non autem ad vocem *εἰρημένῳ*. Quod cum non animadvertisset Christophorsonus, a Clementis sensu longe aberravit. Neque enim illud tum dictum tum factum Nicolai, temere et inconsiderate ei excidisse ait Clemens, immo hoc Nicolai apophthegma fuisse docet in libro ii. Stromatei sub finem: *δεῖ παραχρᾶσθαι τῇ σαρκί.* Quod quidem dictum, sectatores ejus ita interpretati sunt, quasi Nicolaus unumquemque carne sua ad omnem voluptatem et lasciviam abuti oportere præcepisset; cum tamen Nicolaus plane contrarium hoc dicto intellexisset, nempe carni haudquaquam indulgendum esse, sed eam domandam et adsidua virtutis exercitatione fatigandam. Porro de hæresi Nicolaitarum Victorinus Petabionensis episcopus in commentariis in Apocalypsim: *Nicolaitæ autem erant illo tempore ficti homines et pestiferi, qui sub nomine Nicolai ministri fecerunt sibi hæresim, ut celibatum exorcizaretur et manducari posset, et quicumque fornicatus est, octava die pacem acciperet.* VALES.

Ib. *καὶ ἡ ἐγκράτεια*] Hæc per enallagem dicuntur a Clemente Alexandrino. Sic enim accipienda sunt quasi diceret *τὸ παραχρᾶσθαι τῇ σαρκὶ, τὴν ἐγκράτειαν ἡδονῶν ἐδίδασκε* [u]. Quod Rufinus et Christophorsonus non intellexerunt. VALES.

29, 3. *τὸν Ματθίαν*] Multa præterea de Matthia tradunt veteres. Vid. quos laudat Reuterdahl. *de fontt. Hist. Eccl.*

[u] Minime. HEIN.

Eus. p. 29., Clem. Alex. Strom. iv. p. 579. vi. 793. vii. 882. et Cod. N. T. Apocryph. t. i. p. 882. sqq. ed. Fabric. Quod ad illud dictum Matthiæ attinet, quod solum tanquam ejus quoque cepit ex Clemente Eusebius, Reuterdahl. l. l. Clementi, inquit, *dictum hocce, Gnostica redolens, Gnostici—tradiderant: qua re fides ejus per se non magna, vix augetur.* HEIN.

30, 1. Οὐ λυπεῖ——τρόπον] Vituperat Eusebium propter laudatum ex Clementis Al. Strom. lib. vii. p. 736. locum Kestner. p. 72. ita: *Neque sane criticæ diligentiæ documentum est quod, Euseb.* iii. 30. *ex Clementis Strom. locum citat, quo ille Paulum* ἔν τινι ἐπιστολῇ *uxorem suam salutasse, testatur eoque illum in conjugio vixisse probat. Sed non modo nusquam, quod sciam in Pauli Epistolis (quarum etiam non plures quam quatuordecim Eusebius novit H. E.* iii. 3.), *illa salutatio reperitur, sed etiam,* 1 Cor. vii. 8. *Clementis sententiæ tantum in modum repugnare videtur, ut Eusebium sane, quod non accuratius saltem illud fontis sui testimonium probare studuerit, reprehendere liceat.* Verum enim vero equidem Eusebium, h. l. excusari certe posse puto. Quamvis enim locum illum ex Clemente attulerit, tamen probabiliter Clementis sententiæ ipse non favit, siquidem ea sibimet ipsi repugnasset, quem cœlibatum magnopere suspexisse jam supra, ii. 17. (pag. 98.) dixi, id quod magis etiam inde apparet, quod noster, iv. 23. Pinytum ecclesiæ Gnossiorum episcopum, qui Dionysio ne βαρὺ φορτίον ἐπαναγκὲς τὸ περὶ ἁγνείας suis imponeret, suadenti fortiter restiterat, his verbis effert: δι᾽ ἧς ἐπιστολῆς καὶ ἡ τοῦ Πινυτοῦ περὶ τὴν πίστιν ὀρθοδοξία τε καὶ ἡ φροντὶς τῆς τῶν ὑπηκόων ὠφελείας, τό τε λόγιον καὶ ἡ περὶ τὰ θεῖα σύνεσις, ὡς δι᾽ ἀκριβεστάτης ἀναδείκνυται εἰκόνος. Præterea minime laudat Clementem Eusebius h. l., sed nihil dicit nisi esse illam quam retulerit ἱστορίαν ἀξιοδιήγητον. In eo igitur ille nonnisi lapsus est, quod Clementem, quem, si suæ opinioni de cœlibatu vellet constanter adhærere, apertius impugnare debebat, haud dubie, quia illum propter ὀρθοδοξίαν alias ab eo ostensam magni faceret (cf. ii. 1. not. pag. 60.) tectius modo et leviter tetigisse dici potest, quod tamen facere satis habuit fortasse propterea, quod vix Clementis sententiam sua ætate multos fautores esse reperturam prævidere facile poterat. Neque

quisquam patrum Clemente ætate vel priorum vel posteriorum illud probavit. cf. Tertull. ad Uxorem, i. 3. de Monogamia, iii. 8. Hilarius in Psalm. 127. Epiphan. Hæres. 58. Ambros. Exhort. ad Virgines, Hieronym. contra Jovinian. lib. i. et in Epist. 22. quæ est ad Eustochium de custodia virginitatis, Augustin. de gratia et lib. arbit. cap. 4., de bono conjug. 10. de adult. con. i. 4. et de opere mon. 4. Quin etiam fortasse vere non nisi *διὰ τοὺς ἀθετοῦντας τὸν γάμον* Clemens illa protulit. cf. Strom. iii. p. 448. ubi addit non *ὡς γαμετὰς, ἀλλ' ὡς ἀδελφὰς* mulieres secum duxisse apostolos. Quamquam solebant Judæi uxores quoque appellare *sorores* ob communem originem. Tob. viii. 9. HEIN.

30, 2. *οἶκος*, h. l. probabiliter dicitur de cœlo, in quod tanquam veram sedem migrasse crediderit ex Clementis sententia Petrus uxorem suam. Similiter Gentiles *οἰκεῖον* seu *ἴδιον τόπον* hominis non esse hanc vitam, *quam natura nobis non habitandi, sed commorandi diversorium dederit* (cf. Cic. Tusc. Qu. i. 22.) sed alteram æternam putarunt (cf. Æsch. Diall. iii. 3.), neque inepte eodem respexisse censuit Lucam Act. i. 25. Valcken. in *Annotatt. critt. in loca quædam N. T.* p. 271. ubi Judas dicitur *πορευθῆναι εἰς τόπον τὸν ἴδιον,* cf. Suicer. tom. i. p. 691. b. HEIN.

Ib. *Ὦ αὕτη,* i. e. *heus tu*, ut veteres quoque loquuntur, qui tamen rarius feminino ita uti videntur. cf. Aristoph. Av. v. 1199. 1243. *ἄκουσον αὕτη* sine ὦ, quod sæpius ab iisdem omittitur. vid. Viger. p. 448. V. cf. Passow. s. v. *οὗτος,* 5. HEIN.

31, 1. *Σκηνωμάτων*] Cf. vii. 16. Constat corpus, quatenus in eo habitat animus, a Gentilibus et Christianis sæpissime dictum esse *σκῆνος* et *σκήνωμα.* vid. Tim. Locr. v. 10. 17. *γυναικέα σκανέα,* Zosim. iv. 21. 3. Longin. xxxii. 5. Cic. Tusc. Qu. i. 22. Lucret. iii. 441. 556. 795. v. 138. vi. 16. ubi *vas*, Cic. Tus. Qu. i. 24. ubi *domicilium*, ibid. i. 22. ubi *receptaculum* corpus dicitur. Isocr. Ep. 9. Laërt. ix. 59. vid. Markland. *ad Max. Tyr.* p. 524. Eustath. *ad Od.* ii. p. 1450. 2 Cor. v. 4. 6. 2 Petr. i. 13. Lactant. ii. 12. 11. iii. 8. HEIN.

Ib. *ἐξ ἐπιστολῆς Πολυκράτους*] cf. infra, v. 24. HEIN.

31, 2. *μεγάλα στοιχεῖα*] Hieronymus et Musculus *elementa* vertit. Christophorsonus *seminaria.* Sed optime Rufinus *lu-*

mina interpretatur. Nam Græci signa zodiaci στοιχεῖα solent appellare. Sic apud Diogenem Laertium in vita Menedemi πῖλος ἀρκαδικὸς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχων ἐνυφασμένα τὰ δώδεκα στοιχεῖα. Sic autem vocabant ea signa Gentiles, quod principia vitæ hominum ac fortunæ in iis posita esse existimarent, ut docet Epiphanius in hæresi Pharisæorum. Τὰ ματαίως νομιζόμενα εἰς ἀριθμὸν στοιχείων τοῖς πεπλανημένοις ὀνόματα ἃ ζώδια καλοῦσιν. Ubi εἰς ἀριθμὸν ponitur pro εἰς λόγον [w]. Quare fallitur Salmasius in libro de annis Climactericis, pag. 577. Neque enim Græci στοιχεῖον unquam dixerunt imaginem aut figuram [x]. Septem quoque planetas Græci στοιχεῖα Latini elementa interdum vocarunt. Hieronym. in Epist. ad Hedybiam quæstione 4. *omnis hebdomada in sabbatum, et in primam et in secundam et 3 et 4 et 5 et sextam sabbati dividitur, quas ethnici idolorum et elementorum nominibus appellant.* Chrys. in Hom. 58. in Matth. ὁ γὰρ δαίμων ἐπὶ διαβολῇ τοῦ στοιχείου καὶ ἐπιτίθεται τοῖς ἁλοῦσι, καὶ ἀνίησιν αὐτοὺς κατὰ τοὺς τῆς σελήνης δρόμους. Nec aliter sumit hoc nomen Gregor. Nyssen. in libr. de vita sanctæ Macrinæ, ubi ait tantam esse audaciam pictorum, ὡς καὶ αὐτῶν τῶν στοιχείων τὰς εἰκόνας διὰ τῆς μιμήσεως ἀνατυποῦσθαι. Denique Comm. in Recognitionibus hom. x. στοιχεῖα vocat cœlum ac solem ac lunam ac astra, terram item ac mare. VALES. Verba *Denique—mare* in edit. Read. inepto loco legebantur. HEIN.

31, 2. Pro ἀναζητήσει recte Stroth. legi voluit ἀναστήσει, infra autem, v. 24. bene se habet ἀναστήσει. Solet enim variare verba Eus. monente Danzio, p. 124. Similiter infra deest ἐσχάτῃ quod ipsum quamvis negante Danzio monuit jam Stroth. HEIN.

Ib. Φίλιππον τὸν τῶν δώδεκα] Christophorsonus hoc loco nequaquam boni interpretis officio functus est, qui pro Philippo uno ex 12. apostolis, Philippum unum ex septem diaconis substituit. Vetus quidem hic error fuit, ut Philippum diaconum et evangelistam cum Philippo apostolo confunderent.

[w] Attulit alium locum ex Epiph. Hær. vii. Suicerus *Thes.* t. ii. p. 1039. ii. ubi legitur τὰ κατ' οὐρανὸν στοιχεῖα. HEIN.

[x] Verbis magis quam re discedit a Salmasio Valesius. Verum vidit ex mea sententia, Suicer. l. l. unde propterea signa orbis signiferi dicta esse apparet στοιχεῖα, quia proprie est hoc vox: *imagines, formæ, figuræ.* cf. Passow. s. v. 3. HEIN.

Et quia in Actibus Apostolorum, cap. 21., Philippi evangelistæ quatuor filias virgines prophetasse legerant, Philippum apostolum conjugem habuisse et filias suscepisse dixerunt. Ita præter Polycratem Clemens Alexandrinus supra in capite 30. et Papias infra. Verum ex Actibus Apostolorum manifesto colligitur Philippum diaconum, eum a quo eunuchus baptizatus est, et qui quatuor habuit filias prophetantes, alium fuisse a Philippo apostolo. Vide Isidorum Pelusiotam in libro primo, epistola 447. et sequentibus, ubi id apertissime demonstrat. VALES. Auctorem confusionis nominum Philippi apostoli et diaconi haud male Papiam facit Reuterdahl. *de fontt. Hist. Eus.* p. 28. siquidem ille ipse Hierapoleos episcopus urbem suam præsentia et sepulcro apostoli cujusdam honoratum libenter viderit. De reliquis magis minusve probabilibus, quæ de Philippo apostolo subinde circumferuntur, vid. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der Christl. Archæol.* t. iii. p. 203. sq. HEIN.

Ib. *καὶ ἡ ἑτέρα αὐτοῦ*] Tertiam hanc Philippi filiam sejungit Polycrates a duabus aliis quæ in virginitate consenuerunt. Ex quo colligitur, tertiam hanc viro nuptam fuisse. Neque vero id pugnat cum capite 21. Actuum Apostolorum. Responderi enim potest, tum quidem cum ea gererentur quæ memorat Lucas, Philippi filias fuisse virgines, postea tamen unam ex illis a patre nuptum datam. Idque innuere videtur Clemens Alexandrinus in verbis quæ supra citantur ab Eusebio. Porro Christophorsonus tertiam hanc Philippi filiam, cum duabus illis prioribus confudit. Cujus versio merito turbavit Baronium, ut patet ex annalibus ad annum Christi 58. cap. 113. Repetit hunc Polycratis locum Eusebius noster in lib. v. cap. 24. ubi Christophorsonus tres Philippi filias recte distinxit, et priorem suum errorem emendavit. Ceterum quæri hic merito potest, cur Polycrates tres duntaxat Philippi filias memoraverit, cum in Actibus quatuor filiæ Philippi numerentur. Respondeo Polycratem earum duntaxat mentionem fecisse, quæ in Asia mortuæ sepultæque essent, ut videre est in integra ipsius epistola quæ refertur in libro v. Cum igitur una ex quatuor illis filiabus Cæsareæ aut alibi mortua esset, ideo nullam ejus mentionem fecit Polycrates. Porro ex filiabus Philippi una Hermione, altera Eutychis di-

cebatur. Sic enim scribitur in Menæo Græcorum: *Die* 4. *Septembris commemoratio S. Hermionæ, unius ex quatuor filiabus Philippi apostoli, qui baptizavit eunuchum Candaces. Hæc et soror ejus Eutychis in Asiam venit post mortem Joannis apostoli*, etc. *Sepulta est Ephesi*. Igitur ex Menæo discimus, tertiam illam Philippi filiam, de qua hic loquitur Polycrates, Hermionem appellatam fuisse. Etenim Polycrates eam Ephesi sepultam esse dicit, cum duæ ejus sorores sepultæ essent Hierapoli. VALES.

31, 4. *παντελῶς* recte addidit voci *νόθων* Eusebius, quod si simpliciter dixisset *νόθων*, ad secundam potius *τῶν ἀντιλεγομένων* classem, quam tertiam referendi essent isti libri. cf. supra, cap. 25. ubi pro *παντ. ν.* dixit *ἄτοπα πάντη καὶ δυσσεβῆ*. HEIN.

32, 1. Κατὰ *πόλεις*, cf. Schröckh. *Christliche K. G.* t. ii. p. 327. sqq. HEIN.

32, 2. Συμεῶνος τοῦ Κλωπᾶ] In codice Regio legitur Σίμωνος, ut notavit etiam Rob. Stephan. Hieronymus in Chronico, hujus episcopi Hierosolymitani nomen duplici modo scribi testatur, Symeonem scilicet et Simonem. Idem habet Georgius Syncellus, et auctor Chronici Alexandrini. VALES. Cf. iii. 11. not. (pag. 151.) iv. 22. Paulus *Comm. Ueber d. N. T.* t. i. p. 606—615. Matth. xiii. 55. Seriores eum confundunt cum Simone Zelota, v. c. Sophronius in Appendice ad Hieronymi librum de viris illustribus. Vid. S. Basnage *Annales politico —eccles. ad a. C.* 31. Num. 72. cf. Pearson. *de succ. prim. Rom. episc.* p. 9. Ex Hegesippo maxime hausisse quæ de Symone refert Eusebius, putat Reuterdahl. *de fontt.* p. 52. HEIN.

Ib. καὶ ὑπατικοῦ Ἀττικοῦ] Id est, *cum Atticus esset legatus Syriæ*. Solebant enim Syri horum præsidum nomine annos designare, ut constat ex Josephi antiquitatibus. Sed et in reliquis provinciis, rectorum nomine tempora designari consueverant. Porro ex legatis Cæsaris alii erant consulares, alii prætorii. Quocirca Atticus hic *ὑπατικὸς* appellatur, ut eum consularem fuisse constet. Ex his apparet male Rufinum vertisse: *Martyr effectus est cum esset annorum centum 20, sub Trajano Cæsare, apud Atticum consularem.* Græca Hegesippi sic habent: *ἐτῶν ὢν ἑκατὸν εἴκοσι ἐπὶ Τραϊανοῦ Καί-*

σαρος, καὶ ὑπατικοῦ Ἀττικοῦ. Sed primo quidem præpositio illa ἐπὶ non significat *apud:* verum id tantum designat, Symeonem martyrio perfunctum fuisse principatu Trajani, Attico Syriam administrante. Deinde vox illa ὑπατικοῦ, non simpliciter Consularem denotat, sed legatum Consularem ut dixi. Erant quidem ætate Rufini Consulares qui Palæstinam regebant, ut ex imperii Romani notitia notissimum est. Verum hic magistratus diu post Trajani tempora est institutus. Ceterum supra citatus Rufini locus in manuscripto codice bibliothecæ Regiæ ita perscribitur: *Martyr effectus est cum esset annorum centum* 25. VALES.

32, 4. ὁ ἐκ θείου τοῦ κυρίου] Male Christophorsonus hæc verba accepit quasi θείου adjectivum esset, et subaudiretur γένους. Sed Langus qui Nicephorum Latine interpretatus est, optime *patruum* vertit. Clopas enim revera frater erat Josephi, ac proinde patruus Christi. Quare Symeon Clopæ filius, cognatus erat Domini, ut dicitur in capite 11. supra: ubi male *consobrinum* vertit Musculus et Christophorsonus. VALES.

Ib. συκοφαντηθεὶς ὑπὸ τῶν αἱρέσεων] Cerinthianos et Nicolaitas intelligit auctor Chronici Alexandrini, cui non assentior. Intelligit enim Hegesippus sectas illas quæ tunc temporis Hierosolymis vigebant, Pharisæorum scilicet, Sadducæorum et alias de quibus infra, lib. iv. cap. 22. VALES.

Ib. ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ] Id est, *quod Christi fidem prædicaret*, ut supra dixit, et rursus in lib. iv. cap. 22. ex Hegesippo μετὰ τὸ μαρτυρῆσαι Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ὡς καὶ ὁ κύριος ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ. VALES.

32, 5. μέχρι τῶν τότε χρόνων παρθένος] Hæc de Hierosolymorum ecclesia specialiter dixerat Hegesippus, eam scilicet usque ad mortem Symeonis, id est, usque ad Trajani tempora, virginem dictam esse. Verba Hegesippi habes infra in lib. iv. cap. 22. Videtur autem Eusebius toti ecclesiæ tribuisse, id quod de unica Hierosolymorum ecclesia dictum fuerat ab Hegesippo [y]. Porro tam Eusebii quam Hegesippi verba

[y] Minime. Quomodo Hegesippi dictum aliorumque effata similia sint accipienda, docuit Tittmann. *de Vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quæsitis,* p. 9. sqq. cf. Moshem. *Comm. de rebus Chr. a. C. M.* p. 180. 333. *Dissert. ad Historiam Eccles. pertt.* vol. i. p. 487. HEIN.

benigne intelligenda sunt. Certum est enim ecclesiam catholicam[z] semper integram atque intemeratam permanere, et castitatem ejus nullomodo ab hæreticis posse corrumpi. Hæretici quidem, utpote procaces et impuri atque adulteri veritatis, eam corrumpere conantur, verum illa fidem suam Christo integram servans, nefarios eorum conatus depellit. Itaque hæretici similes quodammodo sunt Ixioni, qui cum Junoni stuprum inferre voluisset, umbra ejus delusus est. Ita intelligendus est Tertulliani locus in libro de præscriptione Hæreticorum: *Quid ergo dicent, qui illam stupraverint adulterio hæretico, virginem traditam a Christo?* VALES.

32, 6. γυμνῇ τῇ κεφαλῇ locutio proverbialis haud longe aliena a Latinorum *perfricta fronte*, i. e. sine ullo pudore, cf. Martial. ii. 28. Horat. Sat. ii. 3. 37. vid. Erasmi *Proverb.* p. 300. Jam vero e Platone ducta illa loquendi ratio. vid. Phædr. 242. B. γυμνῇ τῇ κεφαλῇ πειράσομαι ἀποδοῦναι τὴν παλινῳδίαν. Hinc eam mutuati Gregor. Naz. Or. ii. p. 22. ὅσοι γυμναῖς ταῖς κεφαλαῖς ἐκήρυττον ἑαυτοὺς ἐπὶ τῇ σοφίᾳ, Themist. Or. xiii. 162. A. Anna Comn. xv. p. 489. A. quæ exempla præter hunc ipsum Eusebii locum laudavit Lobeck. *ad Phryn.* p. 265. cf. Ast. *Additt. ad Plat. Phædr.* p. 647. Chrysost. t. vi. p. 274. E. 1 Cor. xi. 13. Contra ἐγκαλύπτεσθαι dicuntur, quos rei cujusdam pudet, Chrysost. t. i. p. 181. E. τίνος ἕνεκεν ἐγκαλυπτόμεθα; cf. Aristot. Rhet. ii. 8. 48. τί ἐγκαλύπτεσθε. HEIN.

Ib. ὁδῷ est illud quod dicit Cic. de Fin. ii. 1. *via et ratione.* Non satis recte igitur Val. *sensim* atque ordine. cf. supra, iii. 4. extr. Heliodor. p. 117. ὁδῷ βαδίζειν τὴν σκέψιν εὐαγγελιζόμενος. Chrysost. t. i. p. 455. C. T. xii. p. 359. C. ad quem locum cf. Matthæi vol. i. not. 65. Cic. ad Att. ii. 19. Viger. p. 117. iv. HEIN.

33, 3. Τοῦ Τερτυλλιανοῦ, cf. Apol. 2. "*Atqui invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Trajanum imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de*

z [? HEIN.]

sacrificiis eorum comperisse quam cœtus antelucanos ad canendum Christo et Deo, et ad confœderandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, et cætera scelera prohibentes. Tunc Trajanus rescripsit hoc genus inquirendum quidem non esse, oblatos vero puniri debere." HEIN.

33, 4. ὑμνεῖν utrum de carmine s. hymno numeris adstricto an de simplici quadam precis formula accipiendum sit, h. l. non minus potest dubitari, quam apud Plin. x. 97. de significatione locutionis: *Carmen dicere.* Mihi tamen probabilius videtur illud cum Augusti *Denkwürdigkeiten aus der Christl. Archæol.* tom. iv. p. 33. 4. *The last is more probable, considering the words which follow,* "*Christo, quasi Deo,*" *from which, though with many interpreters we suppose* "*quasi Deo*" *to be an addition of Pliny, yet so much appears to be evident, that Christ was the object of these prayers or hymns.* Cf. Ephes. v. 19. Coloss. iii. 16. Euseb. H. E. iv. 15, not. 40. Moshem. *Comm. de rebus Chr. a. C. M.* p. 148. sqq. Spanhem. *ad Julian.* p. 10. Gierig. *ad l. l. Plinii.* Böhmer. in *XII. Dissertt. juris Eccles. antiqui*, Halæ, 1729. 8. cautius tamen legendus. Augusti, l. l. p. 22—38. Ad verba ἀνίστασθαι ἕωθεν τοὺς Χριστιανοὺς, ibid. p. 32. 2. *This custom might well have originated in the fear of the heathen——yet the tendency to mysticism, which was a friend of night, and so favourably disposed towards these vigils, might also have contributed to it.* De Epistolæ Plinii authentia dubitari nequit. vid. Gierig. tom. ii. p. 498. sqq. cf. Tzschirner. *Græci et Romani Scriptores cur rerum Christianarum raro meminerint Comment.* i. p. 12. not. 1. HEIN.

Ib. καὶ πρὸς τὸ τὴν ἐπιστήμην αὐτῶν διαφυλάσσειν] Tertulliani verba Græcus interpres infeliciter reddidit. Neque enim ἐπιστήμη est disciplina, nec διαφυλάσσειν idem est quod confœderare. Mallem igitur ita interpretari locum Tertulliani: καὶ ἵνα ὥσπερ τι σύμβολον ἔχωσι τῆς αὐτῶν πολιτείας. VALES.

Ib. ἐμπεσὸν δὲ κολάζεσθαι] Male item hoc loco Græcus interpres Tertulliani. Oblatos enim dicit Tertullianus seu potius Trajanus, eos qui judicibus exhibentur. Sic enim Latini loqui solent. Sensus igitur rescripti imp. Trajani adversus Christianos hic est: Rectores provinciarum non debere per speculatores et satellites suos curiosius indagare genus et

sectam Christianorum. Si qui tamen Christiani ab officialibus fortuito deprensi sint, et in judicium adducti, vel si ab accusatoribus denuntiati sint, eos omnino puniri oportere. VALES. Cf. Reuterdahl. p. 45. HEIN.

36, 1. Παπίας ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων] Totum hoc elogium Papiæ deest in nostris codicibus, Maz. Med. et Fuk. Sed neque Rufinus hæc verba in suis exemplaribus legerat, ut ex ejus interpretatione colligitur. Quare non dubito, quin hæc verba ab imperito quodam scholiaste adjecta sint, præter Eusebii mentem atque sententiam. Quomodo enim fieri potest, ut Eusebius Papiam hic appellet virum doctissimum, et scripturarum peritissimum cum ipsemet in fine hujus libri diserte affirmet, Papiam fuisse mediocri ingenio præditum, planeque rudem ac simplicem? VALES. Expunxit adeo vere illa verba ἀνὴρ——εἰδήμων quamvis legantur, Reg. Steph. (MSt. etc. etc.), Strothius, cum Valesius satis haberet monere h. l., quo ipse offenderetur. At ille temere. Recte jam Danzius, p. 117. not. 11. quamvis quomodo possint illa inter se conciliari, non viderit, tamen Strothio utrum sit obsequendum, dubitat. Nam "*regeri potest*, inquit, *omissum esse hoc elogium a minimum scilicet perito descriptore*, *qui haud comprehenderet, qui fieri possit*, *ut in autore*, *quadam ex parte omni digno laude*, *non ideo omnia sint laudanda*." Sed his nondum satis elogium illud vindicari Eusebio, cum veri similiter vidisset Kestnerus, hic etiam viam indagare studuit, qua Eusebius sibi nullo modo contradiceret, et omnia fierent plana. Dicit enim V. D. loco sæpe laudato, p. 27. not. 48. alteram Eusebii sententiam, quam h. l. de Papia latam legimus, spectare posse ad Papiam tanquam historicum, alteram in fine libri expressam ad eundem ut dogmaticum. Atque hoc vel eo commendari, quod vox λόγιος de historiæ perito interdum usurpetur. At equidem non possum non ipsam Kestneri interpretationem minus probare. Quamvis enim λόγιον esse interdum *historiæ peritum* non nesciam (cf. Herod. ii. 77. Julian. Epist. xxii. p. 389. Passow. s. v. c.), tamen obstant, si quid video, verba τὰ πάντα, quæ profecto, si λόγιος est: peritus historiæ, sunt satis aliena. Accedit, quod λόγιος apud Eusebium aliis locis nunquam illa significatione legitur. Itaque hoc potius dicere h. l. puto

Eusebium, Papiam fuisse virum in omnibus multa scientem, *omni* eruditionis genere instructissimum ideoque in ipsa scriptura sacra versatum et volutatum. Cum his autem minime pugnat illud quod infra eum *σφόδρα σμικρὸν τὸν νοῦν* appellat, nisi si quis demonstrare possit, quicumque multa didicerunt, et cognoverunt, i. e. memoriæ impresserunt, esse quoque judicii acumine valentes, i. e. intelligentes. Hinc igitur Papias quamvis *τῆς γραφῆς εἰδήμων*, i. e. quamvis permulta sciret quæ vel legebantur in sacro codice vel ad Christianos mores, instituta, dogmata et similia illustranda pertinere possent, tamen malus erat aliorum sententiarum interpres *τὰς ἀποστολικὰς παρεκδεξάμενος διηγήσεις, τὰ ἐν ὑποδείγμασι πρὸς αὐτῶν μυστικῶς εὐρημένα μὴ συνεωρακώς*, ut judicat ipse Eusebius infra, cap. 39. Hinc quæcumque Christum et apostolos *credidisse* et *docuisse* audivit, male credulus adscivit et nominatim regni millenarii erat gravis defensor, ibid. Accedit, quod sæpius ita Eusebius utitur in ecclesiastica historia voce *λόγιος*, ut eo designet eum, qui multa novit. vid. v. 16. in. vi. 15. 20. vii. 7. extr. 29. not. 3. 32. in. et extr. cf. Phrynichus *λόγιος. ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν ἐπὶ τοῦ δεινοῦ εἰπεῖν καὶ ὑψηλοῦ οὐ τιθέασιν οἱ ἀρχαῖοι, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ τὰ ἐν ἑκάστῳ ἔθνει ἐπιχώρια ἐξηγουμένου ἐμπείρως.* Et Thomas ac Mœris ab Atticis *λογίους* dici *τοὺς πολυίστορας* contendunt. Inde patet, nec Danzium *de Euseb.* p. 117. not. 11. h. l. recte esse interpretatum *λόγιος* per: *disertus*, quamvis vel hoc alias significet *λόγιος*. cf. vii. 25. not. 18. vid. Lobeck. *ad Phryn.* p. 198., qui simul alias refert vocabuli significationes. Insolentior esse videtur, quam omisit Lobeckius, verbi *λόγιος* significatio: *ratione præditus*. vid. Chrys. t. vi. p. 275. D. *λύκος μὲν καὶ λέων——ἄνθρωπος δὲ, ὁ λογιώτατος.* cf. Passow. in *Lexic.* s. v. b. Denique vide sis quos laudat Reading., Cave *Hist. Litt.* t. i. p. 29. et Du Pin *Nov. Biblioth.* t. i. p. 158. HEIN.

Ib. *τῆς κατ' Ἀντιόχειαν Πετροῦ διαδοχῆς*] Ex hoc loco Petrum fuisse primum episcopum Antiochiæ, eodem modo concluserunt scriptores pontificii, quo supra ex cap. 21., Romanæ ecclesiæ. Sed sufficit ea adscribere, quæ disputavit Schröckh. *Christl. K. G.* t. ii. p. 120. *It is more incredible that Peter, who was not the founder of the congregation at Antioch, should have been its first bishop in this later meaning of the term.*

Eusebius gives this situation (*Hist. Eccles. l.* iii. *ch.* 22.) *much more credibly to Evodius; and if he in another place* (*c.* 36.) *calls Ignatius the second bishop of Antioch after Peter, it is plain from this comparison that he is speaking, just as elsewhere,* (*for instance, ch.* 21.) *of the office of teaching, which the Apostles may have borne a long time in a congregation, without making them on that account its bishops. But even from the date of the second century the Christian congregations sought honour in having been founded by the Apostles, and their bishops wished to be looked upon as successors of the Apostles.* Cf. Henke *Allgemeine Geschichte der Christl. Kirche*, tom. i. p. 122. Reuterdahl. *de fontt.* p. 50. Hinc ipse Tillemont *Mémoires pour servir à l'Hist. Eccl.* t. i. P. ii. p. 448. sq. p. 739. sq., longe cautius de illa re judicat et ex Clementis recognitionibus fluxisse censet opinionem, Petrum fuisse episcopum Antiochiæ. Plane autem illam confutavit Vedelius *Cathedra Petri*, Franck. 1640. 8. HEIN.

36, 2. Λόγος ἔχει] Superstructa ista esse iis quæ Acta quædam martyrii Ignatii in patribus apostoll. ed. Coteler. t. ii. p. 161. sqq. referunt, monet Reuterdahl. p. 81. sq. HEIN.

Ib. ἐν πρώτ. μάλ.] Potest aut ἐκ παραλλήλου positum esse, cf. supra, i. 1. not. 16. aut illud pertinet ad παρῄνει, hoc ad προφυλάττεσθαι. HEIN.

36, 3. μίαν—ἐπιστολήν] Constat septem Ignatii epistolas satis acriter esse impugnatas et pro spuriis habitas a Blondello, Salmasio, Dallæo, Semlero, Ernestio, Heumanno, quod multa in iis insint ab Ignatii ætate prorsus aliena, ut episcoporum Romanorum laudes nimiæ in Epistola ad Trallenses. Verum enimvero quibus recte offensi sunt illi VV. DD., ea omnia pertinent nonnisi ad longiorem formam septem epistolarum Ignatii, quæ antequam Jacobus Usserius Oxoniæ a. 1644. breviorem Latine ederet et Isaacus Vossius exemplum hujus brevioris formæ ἀρχέτυπον Græcum cum interpretatione Latina Amstelod. a. 1646. divulgaret, una et sola innotuerat. Post Usserium vero et Vossium breviore forma Epistolam etiam ad Romanos in Colbertina bibliotheca detectam emisit Ruinartus in Actis primorum martyrum sinceris et selectis, Paris. 1689. fol. Antea Ignatii Epistolas, quales brevior illa forma ostendit, vere esse Ignatii recte affirmarunt præter

Usserium et Vossium potissimum Hammondus in *Dissert. adv. Blondellum*, a. 1651. et Pearsonus *in Vindiciis Ignatianis*, a. 1672. cf. Stroth. *Uebersetzung des Eusebius*, t. i. p. 211. Cave *Hist.* t. i. p. 26. Quibus viris doctissimis nunc quidem nemo facile repugnabit. HEIN.

36, 5. ἃ καὶ εὔχομαι σύντονά μοι εὑρεθῆναι] Sic lego cum Isaaco Vossio. Quam emendationem confirmat Rufini versio. Sic enim vertit: *Quas et ego opto acriores parari.* Σύντονα igitur legit Rufinus non σύντομα. Idem error a nobis castigatus est infra in libro vi. ubi de martyrio Apolloniæ. Illic enim συντόμως excusum erat pro συντόνως. VALES.

36, 6. Μηδέν με ζηλῶσαι] Ante has voces in omnibus nostris codicibus apposita est media distinctio, non autem finalis. Rufinus tamen et Musculus ac Christophorsonus ante hæc verba finalem distinctionem videntur posuisse. Nam Rufinus quidem ita vertit: *Nunc incipio esse discipulus Christi. Facessat invidia vel humani affectus, vel nequitiæ spiritalis, ut Jesum Christum merear adipisci.* Musculus vero ita vertit: *Nunc incipio esse discipulus. Nihil visibilium moror, nihil invisibilium, ut Jesum Christum acquiram.* At Christophorsoni interpretatio hæc est: *Jam incipio Christi discipulus esse. Facessat a me rerum omnium sive oculis subjectarum, sive eorum aciem fugientium admiratio, ut Jesum Christum assequar.* Sed vetus interpres Ignatii, et Johannes Langus, mediam duntaxat distinctionem ante hæc verba posuerunt. Langi quidem versio hæc est: *Nunc demum discere incipio, nihil optare aut desiderare rerum omnium et invisibilium, ut ad Jesum Christum veniam.* Quænam porro harum interpretationum optima sit ac verissima, difficile est affirmare, præsertim cum de vera hujus loci lectione non satis constet. Omnes quidem interpretes verbum ζηλῶσαι ita acceperunt, quasi in infinitivo positum esset. Certe in omnibus codicibus nostris circumflectitur, præter quam in Mazarino qui accentum omisit. At Rufinus verbum ζηλώσαι accepit pro Aoristo primo optativi modi, ut ex ejus versione colligitur[g]. Quam quidem interpretationem reliquis præferendam duco; quippe quæ verbis

[g] Minime. HEIN.

beati Ignatii aptius conveniat. Idem igitur est ac si dixisset Ignatius: Nemo mihi invideat hanc gloriam discipuli Christi. Nemo me ab ejus complexu divellat[h]. Alludit enim sanctissimus martyr, ut et alibi solet, ad verba illa apostoli Pauli: *Quis me separabit a charitate Christi?* Si quis tamen Christophorsoni ac Musculi versionem sequi malit, quod quidem et nos fecimus, subaudiendum est verbum συμβαίνοι. Posset etiam non incommode locus hic ita restitui: Νῦν ἄρχομαι μαθητὴς εἶναι· μηδέν τε ζηλῶσαι τῶν ὁρατῶν καὶ ἀοράτων. Quæ lectio mihi quidem valde placet. VALES. Mihi displicet. Legendum puto, ut adhuc legitur, et Strothius legit, ζηλῶσαι. Infinitivo enim usus Ignatius gravius animo commotus et ex antiquissima sermonis simplicitate ea, quæ quis fieri vellet, Infinitivo exprimente. Ineptum esset συμβαίνοι subaudire. vid. Hermann. *ad Vig.* p. 745. Matthiæ *Ausführl. griech. Gramm.* p. 1071. sq. cf. Koen. *ad Gregor. Cor.* p. 189. Johann. Grammaticus *de dial. Ion.* p. 85. Fischer. *ad Weller.* t. iii. b. 26. Hinc statim subjicitur ἐρχέσθωσαν. Locus nostro plane similis est ab Hoogev. *ad Vig.* p. 20. allatus ex Hom. Il. v. 606. Εἴκετε μηδὲ θεοῖς μενεαίνεμεν. HEIN.

36, 7. οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν ῥητοῖς] Hæc de Christo narratio b. Ignatii desumpta est ex evangelio secundum Hebræos, quod ab Eusebio omissum aut ignoratum, docuit nos Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis, ubi de Ignatio loquitur his verbis: *Inde egrediens scripsit ad Smyrnæos et proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem ecclesiam. In qua et de evangelio quod nuper a me translatum est, sub persona Christi ponit testimonium dicens: Ego vero et post resurrectionem in carne eum vidi, et credo quia sit. Et quando venit ad Petrum, et ad eos qui cum Petro erant, dixit eis: ecce palpate me et videte me, quia non sum dæmonium incorporale*, etc. Idem scribit in lib. 18. commentariorum in Esaiam. Vide Usserium in Annotationibus ad Epistolas Ignatii, pag. 48. et Petrum Halloixium in Notationibus ad Vitam Ignatii, cap. i. p. 385. VALES. Verisimiliorem puto cum Pearson. *Vindic. Epist. Ignat.* Part. ii. p. 104. conjecturam Isaaci Casauboni, qui Eusebium potius traditionem allegasse putat non scrip-

h Recte. HEIN.

tam, quæ postea in literis fuerit relata et Hebraïco evangelio, quod Matthæo tribuebant, inserta. Quamvis enim Hieronymus testimonium illud ex evangelio petitum esse dixerit, tamen Eusebius se nescire fatetur, unde illud habuerit, cum tamen evangelium secundum Hebræos satis nosset. Quanquam, cf. Eichorn. *Einleitung in das N. T.* tom. i. p. 20. sq. not. t. ed. ii. p. 145. sq. HEIN.

Ib. Ἐγὼ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν] In codice Medicæo hoc scholion ad marginem adscriptum inveni: *Ὅρα τὸν ἄνδρα τοῦτον μὴ τὴν ὀρθὴν δόξαν, καὶ περὶ τῆς ἐκ νεκρῶν μετὰ σώματος εἶναι κρείττονος καὶ ἀφθάρτου ἀναστάσεως, ἔχοντα, κἂν τοῖς ἄλλοις ἐστὶν ἀξιάγαστος.* Id est: *Vide ut vir iste, alioqui admiratione dignus, non recte sentit de resurrectione mortuorum. In qua corpus multo perfectius erit nec corruptioni obnoxium.* Ego vero quid hic scholiastes sibi voluerit, prorsus ignoro. Neque enim in verbis Ignatii quidquam est reprehendendum. Sed fortasse Græculus ille qui hoc scholion primus scripsit, Origenis de Resurrectione sententiam, aut Eutychianam hæresim sectabatur. De qua vetustissimus scriptor in vita Gregorii Magni ita scribit: *Qui cum adhuc esset in eadem urbe positus, nascentem ibi novam hæresim de statu nostræ resurrectionis, ipso quo exorta est initio, juvante Dei gratia catholicæ veritatis attrivit. Siquidem Eutychus ejusdem urbis episcopus, dogmatizabat corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis aëreque subtilius esse futurum. Quibus ille auditis, et ratione veritatis et exemplo Dominicæ resurrectionis ostendit, hoc dogma orthodoxæ fidei in omnibus esse contrarium,* etc. Exstat hæc vita in manuscripto codice Musciacensi, digna profecto quæ typis edatur. Est enim longe antiquior ac purior illa quam Henricus Canisius edidit. VALES.

36, 8. Εἰρηναῖος] Cf. adv. Hær. v. extr. HEIN.

36, 9. εἰς—εἰσί] Cf. de ὀφειλόμενος τόπος, cap. xxx. (pag. 185.) De εἰς, ii. 25. (pag. 130.) Varro *de Lingua Lat.* p. 5. ed. Bip. HEIN.

37, 1. Κοδράτος, vide quos laudat Read. ad h. l. Du Pin. *Nov. Bibl.* p. 162. Cave *Histor.* t. i. p. 32. ad a. C. 123. HEIN.

37, 2. φιλοσοφίας, h. l. esse quoque *vitæ severæ studium*, docent sequentia: τὴν σωτήριον κ. λ. cf. i. 2. (pag. 11.) infra, v. 7. 11. in. 13. HEIN.

37, 3. εἰσέτι—ἐνήργουν] Locus satis profecto insignis est, siquidem inde patet, Eusebium quoque credidisse, quod alibi alios credidisse et narrare refert (cf. iv. 18. v. 7.), primævis Christianis concessam adhuc fuisse facultatem miracula patrandi. Docent hoc vel sequentia ὥστε—καταδέχεσθαι. Neque illud mirum, cum omnes Eusebii æquales illa opinione essent imbuti, quid? quod ei, qui unquam fieri potuisse et vere facta esse credat miracula, nullam idoneam esse causam, cur cum Middletonio primis post Christum natum seculis miracula facta esse neget, evincere studuit Cramer. *Fortsetzung des Bossuet*, t. ii. p. 432—453. consentiente Moshemio in *Commentt.* p. 221—223. cf. ibid. p. 452. sq. et Strothio *Uebersetzung*, t. i. p. 445. not. 3. Paulo aliter Neander *Denkwürdigk. a. d. Gesch. d. Christenth.* t. i. p. 400. ed. ii. At enim vero alii profecto fieri non potest, quin Eusebium accidisse illa vel post Christi tempora credentem (cf. ix. 10.) et aliorum testimonio temere ea referentem (iv. 18. v. 5. 7. iii. 8. vi. 5. 39.), superstitionis et credulitatis accusent. Accusavit illo nomine Eusebium Möllerus *de fide Euseb.* p. 60. 61. 63. 65—67., non excusare, sed liberare culpa studuit illum Kestner. p. 67—69. Quamvis autem nonnisi alios miracula illa referentes faceret Eusebius, quæ tamen ipse credidisse plurima a Möllero laudata et non laudata loca et noster ipsius locus docet, tamen vel propterea, quod illas narratiunculas recoquere haud dedignatur, est vituperandus. Excusari tamen debet Kestnerus, quem nullum fere discrimen inter miraculosa et naturalia eventa statuere apparet ex verbis, p. 69. prolatis: "*Nos vero, qui divinæ providentiæ illud tribuimus, nonne eandem fere* (?) *cum illo sententiam ferre solemus?*" cf. Danz. p. 94. not. 48. "*Temporibus quidem Eusebii et omnino a quarto inde seculo sensim decreverunt—si qua fuerunt, vera miracula; sed viros habemus illorum temporum maximos qui et recentiorum commenta respuerint, et vera nihilominus veterum miracula crediderint. Adeo longe aberant illi ab eo, ut aut miracula miraculis aut testimonia testimoniis conferenda existimarint.*" Contra Reuterdahl. *de fontt. Hist. Eccles. Euseb.* p. 46. *Eusebium*, inquit, *his communem sui temporis et antiquitus receptam ideoque venerandam opinionem eloqui, non est quod demonstretur.* cf. p. 48, 49. et quæ monebo ad Eusebii libr. de Martyr. Palæstinæ, c. 4. et 9. HEIN.

38, 1. Πέτρου δὴ καὶ Ἀππίωνος διαλόγους] In lib. x. recognitionum Clementis Romani mentio quidem fit Appionis, qui in urbem Antiochiam advenisse dicitur cum Anubione, sub idem fere tempus quo Petrus apostolus illuc venerat. Verum de Petri cum Appione disceptatione, nulla ibi fit mentio. Quid igitur dicemus? an librum Clementis qui Petri cum Appione disputationem continebat, alium esse a libris recognitionum? Mihi quidem non videntur duo fuisse libri. Nam si duo fuissent libri Clementis, alter recognitionum, alter vero disputationem continens Petri cum Appione, cur Eusebius unum duntaxat commemorasset, alterum vero prætermisisset? Unus igitur fuit liber ille Clementis, qui πράξεις seu περίοδοι Πέτρου inscribebatur. Sed hic duas in partes erat divisus. Prior Matidiam et Faustinianum a liberis suis agnitos commemorabat. In secunda vero parte continebatur dialogus Petri cum Appione. Sane Rufinus qui illum Clementis librum Latine interpretatus est, in epistola ad Gaudentium episcopum testatur, duo fuisse hujus libri corpuscula apud Græcos: quorum in altero quædam legerentur, quæ alterum non habebat. Scribit enim se consulto quædam omisisse, propterea quod a veræ fidei doctrina abhorrerent. VALES.

Ib. καὶ Ἀππίωνος] Ita legitur hoc nomen in omnibus nostris codicibus, præterquam in Fuk. In quo Apionis nomen scribitur per simplex π, quemadmodum apud Josephum et alios. Photius tamen in bibliotheca, cap. 112. cum nostris exemplaribus consentit. Et Clemens in lib. x. recognitionum, ubi ait Appionem Plistonicensem cum Anubione venisse ab Antiochia. Denique Agellius in libro sexto: *Appion*, inquit, *Græcus homo qui Plistonices est appellatus.* In Lexico Suidæ scriptum est Ἀπίων ὁ Πλιστονίκου. Sed ex serie literarum quæ in lexicis observari debet, satis apparet scribendum esse Ἀππίων. Certe Ἀππίων nomen Romanum est, in Græcam speciem detortum, ut Μαρκίων, Κοδρατίων et similia. Apion quidem familiare Ægyptiis nomen fuit, ab Api quem colebant, deductum, ut Serapion, Anubion, et similia. Certe Ptolemæus Cyrenarum rex, Apion est appellatus. Quare cum grammaticus ille Plistonicis filius Ægyptius fuerit, Apion dicendus potius videtur quam Appion. Eadem est scribendi varietas in fastis consularibus. Nam Appionem qui consul

fuit principatu Justiniani Augusti, Latini fasti fere Appionem vocant. At in Chronico Alexandrino Apion dicitur. VALES.

Ib. ὧν οὐδ' ὅλως μνήμη τις παρὰ τοῖς παλαιοῖς φέρεται] Atqui Origenes in libro iii. explanationum in Genesim, mentionem facit eorum Clementis librorum, et quendam locum ex iis adducit, qui etiamnum legitur in libris recognitionum: καὶ Κλήμης δὲ ὁ Ῥωμαῖος Πέτρου ἀποστόλου μαθητής, συνῳδὰ τούτοις ἐν τῷ παρόντι προβλήματι πρὸς τὸν πατέρα ἐν Λαοδικείᾳ εἰπὼν ἐν ταῖς περιόδοις, etc. Exstat hic locus in cap. 22. Philocaliæ. Et in vulgatis quidem editionibus locus iste profertur tanquam ex libro ii. contra Celsum, cum tamen in libris contra Celsum qui hodie exstant, non legatur. Est autem revera ex lib. iii. explanationum in Genesim. Ex quo luculentissimum fragmentum primo loco affertur in supradicto capite Philocaliæ, a pagina 330. usque ad paginam 352. Cui fragmento copulandum est illud quod sequitur pagina 357. φέρε δὲ ἀγωνισώμεθα et reliqua usque ad finem capitis. Sic enim continue absque ulla interruptione citatur ab Eusebio in fine libri sexti de præparatione. Ceterum observavi, Origenem non raro uti solere testimoniis librorum Apocryphorum. Ita tamen illis utitur, ut nonnisi optima quæque ex illis decerpat. In quo quidem apiculas imitatur, quæ ex floribus etiam venenatis mellis colligunt suavitatem. VALES.

38, 2. οὐδὲ γὰρ καθαρὸν τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοδοξίας] Idem testatur Photius in bibliotheca, cap. 112. et ante eum Rufinus in Epistola ad Gaudentium episcopum, in illis scilicet Clementis recognitionum libris quædam de filio Dei dicta fuisse, quæ a recto fidei dogmate deviarent, et cum Arianorum potius sententia consentirent. Denique Epiphanius in Hæresi Ebionæorum, c. 15. diserte affirmat, libros Clementis Romani qui περίοδοι Πέτρου inscribebantur, ab Ebionæis corruptos fuisse atque falsatos. Libri porro illi de peregrinationibus Petri, iidem sunt cum recognitionum libris, ut supra ex Origene ostendimus. Quare Eusebium hoc loco immerito reprehendit vetus Scholiastes his verbis, quæ ad marginem codicis Mazarini adscripta sunt: τί σοι καὶ τοῖς τοῦ ἱεροῦ Κλήμεντος διαλόγοις; ἐν οἷς ὅσον τὸ ὄφελος, οἱ ὀρθοδόξως καὶ εἰλικρινῶς ἐντετυχηκότες σαφῶς ἴσασιν. Ἄπαγε τῶν διασυρμῶν, ὦ λογιώ-

τατε· πείσεται γάρ σοι τῶν ὅλων οὐδεὶς τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας· τοῦ Κλήμεντος ἅπαντα ἐν σεμνυνομένοις ἐστὶ τοῖς τροφίμοις τῆς εὐσεβείας, ὑφ᾽ ὧν σπουδάζεται. VALES.

39, 1. Εἰρηναῖος] Cf. adv. Hær. v. 33. HEIN.

39, 2. παρὰ τῶν πρεσβυτέρων, i. e. ab iis qui ætate essent majores. Ostendit enim Pearson. *Vind. Ep. Ign.* P. ii. p. 166. Papiam nunquam gradus ecclesiasticos enumerare, nunquam officia distinguere vel de episcopo aliquo singulari, aut presbytero, dum ipse scriberet, vivente loqui. HEIN.

39, 4. τὸν δ᾽ ἕτερον] Falli Eusebium ex ipsis Papiæ verbis concludentem, quod non possit concludi, Papiam fuisse discipulum non Johannis evangelistæ, sed presbyteri cujusdam, observat Danz. *de fide Eus.* p. 116. 11. Irenæus enim discipulus Papiæ optime illud nosse debebat, ille autem Eusebio refragatur eodem modo quo Hieronym. Epistol. 75. HEIN.

39, 5. μνήματα] Cf. supra, iii. 25. (pag. 171.) ii. 23. ubi Jacobo στήλην tributam fuisse Hegesippus narrat. vii. 25. cf. Reuterdahl. *de fontt. Hist. Eccl. Eus.* p. 26. sq. HEIN.

39, 7. Ἰοῦστον τὸν ἐπικληθέντα Βαρσαβᾶν] Quomodo in medio relinquere potuerit veritatem miraculi, quod mox narratur de Justo, Reuterdahl. *de fontt.* p. 30., difficile intelligo, nisi forte propter Marc. xvi. 18. cui illud miraculum superstructum esse conjicit, l. l. p. 46., ita statuat. HEIN.

39, 10. παραίτιος] Hoc quoque loco Eusebius fallitur, siquidem a Papia spem illam regni millenarii ad sequentes doctores dimanasse tradit. cf. Iren. v. 33. vid. Korrodi *Krit. Geschichte des Chiliasmus*, ed. ii. 1794. Münscher. *Entwickelung der Lehre vom tausendjährigen Reiche in den drei ersten Jahrhunderten* in Henke *Magazin*, t. vi. p. 233. sqq. Beck. *Commentt. histor. decret. relig. Christ.* p. 568. sqq. HEIN.

39, 11. τῶν τοῦ κυρίου διηγήσεις] Recte Musculus *enarrationes* vertit. Hoc enim sensu διηγήσεις usurpat Eusebius non semel. Sic paulo antea in hoc capite dixit : ἃ καὶ ἡγοῦμαι τὰς ἀποστολικὰς παρεκδεξάμενον διηγήσεις. Origenes in lib. iv. de principiis. Διὰ τοῦτο ἡμεῖς καὶ τὸ ἐν τῷ ὑπό τινων καταφρονουμένῳ βιβλίῳ τῷ ποιμένι, οὕτω διηγούμεθα. Vide quæ notavi ad cap. 14. lib. vii. VALES.

Ib. Μάρκος ἑρμηνευτὴς Πέτρου] Marcum interpretem Petri vocat etiam Hieronymus in catalogo, ex hoc Papiæ loco, ut opinor. Hinc est, quod plerique Græcorum Marci Evangelium a Petro dictatum esse scribunt. Ita Athanasius in tractatu de libris sacræ scripturæ. Quod quomodo intelligendum sit, docet hic Papiæ locus. Neque enim existimandum est, Marcum ex ore dictantis Petri Evangelium suum excepisse, sed cum Petrum audisset verbum Dei Judæis Hebraice prædicantem, Marcum singula quæ ad Christum pertinebant, studiose digesisse Græcos ermone. VALES. Cf. supra, ii. 15. (pag. 92.) HEIN.

39, 12. Pro οὖν censor quidam in *Actis Erud. Hal.* a. 1813. N. 105. legendum conjecit οὐχ. At temere. Quamvis enim non testetur Papias, Matthæi Evangelium Hebraice scriptum esse, tamen testantur illud alii. cf. Euseb. H. E. v. 8. vi. 25. Argumenta quidem satis probabilia et speciosa attulit Hug. *Einl. ins N. T.* t. ii. p. 16. sqq., quibus Evangelium Matthæi primum et ab ipso scriptore Græce compositum esse ostendatur et evincatur (cf. Fritzsche *Quatuor Evangell.* t. i. *Prolegomm. in Matth.* p. xxxv.), at equidem non possum non veriora esse credere, quæ docte et subtiliter contra monuit censor *Commentarii Fritzschiani* in *Actis Eruditt. Jenens.* a. 1827. N. 21. p. 163—166. Recentissima de illa re disquisitio est: Buslav. *Dissertatio historico critico—exeg. de lingua originali Evangelii secundum Matthæum,* Vratislav. 1826. Nominatim vero lapsum esse equidem puto Hugium, l. l. p. 17. in judicio suo de Papia (cf. Reuterdahl. *de fontt. Hist. Eus.* p. 46.), qui quamvis esset σμικρὸς τὸν νοῦν, quamvis, ubi *intellectu* et *ratione* res quædam erant dirimendæ, ut scripturæ sacræ interpretatio et dogmata, recte a nobis spernatur, ut sprevit eum hoc nomine Eusebius, tamen propterea non est omni fide indignus, ubi refert, quæ neque ad interpretationem scripturæ sacræ neque ad fidem religiosam, sed historicam spectarent. Erat enim idem Papias eodem Eusebio teste ἀνὴρ λογιώτατος (cf. quæ monui supra, cap. 36. pag. 192. sq.) et ævo apostolico certe proximus Ἰωάννου ἀκουστὴς, Πολυκάρπου ἑταῖρος, cap. 39. in. Neque igitur, ut recte vidit Michaelis *Einleitung ins N. T.* t. ii. §. 133., malum Eusebii de Papia judicium ad totum scriptorum ejus argumentum pertinet. Falsum denique est,

quod affirmat Hugius l. l., non constare unde Papias hauserit sententiam suam de Evangelio Matthæi Hebraice scripto, imo satis apertum est ex eodem fonte, i. e. a presbytero Johanne unde de Marco sua refert, et quæ propterea recte fide digna esse pronuntiat ipse Hugius, l. l. p. 61., ab eodem igitur Papiam Evangelium Matthæi Hebraico sermone primum conscriptum esse cognovisse. cf. Reuterdahl. p. 33. sq. Neque enim simpliciter scripsisset Eusebius: *περὶ δὲ τοῦ Ματθαίου ταῦτ' εἴρηται*, cum, quæ *proxime* antecedentia de Marco leguntur, illi Johanni debeat Papias, nisi ab eodem illo ea, quæ *statim post* de Matthæo sequuntur, accepisset. Ita bene distinxit Eusebius quæ de Philippo et Justo miraculosa tradit Papias supra, *ὡς ἂν ἐκ παραδόσεως εἰς αὐτὸν ἐλθόντα*, ne quis ab eodem Aristione et Johanne, quos pro fontibus fuisse in multis Papiæ *statim ante* dixerat Eusebius, hæc mira quoque profluxisse opinetur, hinc postquam hæc miraculosa erant exposita, alia Papiam adeo *ἐκ παραδόσεως ἀγράφου* habere affirmat Eusebius, quo illa minus etiam fiunt credibilia, posthac contra recurrit ad Aristionem, et Johannem, et ab iis tum de Marco tum de Matthæo hausisse sua Papiam clarissime significat. His relatis alios denique Papiæ fontes suppeditat diligentissimus his in rebus Eusebius. HEIN.

Ib. *ὡς ἦν δυνατὸς ἕκαστος*] Ad rem cf. Storr. *über den Zweck der Evangelischen Geschichte und der Briefe des Joh.* p. 356. ed. ii., ubi haud improbabile esse conjicitur, quod Papias tradidit verbis: *ἡρμήνευσε—ἕκαστος*. HEIN.

LIB. IV.

Cap. 1, 1. Ἀμφὶ τὸ δωδέκατον] In Chronico Eusebii initium Primi Alexandriæ episcopi cadit in annum 10. Trajani. Alexandri quoque Romani pontificis initium collocatur anno 10. Trajani. Sed et in annis episcoporum tam Romanorum quam aliarum urbium digerendis, observavi Chronicon Eusebii plerumque dissentire ab historia ecclesiastica. Sive ea exscriptorum culpa est, sive Hieronymi interpretis, sive ipsius Eusebii. Nam in tanta differentia, difficile est erroris causam adsignare [a]. Porro cum historia ecclesiastica post libros Chronicorum ab Eusebio scripta sit, ubicunque ejusmodi dissensio occurrit, id potius sequendum videtur, quod in historia ecclesiastica scriptum est. VALES.

Ib. ὄγδοον] Vid. Pearson. *de annis primor. Rom. Episc. dissert.* ii. c. 7. citante Readingo. HEIN.

2, 2. Πρὸς τοὺς συνοίκους Ἕλληνας] Rufinus vertit: *Primo simul commanentibus vicinisque gentilibus inferre certamina.* Sic enim legitur in manuscripto codice bibliothecæ Regiæ. Hieronymus autem in Chronico interpretatur: *adversus cohabitatores alienigenas.* Langus vertit *adversus cives suos Græcos.* Musculus autem et Christophorsonus *gentes* verterunt, nimis laxo et ambiguo vocabulo. Aut *Gentiles* enim, aut *Græcos* vertere oportet, aut utrumque pariter ut fecimus. Judæi qui cum Græcis seu gentilibus in urbibus et oppidis habitabant, et æquum jus civitatis cum iisdem habebant, sæpenumero cum illis jurgabantur, ut solent seditiones et tumultus nasci ex religionum discrepantia. Græci enim Judæos cives habere dedignabantur, contra Judæi, deteriori conditione quam reliqui cives agere nolebant. Hinc frequenter rixæ per singulas urbes, tum in Ægypto tum in Syria, ut Philo et Josephus testantur. Idcirco autem Gentiles et Græcos in interpretatione mea simul posui, quod unica vox non sufficere videbatur. Neque enim solos Græcos tunc adorti sunt Judæi,

[a] Cf. Scaliger. in *animadverss. ad Euseb. Chron.* Möller. *de fide Eus.* p. 105. HEIN.

sed etiam indigenas Ægyptios et Libyas. Neque rursus solos Gentiles, verum etiam Christianos, quorum non mediocris tunc erat multitudo in Ægypto et Cyrenaica. VALES.

2, 3. τοὺς ἐν αὐτῇ νομούς] *Castella* vertit Rufinus magno errore, cum *præfecturas* vertere debuisset, aut *nomos*, ut Plinius. Tota enim Ægyptus in nomos divisa erat. Porro de hac totius Ægypti et Libyæ vastatione a Judæis facta, præter Dionem Orosius in lib. vii. hæc habet: *Incredibili deinde motu sub uno tempore Judæi quasi rabie efferati, per diversas terrarum partes exarserunt. Nam et per totam Libyam adversus incolas atrocissima bella gesserunt, quæ adeo tunc interfectis cultoribus desolata est, ut nisi postea Hadrianus Imp. collectas illuc aliunde colonias deduxisset, vacua penitus terra abraso habitatore mansisset.* Hæc Orosius ex Chronico Eusebii. De his coloniis ab Hadriano Imp. in Lybyam missis intelligendum esse videtur vetus epigramma incerti auctoris nondum editum:

Ἐσχατιαὶ Λιβύων Νασαμωνίδες, οὐκέτι θηρῶν
  Ἔθνεσιν ἠπείρου νῶτα βαρυνόμεναι,
Ἠχοῖ ἐρημαίῃσιν ἐπιπτήσεσθε λεόντων
  Ὠρυγαῖς, ψαμάθους ἄχρις ὑπὲρ νομάδων·
Φῦλον ἐπεὶ ἀναριθμὸν ἐν ἰχνοπέδῃσιν ἀγρευθὲν
  Ἐς μίαν αἰχμηταῖς καῖσαρ ἔθηκεν ὁ παῖς·
Αἵ δὲ πρὶν ἀγραύλων ἐγκοιτάδες ἀκρώρειαι
  Θηρῶν, νῦν ἀνδρῶν εἰσὶ βοηλασίαι.

Id est:

Fines Libyæ Nasamonibus vicini, non amplius ferarum
  Agmina continentis vestræ dorso portantes,
Solitarios leonum expavescatis rugitus,
  Resonantes ultra ipsas nomadum arenas.
Quandoquidem innumerabilem turbam laqueis captam
  Cæsar militibus sub unum simul aspectum subjecit.
Et montium vertices qui prius fuerant cubilia ferarum,
  Nunc ab hominibus incoluntur et arantur.

Corruptus est versus antepenultimus, quem sic restituendum puto:

Ἐς μίαν αἰχμηταῖς καῖσαρ ἔθηκεν ὄπα. VALES.

Vitiose scripserunt Valesius, Reading. et Stroth. νόμους. HEIN.

2, 4. Μάρκιον Τούρβωνα] Ab hoc Judæos deletos esse scribit etiam Spartianus in Hadriano. *Marcio*, inquit, *Turbone, Judæis compressis, ad deprimendum tumultum Mauritaniæ destinato.* Ad quem locum hallucinatur Salmasius qui putat Spartianum loqui de tumultu Judæorum sub Hadriano, cui bello finem ait imposuisse Marcium Turbonem. In quo longe fallitur. Nam bellum Judaicum sub Hadriano confecit Julius Severus, ut docet Dio, multo post initium imperii Hadriani de quo hic loquitur Spartianus. Marcius autem Turbo extremis annis imperii Trajani Judæos compresserat, quemadmodum hic testatur Eusebius. Itaque Hadrianus imperium recens adeptus, cum Mauri post obitum Trajani tumultuarentur, Turbonem qui recens Judæos compresserat, adversus Mauros misit, ut eadem felicitate qua Judæos contriverat, Mauros etiam compesceret. Hic est sensus Spartiani. VALES.

2, 5. Λουκίῳ Κοΐντῳ [b]] Rectius apud Nicephorum legitur Λουκίῳ Κυέτῳ: apud Rufinum in vetustissimis editionibus scriptum est Lusio Quieto. Codex Mazarinus Fuk. [c] et Savilii Κυήτῳ scriptum habent [d]. Κύντος Λούσιος dicitur in excerptis ex Dione Cassio quæ ante viginti annos edidimus. Erat hic Maurus genere, non ex provincia Mauritania, sed ex Mauris barbaris qui Romano imperio fœderati erant. Et initio quidem præfecturam alæ Maurorum gesserat. Sed non multo post damnatus ob nequitiam, cum ignominia dimissus fuerat. Postea vero bello Dacico, cum exercitus auxilio Maurorum egeret, ipse egregiam operam navavit. Quam ab causam præmiis atque honoribus adfectus, longe plura ac majora facinora altero bello Dacico edidit. Tandem vero bello Parthico quod adversus Parthos Trajanus gerebat, eo fortitudinis ac fortunæ simul processit, ut inter prætorios relatus, consulatumque adeptus sit, et provinciam Palæstinam rexerit. Quæ res ei primo invidiam, postea odium ac perniciem attulere. Hæc Dio in luculentis illis excerptis. Quibus addam insignem etiam Themistii locum in gratiarum actione ad Theodosium Augustum pro pace, et pro consulatu Saturnini Magistri equitum. *Οὕτω καὶ ὁ σὸς πρόγονος καὶ ἀρχηγέτης·*

[b] Ita Reg. Med. Steph. HEIN. [c] Venet. HEIN. [d] Ita quoque Stroth. HEIN.

παῖδες μὲν οὐκ ἦσαν αὐτῷ, παῖδες δὲ ἀδελφῶν καὶ ἀδελφιδῶν· ἀλλ' ὅμως οὐδένα ἐκείνων τῆς εὐνοίας Λυσίου προυτίμησεν· ἀλλ' οὐδὲ Ῥωμαίων ὄντα τὸν ἄνδρα, ἀλλ' οὐδὲ Λίβυν ἐκ τῆς ὑπηκόου Λιβύης, ἀλλ' ἐξ ἀδόξου καὶ ἀπωκισμένης ἐσχατιᾶς, ἐπειδὴ Μαρδοὺς κατεστρατήγησεν, ἀνέδειξε πρότερον ὕπατον, εἶτα τῆς βασιλείας διάδοχον κατεστήσατο. Id est: *Sic plane parens et auctor generis tui Trajanus, cum liberos quidem non haberet, sed sororum atque ex sororibus neptum filios haberet, nullum tamen ex illis Lusio præferendum putavit. Sed virum qui nec Romanus erat, ac ne Afer quidem ex provincia Africa, sed ex ignobili et remoto limite, propterea quod Mardos debellasset, priorem consulem renuntiavit, ac deinde successorem imperii designavit.* Hunc Themistii locum eo libentius hic adduxi, quod oratio illa nondum edita est, cujus copiam mihi fecit Gabriel Cossartius vir eloquentissimus. Porro quod Themistius dicit Lusium a Trajano successorem imperii esse designatum, id alibi legere non memini. Id quidem in animo habuisse Trajanum facile crediderim. Sane Spartianus Lusium Quietum suspectum imperio fuisse dicit: *Lusium Quietum sublatis gentibus Mauris quas regebat, quia suspectus imperio fuerat, exarmavit.* VALES.

2, 5. Ἰουδαίας ἡγεμών] Male Hieronymus et Rufinus *procuratorem Judææ* verterunt. Nec melius Christophorsonus *præfectum* interpretatur. Scribit enim Dio in excerptis nostris, Lusium Quietum ornamentis prætoriis honoratum fuisse, et ad consulatum pervenisse, ac provinciam Palæstinam rexisse. Quæ res, inquit, ei invidiam conflavit. At Palæstinæ procuratio non tanta erat dignitas, ut invidiam Lusio conflare posset: nec vir senatorii ordinis et consularis procurator esse potuit. Fuit igitur legatus Augusti pro prætore provinciæ Palæstinæ, quam dignitatem gessit Tinius Rufus sub Hadriano, ut mox videbimus. Neminem porro turbare debet, quod Palæstina tunc legatum habuit, quæ antea procuratori paruerat. Nam imperatores pro arbitratu mutabant administrationem provinciarum, et modo legatos, modo procuratores mittebant, prout usus reipublicæ exigebat. Itaque Trajanus cum Palæstinam assiduis Judæorum motibus turbari videret, legatum ei præfecit Lusium consularem, virum strenuum, qui dignitate sua et armis provinciam contineret. Sed

et ante Lusium Atticus ille, de quo paulo ante locuti sumus cum de Symeonis Clopæ martyrio ageretur, videtur fuisse legatus provinciæ Palæstinæ. VALES.

2, 6. Post ταῦτα Stroth. addit δὲ, post παραδόντες τοῖς μετέπειτα, non magis auctoritatis alicujus ab eo facta mentione quam a Val. HEIN.

3, 1. Τραϊανοῦ—εἴκοσι] Vid. quem laudat Reading. ad h. l., Pagi *Crit.* t. i. p. 114. ad a. C. 117. HEIN.

3, 2. τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοτομίας] Ita loquitur Clemens Alexandrinus in lib. vii. Stromateon. Ὁ γνωστικὸς ἄρα ἡμῖν μόνος ἐν αὐταῖς καταγηράσας γραφαῖς, τὴν ἀποστολικὴν καὶ ἐκκλησιαστικὴν σώζων ὀρθοτομίαν τῶν δογμάτων. Videtur autem hæc locutio desumpta esse ex epistola ad Timotheum, in qua apostolus dixit: ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. VALES.

3, 4. Ἀριστείδης] Vid. Le Moyne *Varr. Sacr.* tom. ii. p. 155. sqq. HEIN.

4, 1. Ἀλέξανδρος τελευτᾷ] Vid. quos laudat Reading., Pearson. *de annis prim. Rom. Episc. diss.* ii. cap. 7. Pagi *Crit.* t. i. p. 126. HEIN.

Ib. Πρίμον] Vid. Dodwell. *Supplem. ad dissert. Pearson.* p. 58. HEIN.

5, 1. Πεντεκαίδεκα] Cf. Moshem. *Commentt.* p. 135. Gieseler. *Lehrb. der K. G.* t. i. p. 117. b. HEIN.

Ib. τὴν γνῶσιν—καταδέξασθαι] Cf. Sulpic. Sev. ii. 45. Euseb. Demonstr. evang. iii. 5. HEIN.

5, 3. Ἰωσήφ] In Chronico Eusebii Joses dicitur, et apud Epiphanium in hæresi Manichæorum. Sic Joseph frater Domini, de quo Matthæus et Marcus loquuntur in Evangelio, Joses a Hieronymo et aliis appellatur. Ephres similiter in chronologia Nicephori patriarchæ Ephrem dicitur. Ceterum non sine causa mirari subit, undenam Nicephorus annos illos acceperit, quos singulis Hierosolymorum episcopis assignat, cum Eusebius qui in Palæstina degebat, et qui omnes episcoporum illius ecclesiæ indices perlegerat, nihil se de annis eorum legisse testatur. VALES.

5, 4. Ξύστον—ἀποπλήσαντα] Vid. Pearson. l. l. p. 232. HEIN.

5, 5. Εὐμένης] Hic Eumenes in Chronico Eusebii quod Hie-

ronymus Latine vertit, dicitur Hymenæus, vel ipsius Hieronymi, vel, quod libentius crediderim, librariorum errore. VALES.

5, 9. ἔτεσιν ἕνδεκα,] Vid. Dodwell. *Supplem. ad Dissert. Pearson.* p. 59. HEIN.

6, 1. Ῥοῦφος ἐπάρχων τῆς Ἰουδαίας] Eusebius in Chronico anno sexto decimo imperii Hadriani: *Judæi*, inquit, *in arma versi Palæstinam depopulantur, tenente provinciam Tinio Rufo, cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum.* In Chronico Georgii Syncelli qui Eusebii scrinia compilavit, dicitur Τίννιος Ῥοῦφος. De hoc Tinio Rufo Hieronymus in Danielem, cap. 9. ita scribit: *Quo mortuo, transactis septem hebdomadis, id est annis* 49. *Ælius Hadrianus* (*a quo postea de ruinis Hierusalem urbs Ælia condita est*) *rebellantes Judæos, Tinio Rufo magistro exercitus pugnante superavit.* Ita scribendum est ex veteri codice, vulgo male legitur *Timo Ruffo.* VALES.

Ib. ἐπάρχων τῆς Ἰουδαίας] Male Langus et Christophorsonus *præfectum Judææ* vertit. Nam Romani imperatores non mittebant præfectos ad regendas provincias, sed tantum ad gentes barbaras quæ Romanis fœderatæ erant. Sic gentes Maurorum per præfectos a Romanis imperatoribus missos regebantur, ut ex Augustino aliisque scriptoribus notavi ad Ammianum Marcellinum. Ex quo interpretari soleo locum Spartiani in Hadriano: *Marcium Turbonem post præfecturam Mauritaniæ, infulis ornatum Pannoniæ, Daciæ quoque ad tempus præfecit.* Sola ex provinciis Ægyptus erat, quam præfecti regebant loco regum. Quare hoc loco ἐπάρχων τῆς Ἰουδαίας non est exponendus *præfectus Judææ*, cum Judæa nunquam a præfectis administrata sit, sed potius *præses* aut *legatus provinciæ Palæstinæ.* Nam Palæstina seu Judæa, tunc temporis per legatos Cæsaris regebatur, ut superius observavi. Fuit ergo Tinius Rufus legatus Cæsaris pro prætore provinciæ Judææ seu Palæstinæ, sicut antea Lusius Quietus fuerat sub Trajano. VALES.

6, 2. Βαρχωχεβᾶς] De hoc Barchocheba Hieronymus in Apologia ii. adv. Rufinum: *Tu videlicet flammeus, imo fulmineus, qui in loquendo fulminas. Atque ut ille Barchochebas auctor seditionis Judaicæ, stipulam in ore accensam anhelitu ventilabat, ut flammas evomere videretur*, etc. Simili quondam fraude Eunus Syrus,

qui bellum civile in Sicilia concitavit, in ore abditam nucem gestans, quam sulfure et igne stipaverat, ac leniter inspirans, flammam inter verba fundebat, ut scribit Florus, iii. 19. VALES.

Ib. οἷα ἐπ' ἀνδραπόδων] Judæos vocat *mancipia*, ob ignobilitatem atque egestatem, et quod plerique eorum ex captivis qui sub Tito venundati fuerant, originem ducebant. VALES. Sensus loci hic est: facile decepit alios Barchochebas, ut qui potissimum eos ad partes suas traheret, qui ipsa stirpe sua vili et abjecta facilius ei obsequerentur. Paulo autem diverso modo Stroth. *Uebersetz.* t. i. p. 229. not. 2. verba illa οἷα ἐξ ἀνδραπόδων ita interpretatur: *That is: with simple, low-minded and superstitious persons, who readily augur anything from a name.* cf. Plutarch. Lucullus, c. xxviii. ἐπ' ἀνδράποδα τοιαῦτα δεηθέντας ὅπλων. HEIN.

Ib. Βίθθηρα] Scripti codices Rufini habent *apud Bethara oppidum*. Quare videndum est an eadem sit cum Betthar, quæ in itinerario Burdigalensi mutatio dicitur, quinquaginta et duobus millibus passuum distans ab urbe Hierosolymitana. Est et Bethar villa in eodem itinerario 12. millibus distans ab urbe Hierosolyma. Hieronymus in epitaphio Paulæ utramque Bethoron vocare videtur. Iter enim Paulæ describens a Cæsarea Hierosolymam usque: *A Nicopoli*, inquit, *proficiscens adscendit Bethoron inferiorem et superiorem, urbes a Salomone conditas, sed postea varia bellorum tempestate deletas.* De hac urbe in Talmude Hierosolymitano ita scribitur folio 69. col. prima: *tradidit Rabbi Josse. Urbs Biter condita est duobus et quinquaginta annis post dirutum templum.* Ibidem describitur, quanta in urbe ista clades Judæorum acciderit. Sed multa fabulosa intermixta sunt, quæ referre superfluum duxi. Lubet tamen hic describere ea, quæ leguntur in dicto Talmude, fol. 68. col. 4. in tractatu de jejuniis: *dixit Rabbi Jochanam: Hadrianus Cæsar occidit in Biter octingenta hominum millia. Idem R. Jochanam ait: octoginta millia tubicinum cingebant urbem Biter, quorum unusquisque maximis præerat copiis.* Ibidem paulo infra: *Jam tres annos et menses sex Hadrianus Cæsar urbem Bitter vallo circumdatam obsidebat: interea vero R. Elieser Modaus quotidie sacco indutus caput cinere conspergebat, et Deum precabatur hoc modo: Domine mundi, ne judicium exerceas hodie, ne jud. exerc. hodie. Cumque Hadrianus*

obsidionem solvere decrevisset, Samaritanus quidam ad eum accessit, spondens se urbem ei traditurum. Ingressus igitur in urbem Samaritanus Elieserem Modaum precantem offendit finxitque se nescio quid ei in aures insusurrare: quod cum incolæ urbis animadvertissent, adduxerunt Samaritanum ad Cosbam. Hic se Messiam esse prædicabat. Cosbas igitur interrogabat Samaritanum, quidnam dixisset R. Elieseri Modao, et quid ipsi respondisset Elieser. Cui ille: Si tibi dixero, inquit, occidet me Hadrianus. Nisi dixero, tu me interficies. Quare dicam. Malo enim a meo rege interfici quam abs te. R. Elieser convenit mecum, ut traderet Biter Hadriano. Adductum illico R. Elieserem interrogavit Cosba quid ipsi dixisset Samaritanus et quid ipse dixisset Samaritano. Respondit Elieser, nec Samaritanum quidquam ipsi dixisse, nec ipsum Samaritano. Quibus auditis Cosba Elieserem uno pedis ictu interfecit, statimque capta est urbs Biter et Cosba necatus. VALES.

6, 3. τῆς περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα γῆς πάμπαν ἐπιβαίνειν εἴργεται] Idem scribitur in Chronico Eusebii, anno 18. imperii Hadriani: *Bellum Judaicum quod in Palæstina gerebatur, finem accepit, rebus Judæorum penitus oppressis, ex quo tempore, etiam introeundi eis Hierosolyma licentia ablata, primum Dei nutu, deinde Romanis interdictionibus.* Ejusdem interdicti meminit Tertullianus in libro contra Judæos, cap. 15. *Et exinde quod interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum.* Et paulo post: *quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Hierusalem, prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam tantum oculis vestris videre permissum est.* Idem quoque Tertullianus in Apologetico, cap. 16. eleganter de Judæis dicit: *Dispersi, palabundi, et cœli et soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* Celsus quoque apud Origenem, lib. viii. in fine, eadem testatur de Judæis: οἷς οὐδ' ὁποία τις βῶλος, οὐδ' ἑστία καταλείπεται. Gregorius Naz. in Oratione 12. p. 202. de postrema Judæorum dispersione loquens, testatur Judæis fas non fuisse patriam adire, et Hierosolymorum solo insistere, nisi unico anni die, quatenus patriam prospectantes, lugere solitudinem et exsilium suum possent. Quem locum non intellexit Billius. Μία στήλη τούτοις τῆς συμφορᾶς ἡ οἰκουμένη πᾶσα καθ' ἧς ἐσπάρησαν,

καὶ ἡ λατρεία πεπαυμένη, καὶ αὐτῆς τῆς Ἱερουσαλὴμ τὸ ἔδαφος μόγις γινωσκόμενον· ἧς τοσοῦτον ἐπιβατὸν αὐτοῖς ἐστὶ μόνον, καὶ τοσοῦτον ἀπολαύουσι τῆς ποτὲ αὐτῶν δόξης, ὅσον ἐν ἡμέρᾳ φανέντες θρηνῆσαι τὴν ἐρημίαν. Id est: *unum illis monumentum calamitatis est totus terrarum orbis per quem dispersi sunt: et sublatus Dei cultus, et ipsius Hierosolymæ solum vix facile cognitu, quam hactenus ipsis introire licet, et vetere sua gloria hactenus fruuntur, ut uno die conspecti vastitatem et excidium ejus lugeant.* Die scilicet quo capta et eversa quondam fuerant a Romanis Hierosolyma, Judæi ex variis gentibus in Palæstinam conveniebant, et mercede militibus persoluta, introibant in eam urbis partem, ubi quondam fuerat templum Salomonis, ibique excidium templi et civitatis suæ plangebant, ut ex Hieronymo et ex itinerario Burdigalensi dudum observavit Scaliger in Animadversionibus Eusebianis, p. 198. Quibus adde locum Hieronymi in Epistola ad Hedybiam, quæstione 8. *Ex eo tempore Hierusalem non appellatur civitas sancta, sed sanctitatem et pristinum nomen amittens, spiritualiter vocatur Sodoma et Ægyptus: ut ædificetur pro eo civitas nova quam fluminis impetus lætificat, et de cujus medio egreditur fons, qui totius mundi amaritudinem mitigavit; ut miserabilis Israel ruinas templi nudatis plangat lacertis, et in Christo turba credentium nova quotidie videat ecclesiæ tecta consurgere.* Ac mihi quidem videtur Judæis id permissum fuisse per eos dies quibus mercatus solemnis fiebat ad Terebinthum. Cum enim ad eum mercatum multi ex barbaris convenirent, hac occasione etiam Judæi eo confluebant, non quidem ob mercatum quem vel maxime vitabant, eo quod olim majores ipsorum ibi venundati fuissent, sed ut ruinas templi inviserent ac salutarent. Idque conjicio ex militibus, quos Judæis plangentibus appositos fuisse testatur Hieronymus. Nam in mercatibus illis qui ad limitem fiebant, apponebatur centurio cum militibus, ut notavi ad librum xxvii. Ammiani Marcellini. Conjecturam autem nostram adjuvat Hieronymi locus in cap. 31. Hieremiæ, ubi scribit exsecrabile fuisse Judæis, mercatum celeberrimum qui quotannis fiebat ad Terebinthum, invisere. Ceterum notandum est, Eusebium quidem tum hic tum in Chronico id tantum dicere, a temporibus Hadriani vetitum fuisse Judæis in urbem Hierosolyma et in vicinum urbi agrum

introire. Quod quidem confirmat Gregorii locus a nobis allatus. Alii tamen non modo in urbem sacram, sed universam Palæstinæ regionem ingredi vetitos scripserunt. Ita præter Tertullianum Eusebius ipse in libro octavo de Demonstratione: *πᾶσαι αἱ φυλαὶ τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους θρήνων καὶ κοπετῶν ἄξια πεπόνθασι, διὰ τὴν καταλαβοῦσαν αὐτοὺς ἐκ Θεοῦ πληγὴν, ὑφ' ἧς καὶ ἡ μητρόπολις αὐτῶν ἀλλοφύλοις ἔθνεσιν ἐξεδόθη, καὶ τὸ ἱερὸν κατεσκάφη, αὐτοί τε τῆς ἰδίας χώρας ἀπελήλαντο, ἐν τῇ πολεμίᾳ ἐχθροῖς δουλεύοντες.* VALES.

Ib. *ὡς ἂν μηδ' ἐξ ἀπόπτου θεωροῖεν τὸ πατρῷον ἔδαφος*] Eadem loquendi forma Philo utitur in libro quod omnis probus liber, *οὐ μόνον οὐκ ἐπιβῆναι τῆς χώρας, ἀλλ' οὐδ' ἐξ ἀπόπτου τὸ πατρῷον ἔδαφος θεάσασθαι δυναμένοις.* VALES. Formula *ἐξ ἀπόπτου* legebatur jam i. 1. *Ἄποπτον* autem est specula, locus editus, unde prospici potest et circumspici. vid. Sophocl. Philoc. v. 467. Eustath. ad Hom. Od. i. 426. Suidas s. v. *ἐξ ἀπόπτου.* Hemsterh. *ad Lucian.* t. i. p. 289. cf. Lysias, p. 283. ed. Reisk. Hinc improprio sensu legitur apud Æsch. Diall. iii. 13. ubi est: *non expertum esse*, et opponitur: *διὰ πείρας ἰέναι.* cf. Plat. Apol. 20. Barth. *ad Claudian.* p. 407. Insolentiori significatione, qua significat: *haud adspectabilis*, *ἄποπτος* apud eosdem patres legitur. vid. Suicer. *Thes.* t. i. p. 469. cf. Sophocl. Ajac. v. 15. Ad rem cf. Stroth. *Uebers.* t. i. p. 229. not. 4. HEIN.

6, 4. *Ἀρίστων ὁ Πελλαῖος ἱστορεῖ*] Id est, ex urbe Syriæ Pella, quæ post excisam a Tito urbem Hierosolyma, sedes fuit episcopatus Hierosolymitani, ut scribit Eusebius. Ceterum Scaliger Aristonis Pellæi verba esse existimavit quæcumque leguntur supra ab his vocibus *ἀκμάσαντος δὲ τοῦ πολέμου*, eaque passim Aristonis nomine citat, in quo tamen ei assentiri non possum. Nam et verba ipsa Eusebii stilum prorsus redolent, et Aristo Pellæus obsidionem illam Bettharæ et expugnationem Judæorum fusius prosecutus fuerat. Quod si ipsa essent Aristonis verba, nequaquam id tacuisset Eusebius. Nam quoties verba ipsa auctorum adducturus est, semper de eo lectorem admonet. Cum autem addit *ἱστορεῖ* vel *ἱστοροῦσι*, indicat eam rem a scriptoribus illis quos laudat, fusius commemorari. Porro hic Aristo Pellæus auctor esse dicitur libelli cujusdam, cui titulus erat, Disputatio Jasonis et

Papisci. Ita scribit Maximus in scholiis ad librum Dionysii de Mystica Theologia, cap. 1. *ἀνέγνων δὲ τοῦτο ἑπτὰ οὐρανοὺς καὶ ἐν τῇ συγγεγραμμένῃ Ἀρίστωνι τῷ Πελλαίῳ διαλέξει Παπίσκου καὶ Ἰάσονος, ἣν Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν ἕκτῳ βιβλίῳ τῶν ὑποτυπώσεων, τὸν ἅγιον Λουκᾶ φησὶν ἀναγράψαι.* Hujus libelli meminit Celsus, et Origenes in lib. iv. contra Celsum. Eundem ex Græco in Latinum sermonem vertit Celsus quidam. Sed sola ejus præfatio hodie superest inter opuscula Cypriani. VALES. Cf. Cave *Hist.* vol. i. p. 24. vid. Keilius *ad Fabric. Bibl. Græc.* vol. iv. p. 157. HEIN.

Ib. *ἡ μετέπειτα συστᾶσα Ῥωμαϊκὴ πόλις*] Dupliciter hic fallitur Eusebius: tum quod urbem Hierosolyma sub Hadriano penitus eversam fuisse scribit, tum quod Æliam Capitolinam ab eodem Hadriano conditam esse existimavit post expugnationem Bettharæ. Quod ad primum attinet, constat ex Josepho Hierosolyma prorsus eversa fuisse a Tito, ita ut aratrum etiam ejus solo fuerit impressum. Quomodo igitur iterum eversa sunt ab Hadriano, quæ jamdudum esse desierant? Certe Eusebius hoc quidem in loco, aperte non dicit Hierusalem ab Hadriano eversam fuisse, sed id tantum obscure innuit. In libris autem de Demonstratione et in Chronico, diserte affirmat Hierusalem funditus ab Hadriano eversam fuisse. Ex quo obiter perspici potest, hos ecclesiasticæ historiæ libros longe accuratius ab Eusebio elaboratos esse quam reliqua ejus scripta. Quod vero ad conditum Æliæ spectat, tantum abest ut condita fuerit ab Hadriano post partam de Judæis victoriam. Immo bellum Judaicum ex Æliæ conditu originem cepit. Nam cum Judæi urbis suæ solum ab alienigenis occupatum viderent, et in eo ipso loco in quo Dei templum olim fuisset, sacra fieri Jovi Capitolino animadverterent, eam injuriam minime ferendam rati, arma corripuerunt, et initium fecerunt hujus belli quod hic narrat Eusebius, quodque anno 16. Hadriani cœptum, octavodecimo aut nono finem tandem accepit. Ælia vero Capitolina diu ante condita fuerat, anno scilicet 2. Hadriani, ut scribitur in Chronico Alexandrino [e]. Plura Scaliger in animadversionibus,

[e] Vide veriora tradita Schröckh. *Christl. K. G.* t ii. p. 396—399. cf. quos laudat Reading. ad h. l., Beveregius *Annot. in Concil. Nic. primi can.*

quem in hac quidem parte libenter sequor. Sed quod pag. 199. Hilarium reprehendit et Athanasium quod dixerint sua ætate nullam amplius fuisse Hierusalem, in hoc non assentior Scaligero. Recte enim id dictum est a sanctissimis patribus, cum ea urbs quæ tunc temporis dicebatur Hierusalem, Ælia potius esset, nec nisi abusive Hierusalem vocaretur. Neque enim Hierosolyma instauravit Hadrianus, cum Judæi hostes tunc essent populi Romani. Sed Æliam coloniam civium Romanorum condidit, a cujus ingressu etiam Judæos arceri voluit. Itaque a temporibus Hadriani usque ad Constantinum magnum, semper Ælia vocata est, a tempore autem Constantini magni, Hierosolymorum nomen quasi postliminio repetiit, tum ob splendorem illius nominis, tum ob primitivæ sedis prærogativam. Revera tamen Ælia erat, non Hierusalem. Adeoque in canone 7. concilii Nicæni episcopus Æliæ vocatur. Verum post celeberrimum illud martyrium a Constantino ædificatum in resurrectionis dominicæ loco ambitio episcoporum obtinuit, ut Hierusalem potius quam Ælia diceretur. Sed id καταχρηστικῶς factum est ut dixi. Itaque recte locuti sunt Hilarius et Athanasius, quibus addendus est etiam Eusebius in sermone 2. de resurrectione: *Si autem dubitant, ostendant civitatem suam post ea quæ ausi sunt stantem.* Et in lib v. Demonstrationis, cap. 13. Et Gregorius Nazianzenus in Orat. 12. καὶ αὐτῆς τῆς Ἱερουσαλὴμ τὸ ἔδαφος μόγις γινωσκόμενον· ἧς τοσοῦτον ἐπιβατὸν αὐτοῖς ἐστι μόνον, etc. Vides ut Gregorius testatur, solum Hierosolymorum sua ætate vix agnosci potuisse, et Judæos vastitatem ejus etiamtum luxisse, respiciens videlicet ad veram et priscam Hierusalem, non ad novam illam quæ vetus nomen falso usurpaverat. Improprie igitur locutus est Hieronymus in Epitaphio Paulæ, cum dicit: *Ingressa est Hierosolymam, urbem trinominem, Jebus, Salem, Hierusalem, quæ ab Ælio postea Hadriano de ruinis et cineribus civitatis in Æliam suscitata est.* Nam ut sæpe dixi, nunquam ea mens Hadriani fuit, ut urbem Hierosolymam suscitaret, quippe qui infensissimus esset Judæis, qui tunc hostes erant populi Romani, sed Æliam urbem condidit, et in ea

vi. p. 61. Pagi *Crit.* t. i p. 129. Historiam novæ urbis Æliæ scripsit sigillatim Deyling. *Observv. Sacr.* t. v. HEIN.

templum Jovis Capitolini, quo Judæos ab eo loco quem summa veneratione prosequebantur, penitus arceret. Rectius ergo Beda, seu quis alius, in expositione locorum et urbium, quarum mentio fit in Actibus Apostolorum: *Hierusalem*, inquit, *metropolis quondam Judææ, quæ nunc ab Ælio Hadriano Cæsare, quod eam a Tito destructam latiore situ instauraverit, Ælia cognominata est: cujus opere factum est, ut loca sancta, id est, dominicæ passionis et resurrectionis, quondam extra urbem jacentia, nunc ejusdem urbis muro septentrionali circumdentur.* Porro Ælia diu post Constantini tempora nomen suum retinuit. Certe in itinerario Antonini et in tabula Peutingerorum non aliter vocatur quam Ælia, vitio tamen librariorum Helia Capitolina vulgo scribitur. Sed et Chrysostomus in Oratione 3. adversus Judæos ita appellatam fuisse ætate sua testatur: Ἐπειδὴ γὰρ Αἴλιος Ἀδριανὸς ἐχρημάτιζεν, οὕτω καὶ τὴν πόλιν καλεῖσθαι ἐνομοθέτησεν· ἐκεῖθεν Αἰλία μέχρι τοῦ νῦν ὀνομάζεται, ἀπὸ τῆς ἐπωνυμίας τοῦ κρατήσαντος καὶ καθελόντος αὐτήν. Hieronymus in epistola ad Dardanum de terra repromissionis: *cum ipsa metropolis tua, prius Jebus, postea Salem, tertio Hierosolyma, et nunc Ælia.* VALES.

7, 3. Σατορνῖνον] Vid. Moshem. *Commentt.* p. 336. sqq. cf. Ittigius *de Hæresiarchis primi et secundi seculi*, p. 96. sq. HEIN.

7, 4. Βασιλείδην—μυθοποιΐας] Basilidis genuinam doctrinam tradidisse Clementem docuit Neander *Genetische Entwickelung der gnostischen Syst.* p. 31. vid. Bellermann *Versuch über die Gemmen der Alten mit dem Abraxas-Bilde*, Berol. 181—719. Partt. iii. cf. Ittig. l. l. p. 98. sqq. Moshem. *Commentt.* p. 342. sqq. Cramer. *Fortsetzung des Bossuet*, t. ii. p. 205. sqq. p. 207. HEIN.

Ib. εἰς τὸ ἄπειρον τεῖναι τὰς ἐπινοίας] Vetus interpres Irenæi vertit: *in immensum extendit sententiam doctrinæ suæ.* Ἐπινοίας igitur vocat commenta seu adinventiones Basilidis quas ibidem refert Irenæus. Ea in immensum extendisse ait Basilidem, quippe qui fabulosa quædam confinxisset et vana. Hæc enim natura mendacii est, ut sit interminatum et vagum, nullo certo modo ac termino definitum. Veritas vero certa est, ac suis spatiis circumscripta, quibus nihil addi aut demi

potest. Itaque recte Plato in Theæteto ni fallor, veritatem ἐμμετρίαν seu concinnitatem esse dixit. Et Homerus Thersiten ἀμετροεπῆ vocavit, id est, vanum ac mendacem. VALES.

7, 5. ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν] Cf. quæ monui supra, ii. 25. (pag. 127. sq.) HEIN.

7, 7. εἰς μὲν τὸ εὐαγγέλιον τέσσαρα πρὸς τοῖς εἴκοσι συντάξαι βιβλία] Non dicit Eusebius in quodnam Evangelium Basilides eos libros scripserit, utrum in Evangelium Matthæi an Marci. Ac fortasse hos viginti quatuor libros composuerat Basilides in suum ipsius Evangelium. Scripserat enim Evangelium Basilides, et suo nomine prænotaverat, τὸ κατὰ Βασιλείδην εὐαγγέλιον, ut testatur Origenes in Homilia i. in Lucam, Ambrosius in proœmium b. Lucæ, Hieronymus præfatione in Matthæum. Hi autem libri Basilidis ἐξηγητικοὶ dicebantur. Certe Clemens Alexandrinus in lib. iv. Stromateon loca quædam affert ex lib. xxiii. Basilidis ἐξηγητικῶν. VALES.

Ib. προφήτας—Βαρκὼφ] In hos prophetas Barcabam et Barcob, Isidorus Basilidis filius expositionum libros scripserat, ut docet Clemens Alexandrinus in lib. vi. Stromateon: Ἰσίδωρος δὲ, ὁ Βασιλείδου υἱὸς ἅμα καὶ μαθητὴς, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν τοῦ προφήτου Παρχὼρ ἐξηγητικῶν. Ubi Βαρκὼφ emendandum videtur. Nisi quis existimare malit Παρχὼρ etiam unum fuisse ex prophetis illis a Basilide confictis. Ex eorum prophetarum numero fuit etiam Cham, cujus nomine Basilides librum prophetiæ contexuerat, ut ex Isidori verbis ibidem a Clemente citatis colligitur. VALES.

Ib. καὶ ἄλλους ἀνυπάρκτους τινάς] Frustra Christophorsonus *angelos* hic inseruit, quasi in Eusebii textu aliquid deesset. Verum Eusebius tantum de prophetis loquitur quos sibi commentus fuerat Basilides. Atque ita hunc Eusebii locum acceperunt Hieronymus in catalogo, ubi de Agrippa Castore loquitur, et Theodoretus in lib. i. Hæreticarum Fabularum, et Nicephorus in libro quarto. Recte porro Eusebius noster Basilidis hæresim principatu Hadriani cœpisse dicit. Tunc enim primum hæretici ex latebris prodire et caput attollere cœperunt, cum apostolis omnibus jam exstinctis, opportunum sibi adesse tempus ad evulganda errorum suorum dogmata existimarent. Clemens certe in lib. vi. Stromateon de Basilide idem testatur his verbis: κάτω δὲ περὶ τοὺς Ἀδριανοῦ

τοῦ βασιλέως χρόνους οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντες γεγόνασι, καὶ μέχρι γε τῆς Ἀντωνίνου τοῦ πρεσβυτέρου διέτειναν ἡλικίας, καθάπερ ὁ Βασιλείδης. VALES. Cf. supra iii. 32. not. Pearson. *Vind. ep. Ignat.* P. ii. p. 87., quem citat Reading. ad h. l. HEIN.

7, 9. Καρποκράτην] De Carpocratianis scripsit Fuldnerus in *Dritte Denkschrift der hist. theol. Ges. zu Leipzig*, p. 180. sqq. sf. Cramer. *Fortsetzung des Bossuet*, t. ii. p. 208. HEIN.

Ib. φίλτροις] *Amatoria* vertit Rufinus non male. Sic enim Latini vocant quæ Græci φίλτρα. Amm. Marcellinus, lib. xxix. *Immittebantur confestim, qui signatis domibus inter scrutinia supellectilis pœnis addicti, incantamenta quædam anilia, vel ludibriosa subderent amatoria.* VALES.

Ib. παρέδροις τισὶ δαίμοσι] *Paredros spiritus* Latine dixit Tertullianus in libro de Anima, quos cum catabolicis et pythonicis spiritibus qui a magis immittebantur, conjungit. Dicebantur autem paredri dæmones, qui hominibus adsistebant, et morbos atque infortunia ab iisdem avertebant. Docet id Tertullianus in Apologetico cap. 23. his verbis: *Si et somnia immittunt, habentes simul invitatorum angelorum et dæmonum adsistentem sibi potestatem.* Magi quippe adsistentes sibi et obsequentes dæmones habebant, qui essent ipsorum paredri, quorum ope multa miracula edebant. Sed et aliis immittebant ejusmodi spiritus, ut vel somnia eis injicerent, vel eis perpetuo ad tutelam adsisterent. Priores spiritus ὀνειροπομπούς, secundos παρέδρους vocabant [f]. Interdum etiam pueros magicis carminibus elidebant, qui deinde tanquam ex comitiali morbo excitati, consulentibus futura prædicerent. Quod per catabolicos spiritus faciebant ut ad Tertulliani Apologeticum Heraldus recte observavit. Eos catabolicos spiritus vocat Tertullianus. Ex his patet error cl. Salmasii, qui in notis ad Spartianum, pag. 40. paredros dictos esse affirmat eos, qui ex hominibus inter deos relati, facti essent assessores deorum. Quam Salmasii opinionem amplexus est Gothofredus in notis ad librum ii. Tertulliani ad Nationes. Longe rectius Turnebus in lib. xxvi. Adversariorum, nisi quod *malos genios* interpretatur, cum tamen boni genii et ἀλεξίκακοι ita diceren-

[f] Vide Spencer. *de legg. Hebr. ritualib.* Diss. viii. lib. iii. p. 461. sqq. cf. Fuldner. l. l. p. 262. sq. HEIN.

tur, ut de Hephæstione scribit Lucianus. Denique paredros fere vocabant deos inferos, non autem cælestes, quod cum a Salmasio minime observatum esset, causam erroris ei præbuit. Ita Demosthenes in Oratione funebri in fine: πῶς οὐ χρὴ τούτους εὐδαίμονας νομίζεσθαι· οὓς παρέδρους εἰκότως ἄν τις φήναι τοῖς κάτω θεοῖς εἶναι. Diodorus Siculus in lib. i. p. 45. πρός τε τὸν Ὄσιριν καὶ τοὺς κάτω παρέδρους[g]. Nostram sententiam confirmat etiam Rufini locus in lib. ii. Historiæ cap. 13. in fine, ubi de Simone mago sic dicit: *Utens adminiculo assistentis sibi et adhærentis dæmoniacæ virtutis, quam* πάρεδρον *vocant.* Et in lib. ii. Recognitionum Clementis: *Pueri*, inquit, *incorrupti et violenter necati animam juramentis ineffabilibus evocatam adsistere mihi feci, et per ipsam fit omne quod jubeo.* Ait Simon magus. VALES.

7, 10. πάντα—χρέα] Falsum esse h. l. Euseb. monuit Fuldner. l. l. p. 239. not. 12. “*Etenim*, inquit, *nostri homines non munera, ut Valesius vertit, unicuique angelorum debita persolvere voluerunt, atque hoc modo ipsorum potestatem transgredi, quasi principes, ut male agerentur, mandassent, sed eorum auctoritatem superare et ipsos evitare studuerunt eo ut ipsorum leges non tantum contemnerent, sed facerent quæ ab illis vetita sunt, quoniam ea contraria esse putarunt legi supremi Dei.*” Eodem errore laborare Fuldnerus dicit Augustinum, c. 7. HEIN.

Ib. τούτοις συνέβαινε] Cf. Fuldner. l. l. p. 282. sq. HEIN.

7, 12. καινοτομουμένων non recte vertit h. l. Valesius: *aliis super aliis exorientibus sectis.* Melius certe Strothius: *es entstand immer eine falsche Secte über die andere.* Καινοτομεῖσθαι enim est potius h. l. absolute et eodem modo positum, quo infra cap. 27. τῆς Φρυγῶν αἱρέσεως μετ' οὐ πολὺν καινοτομηθείσης χρόνον, ubi tum Valesius tum Stroth. rectius certe vertit, ille: *contra Cataphrygum hæresin, quæ quidem non longe postea maximos tumultus excitavit*, hic: *die nicht lange darauf mit ihren irrigen Lehren hervortrat.* Neque tamen vel sic satis accurate. Καινοτομεῖσθαι enim utroque loco est: novas doctrinas et quidem temere proponere, *novaturiendi quodam pruritu laborantem antiqua dogmata temere antiquare.* Sed nullo modo illud est *exoriri*, ut h. l. Valesius vertit, Strothius autem sensum tan-

[g] Cf. Le Moyne *Varr. Sacr.* tom. ii. p. 382. sqq. Euripid. Orest. v. 1682. ed. Matthiæ. HEIN.

tum reddidit, cum posset melius etiam vertere καινοτομεῖσθαι verbo, quo hoc idem optime designamus: *Neuerungen machen.* Simili sensu legitur καινοτομεῖσθαι, addita tamen præpositione περὶ apud Plat. Eutyph. ii. ὡς οὖν καινοτομοῦντος σου περὶ τὰ θεῖα, i. e. καινά τινα θεῖα εἰσφέροντος. cf. Xenoph. Mem. i. 1. Eus. H. E. vii. 31. ubi legitur substantivum καινοτομία, ibid. x. 8. Passow. s. v. Suicerus omisit vocem καινοτομεῖν et καινοτομία. HEIN.

7, 13. μόνη παρὰ πᾶσι κρατοῦσα] Hinc[h] factum est ut Christiana religio a gentilibus tandem vocata fuerit ἡ κρατοῦσα δόξα, et Christiani κρατοῦντες dicerentur. Ita Damascius in Isidori vita, pag. 1058. de Petro Mongo loquens Alexandrinæ urbis episcopo: ὁ δὲ τῶν κρατούντων τὴν δόξαν ἐπισκοπεῖν εἰληχὼς ὄνομα Πέτρος, ἀνὴρ ἰταμὸς καὶ περιπονηρός. Id est: *Is vero qui prævalentis tunc religionis episcopus erat*, etc. Idem rursus, pag. 1072. de Ammonio loquens: ὁμολογίας τίθεται πρὸς τὸν ἐπισκοποῦντα τὸ τηνικαῦτα τὴν κρατοῦσαν δόξαν. Id est: *Paciscitur cum eo qui tunc temporis episcopus erat prævalentis sectæ*, Christianorum scilicet. Denique idem Damascius apud Suidam in voce Σεβηριανὸς, τούτῳ, inquit, κατεπηγγείλατο Ζήνων βασιλεὺς, εἰ γένοιτο τῶν κρατούντων, τὴν μετὰ βασιλέα μεγίστην ἀρχήν. Id est: *Huic Zeno Augustus maximam ab imperatore dignitatem, præfecturam scilicet prætorii promisit, dummodo Christianus fieret.* Sed et Porphyrius longe ante Damascium ita locutus fuerat in libro de oraculorum philosophia, cujus locum adduxit Eusebius in libro nono Præparationis Evangelicæ, cap. 10. et Theodoretus in libro i. de Curatione Græcanicæ Superstitionis: χαλκόδετος γὰρ ἡ πρὸς θεοὺς ὁδὸς, αἰπεινή τε καὶ τραχεῖα, ἧς πολλὰς ἀτραποὺς βάρβαροι μὲν ἐξεῦρον, Ἕλληνες δὲ ἐπλανήθησαν. Οἱ δὲ κρατοῦντες ἤδη καὶ διέφθειραν. Id est: *Via quidem quæ ducit ad deos, ære munita est et ardua atque aspera, cujus plurimas quidem calles barbari repererunt, Græci vero ab ea longius aberrarunt, qui autem nunc prævalent, prorsus corruperunt.* Scio quidem tam Eusebii quam Theodoreti interpretes vocem κρατοῦντας aliter explicasse. Sed nego alium Porphyrii sensum fuisse, quam illum quem in interpre-

[h] i. e. quia tandem victrix omnes alias religiones fugavit quasi religio Christiana. Hoc moneo, quia male Valesii mentem intellexisse videtur Stroth., qui Valesium contendisse putat, longe ante Constantinum M. Christianos a gentilibus dictos esse τοὺς κρατοῦντας. HEIN.

tatione mea expressi. Sic Chrysostomus in homilia 34. in Matthæum, p. 329. *οὐ μάστιγες, οὐ δεσμωτήρια, οὐκ ἄρχοντες, οὐ συναγωγαὶ ἐπίκεινται, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον ἅπαν, ἡμεῖς ἄρχομεν καὶ κρατοῦμεν. καὶ γὰρ βασιλεῖς εὐσεβεῖς*, etc. Ex his intelligendus est Juliani locus in Misopogone, pag. 99. *Καὶ ὁ μὲν Θεὸς ἐμαρτύρησέ μου τοῖς λόγοις ἐκλιπὼν τὸ προαστεῖον ὃ πολὺν ἐτήρησε χρόνον ἐν ἐκείνῃ τῇ ζάλῃ, τρέψας ἀλλαχοῦ τῶν κρατούντων τὴν διάνοιαν, καὶ τὼ χεῖρε βιασάμενος.* Quæ sic interpretor: *Meamque orationem Deus testimonio suo comprobavit; quod utinam nunquam fecisset, relicto suburbano quod tamdiu servaverat, cum eorum qui tunc temporis prævalebant, in illa tempestate ac procella mentes alio avertisset, manusque repressisset.* Tempestatem ac procellam vocat Constantiniana tempora, quibus templa deorum toto pæne orbe terrarum subversa fuerant a Christianis, quorum tamen manus Apollinis Daphnæi templum effugerat. VALES.

8, 1. Ἐγνωρίζετο Ἡγήσιππος] Non recte meo quidem judicio Hegesippus confertur in tempora imperatoris Hadriani. Nec locus ille Hegesippi quem hic adducit Eusebius, id evincit. Certe Hegesippus libros suos scripsit pontificatu Eleutheri, ut ipsemet testatur infra cap. 22. Æqualis igitur fuit Irenæo, qui et ipse sub Eleuthero Romanæ urbis episcopo insignes illos adversus hæreses libros elucubravit. Hieronymus tamen hunc Eusebii nostri locum secutus, in catalogo ecclesiasticorum scriptorum Hegesippum præposuit Justino, quod utique fieri non debuit. Certe Eusebius noster in cap. 21. et 22. hujus libri, quasi priorem sententiam retractans, Hegesippum confert in tempora Marci Antonini. VALES. Fateor me non posse non assentiri Valesio, quamvis Eusebium excusare studuerit Kestner. p. 59. not. 136. qui: "*Hæc loca,* inquit, *multis viris sibi repugnantia visa, nescio quomodo Eusebio tantopere exprobrari poterant. Nam Hegesippum tempori amborum simul imperatorum coævum vixisse saltem non incredibile est.*" HEIN.

Ib. *τὴν——ὑπομνηματισάμενος* vertit Valesius: hic in quinque libris simplici admodum sermone conscriptis verissimam apostolicæ prædicationis *historiam complexus.* cf. Euseb. H. E. v. 10. extr. Suicer. *Thes.* t. ii. p. 576. p. 1390. Passow. s. v. *ὑπομνηματίζω.* HEIN.

8, 2. Οἷς καινοταφία] Rectius apud Nicephorum in lib. iii. cap. 26. legitur κενοτάφια[i]. Hieronymus in catalogo sic vertit: *tumulos etiam templaque fecerunt.* Rufinus vero sic interpretatur: *quibus templa immo potius sepulchra fecerunt.* VALES. Equidem sine justa causa puto Strothium h. l. vocem κενοτάφια de simulacris accipere. Primum enim κενοτάφιον an ita dici possit (LXX ad i Reg. xix. 13. 16. vox κενοτάφ. plane non legitur), magnopere dubito, imo vel a sepulchris, de quibus cogitavit Rufinus, accurate illa solet distingui. Cf. Lamprid. vit. Alex. 63. Virg. Æn. iii. 304. Quod autem dicit Stroth., nihil peccasse illis κενοταφίοις ethnicos, illud quamvis *nos* velimus eos excusare, tamen facile credere poterant *illius temporis Christiani*, unde ipse Eusebius de εἰδώλοις loquitur antea. Ac profecto non simpliciter in memoriam suorum exstruxisse illa κενοτάφια gentiles, docet Sueton. Claud. i. Cf. Eustath. ad Hom. Odyss. iv. 584. Χεῦ' Ἀγαμέμνονι τύμβον ἵν' ἄσβεστον κλέος εἴη. Ibi recte interpretatur Eustathius χεῦ' τύμβον per: Ἐποίησε κενοτάφιον. Addit: γράψας ἐκεῖ ἐν λίθῳ τὸ ὄνομα αὐτοῦ (Ἀγαμέμνονος) καὶ τὴν αἰτίαν τοῦ θανάτου καὶ τὸ ποῦ ἦν καὶ ὅπως πέπονθε. Cf. Ruhkopf. *ad Hom. Iliad.* vi. p. 209. sq. HEIN.

Ib. οὗ καὶ ἄγεται ἀγὼν Ἀντινόειος] Hic agon in honorem Antinoi ab Hadriano institutus, quinquennalis fuit, et Mantineæ in Arcadia celebrabatur, ut scribit Pausanias in Arcadicis[k]. Male ergo Rufinus agonem annuum de suo adjecit. Ejusdem agonis meminit Tertullianus in libro de Corona, cap. 13. ubi agonem illum coronarium fuisse testatur his verbis: *Hoc enim superest, ut Olympius Jupiter et Nemeus Hercules et Misellus Archemorus et Antinous infelix in Christiano coronentur.* VALES. Cf. Epiphan. Ancorat. t. ii. p. 109. ed. Petav. HEIN.

Ib. ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γινόμενος] Hæc est scriptura codicis Regii quem fere ubique secutus est Rob. Stephanus. Verum in tribus aliis Maz. Med. et Fuk. hic locus ita legitur ac distinguitur: οὗ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀντινόειος ἐφ' ἡμῶν γενόμενος. Sed et in Saviliano codice et apud Nicephorum legitur γενόμενος. Quam quidem lectionem secutus videtur Rufinus, sic

[i] Eodem modo dedi ipse cum Cph. et Stroth. HEIN.
[k] Cf. Eus. iv. 22. HEIN.

enim vertit: *cui agones annui celebrantur, qui Antinoii appellantur, nostris adhuc temporibus instituti.* Certe dubitari non potest, quin hæc lectio priori sit anteferenda. Id enim probare vult Eusebius, Hegesippum floruisse temporibus Hadriani. Quod quidem ex eo concludit, quod Hegesippus ipse testatur certamen Antinoium sua ætate institutum fuisse. Quod si legamus cum Regio codice ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γινόμενος, tum argumentatio Eusebii non valebit. Sensus enim hic erit, certamen Antinoium adhuc ætate Hegesippi celebratum fuisse. Ex quo tantum abest ut concludi possit, Hegesippum vixisse imperante Hadriano; quin potius illud consequitur, nonnisi post obitum Hadriani Hegesippum libros suos composuisse. Nam si principatu Hadriani scripsisset Hegesippus, non utique diceret certamen Antinoium adhuc sua ætate actum fuisse, quippe cum Hadrianus sub finem imperii sui agonem illum instituerit. Ceterum has voces ἐφ' ἡμῶν γενόμενος mallem referre ad vocem Ἀντίνοος, et totum hunc locum ita construere ὧν ἐστὶ καὶ Ἀντίνοος, δοῦλος Ἀδριανοῦ Καίσαρος ἐφ' ἡμῶν γενόμενος, οὗ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀντινόειος. Atque ita Hegesippi locum ab Eusebio acceptum esse pro certo habeo. Sane Justinus in Apologetico de hoc ipso Antinoo loquens sic ait: καὶ Ἀντινόου τοῦ νῦν γενομένου. VALES.

Ib. καὶ προφήτας] Hieronymus in catalogo vertit: *civitatemque ex ejus nomine condidit, et prophetas statuit in templo.* Rufinus vero adhuc fusius: *Nam et civitatem condidit ejus nomini Antinoum, et templum ei et sacerdotes instituit ac prophetas.* Sane in Græcis Hegesippi verbis aliquid necessario supplendum est. Nam ἔκτισε προφήτας Græce vix dici potest. Sed meminisse debemus, Hegesippum simplici admodum et plebeio sermone scribere, ut hic etiam testatur Eusebius. Itaque Græca ejus verba interpretatione adjuvanda sunt. Frustra igitur Salmasius emendare aggressus est in notis ad historiam Augustam, pag. 41. Ubi etiam quinam hic dicerentur prophetæ, non intellexit. Sciendum est igitur apud Ægyptios summum sacerdotem qui reliquis sacerdotibus et pastophoris præesset, et qui templorum reditus ceteris distribueret, dictum esse prophetam. Primus enim in templo procedebat cantor, deinde horoscopus, tum scriba seu ἱερογραμματεὺς, postea vestitor seu στολιστής. Deinde novissimus incedebat propheta

hydriam in sinu gestans, ut docet Clemens Alexandrinus in lib. vi. p. 269. Epiphanius in libro iii. adversus Hæreses, *παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις προφῆται καλούμενοι, τῶν ἀδύτων τε καὶ ἱερῶν ἀρχηγοί.* Eorumdem prophetarum meminit Philostratus in libro i. de Vita Apollonii, cap. 1. et Diogenes Laertius in procemio operis sui, Themistius in Oratione 2. et Firmicus in libris Matheseos non semel. Clemens denique in libro i. Recognitionum haud procul ab initio, *Ægyptum,* inquit, *petam, atque ibi hierophantis vel prophetis qui adytis præsunt, amicus efficiar; et pecunia invitatum magum precabor, ut educat mihi animam de infernis.* Fuerunt etiam Idæi Jovis prophetæ in Creta, de quibus Porphyrius in libro iii. de Abstinentia. Porro de prophetis Antinoi ab Hadriano institutis mentio est in veteri inscriptione Græca quam citavit Casaubonus in notis ad Spartianum. Adde hic veterem inscriptionem quam refert Gruterus, pag. 314. ubi Embes quidam Ægyptius *προφήτης* dicitur, id est sacerdos Serapidis. Quare non mirum est si Antinous ab Hadriano consecratus prophetas habuit, quippe cum ab Ægyptiis præcipue coleretur. Cur autem Ægyptii prophetas vocarent antistites suos, hæc mihi causa esse videtur, quod arcana quædam sacra ac mysteria ab iis tradi crederent. Prophetæ enim dicuntur quasi arcanorum interpretes. Habuit certe Antinous sacra sua ac mysteria, quibus initiabantur qui vellent. Testatur id Pausanias in Arcadicis: *καὶ τελετή τε κατὰ ἔτος ἕκαστον, καὶ ἀγών ἐστιν αὐτῷ διὰ ἔτους πέμπτον.* Id est: *Et mysteria quotannis, et quinto quoque anno certamina in honorem ejus celebrantur.* VALES.

8, 4. *ἐν τῷ νῦν γενομένῳ Ἰουδαϊκῷ πολέμῳ*] Male Rufinus eumque secutus Christophorsonus verterunt: *In hoc quod nunc geritur bello Judaico.* In eodem quoque errore versatus est Scaliger, ut ex Eusebianis ejus animadversionibus colligitur, p. 298. Putavit enim *τὸ νῦν* dici non posse nisi de re admodum recenti, ne dicam præsenti. Itaque ex hac Justini voce necessario consequi ait, bellum Judaicum sub extrema Hadriani tempora profligatum fuisse, et Justinum Antonino Pio apologeticum suum obtulisse imperii ejus initio. Verum nihil necesse est ita affirmare. Νῦν enim dici potest de re quæ nostra ætate facta est. Idemque valet ac *τὸ καθ' ἡμᾶς*, quod Eusebius usurpare solet de rebus multo ante gestis. Ut cum

dicit de Porphyrio philosopho ὁ καθ' ἡμᾶς γενόμενος. Denique ipse Justinus in hoc loco quem præ manibus habemus, de Antinoo ita loquitur: Ἀντινόου τοῦ νῦν γενομένου. Id est, de Antinoo qui nostra ætate vixit. Certe Græci νῦν ponunt pro *nuper*. Ita Sophronius qui librum Hieronymi de scriptoribus ecclesiasticis Græce vertit, verba illa Hieronymi cap. 2. *Evangelium quoque quod appellatur secundum Hebræos, et a me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum est*, Græce dixit: ὅπερ ἐπ' ἐμοῦ νῦν εἰς τὴν Ἑλληνικὴν καὶ Ῥωμαϊκὴν γλῶτταν μετεβλήθη. VALES.

8, 6. λαμπροτάτου ἡγουμένου] Hieronymus in Chronico eumque secutus Orosius *legatum* interpretatur et *virum apprime nobilem*. Christophorsonus vero *præfectum illustrissimum* vertit, graviori adhuc errore. Nam cum ex epistola ipsius Hadriani quæ infra subjicitur, constet Serennium Granianum decessorem fuisse Minucii Fundani, ipsum vero Minucium proconsulem Asiæ fuisse diserte testetur Justinus, necessario conficitur Granianum proconsulem Asiæ exstitisse. Ac profecto miror, hunc Hieronymi errorem a Scaligero non esse observatum. At Rufinus æmulus Hieronymi longe profecto rectius. Sic enim vertit: *Susceptis a Serenio Graniano clarissimo viro præside literis*, etc. Præses enim vox generalis est, quæ tam de proconsule quam de legato Cæsaris dici potest. Porro *Serenium* malim scribere cum Rufino et Hieronymo, quam *Serennium*. Quamquam optimus et antiquissimus codex Rufini diserte scriptum habet *Serennio*. VALES. Teste Kortholto in notis ad Justin. Mart. Apol. prim. p. 98. quem citat Readingus ad h. l., alii scribunt *Serenus*, alii *Serenius*, alii *Serinnius*, et rursus nonnulli *Granius*, alii *Grannius*, alii *Granianus*. Idem tamen Kortholtus verum viri nomen fuisse *Serenus Granius* exinde potissimum recte collegit, quod in inscriptione Romana apud Gruter. p. 543. num. 6. legitur: M. GRANIUS SERENUS MIL. COH. V. PR. Præterea monuit l. l. V. D., utut ex Hadriani epistola manifestum sit, Serenum Granium decessorem fuisse Minucii Fundani, illud tamen non diserte Justinum tradere Minucium Asiæ fuisse proconsulem. Cf. Euseb. iv. 26. Λαμπρότατος autem est solenne honoris ac dignitatis vocabulum, *clarissimus, illustrissimus*. Cf. Socrat. H. E. ii. 40. Maxime consules ita vocabantur. Neque ali-

ter ὑπερλαμπρότατος dicebatur. Cf. Du Fresne *Glossar. med. et inf. Græc.* t. i. p. 787. sq. HEIN.

Ib. ἀντιγράψαι Μινουκίῳ] Quæri non immerito potest, cur Hadrianus ipsi Graniano a quo literas acceperat, non responderit, sed epistolam suam miserit ad Minucium Fundanum successorem Graniani. Equidem hanc ejus rei causam fuisse opinor, quod Granianus post literas missas ad imp. Hadrianum aut extremum diem obierat aut ex magistratu decesserat. Proconsules enim annui erant. VALES. Rectius quæri potest, utrum lex illa Hadriani (cf. cap. ix.) æquitate et clementia multum superaverit edictum Trajani, qui quoscumque Christianos religioni suæ nolentes vale dicere capitis supplicio jussit affici. Superasse negat Moshem. *Commentt.* p. 237. sq. at longe graviores profecto sunt rationes Schröckhii *Christl. K. G.* t. ii. p. 373. sq., qui affirmat. cf. Euseb. iv. 26. Præterea illam Hadriani epistolam desumsit Eusebius ex Justini Apolog. i. 66. ubi ea primum Latine legebatur, nunc vero ex interpretatione (Eusebii?) Græce exstat. Rufin. iv. 9. verisimiliter authenticum Hadriani exemplar asservavit, cum dictio Latina non sit Rufini sed cum Hadriani ævo consentiens. Ita recte Danz. p. 125. not. 28. vid. Balduin. *Comm. ad edicta Impp. de Christianis*, p. 72. Beykert. *de edicto Antonini Pii ad commune Asiæ*, p. 8. HEIN.

8, 7. κελευσθὲν] οὐκ ἐκ τοῦ κεκρῖσθαι τοῦτο ὑπὸ Ἀδριανοῦ μᾶλλον Justin. HEIN.

Ib. δικαίαν ἀξιοῦν τὴν προσφώνησιν] In secundo, ut vulgo scribitur, Justini Apologetico, pag. 99. hic locus ita legitur: ἀλλ' ἐκ τοῦ ἐπίστασθαι δίκαια ἀξιοῦν, τὴν προσφώνησιν καὶ ἐξήγησιν πεποιήμεθα. Quam lectionem quidem meliorem puto. VALES.

8, 8. μετειλήφαμεν cum scripserit Eusebius, hic certe locus nescio an doceat, aliquam saltem linguæ Latinæ peritiam nostrum habuisse. Cf. i. 13. (pag. 51.) viii. 13. ταῦτα κατὰ τὴν τῶν Ῥωμαίων φωνὴν, ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν κατὰ τὸ δυνατὸν μεταβληθέντα κ. λ. quem locum bene expedivit Möller. p. 25. sq. qui vero non debebat omittere hunc ipsum satis insignem nostrum. HEIN.

9, 1. Οὐκ ἀξιώσεσιν] Intelligit acclamationes illas, quæ a populo fieri solebant in theatris: *Christianos ad leonem*, ut tes-

tatur Tertullianus. Interdumque eveniebat, ut proconsules et præsides tumultuosis hujusmodi acclamationibus, licet inviti, cedere cogerentur. Quare merito imperator Hadrianus monet Fundanum proconsulem, ne hujusmodi postulationibus ad persecutionem ac cædes Christianorum sese adduci patiatur. Porro vetus hæc fuit consuetudo in imperio Romano, ut plebs tum in urbe tum in provinciis, quoties ad publica spectacula convenerat, quidquid libitum erat, vel a præside, vel ab imperatore junctis vocibus postularet. Cujus rei sexcenta occurrunt exempla apud Augustæ historiæ scriptores. VALES.

9, 2. οὕτως convenit h. l. nostro: *dann, unter diesen Umständen, in dem Falle*, et Latinorum: *tum vero*. Similiter οὕτως sæpius post participium ponitur, ut ad præcedentia iterum respici jubeat, neque vero abundet, quod nonnullis visum est. Vid. Joh. iv. 6. Ἰησοῦς κεκοπιακὼς—οὕτως ἐκαθέζετο, i. e. *so, in dem Zustande der Ermattung*. Cf. Paulus *Commentar über das N. T.* tom. iv. p. 234. Schol. ad Soph. Aj. v. 1198. Xen. Cyr. v. 5. 13. Œcon. i. 18. Plat. Phæd. 5. Καθεζόμενος οὕτω διελέγετο. ibid. 12. Joseph. Antiqq. v. 1. 26. viii. 11. 1. Eus. H. E. i. 13. καὶ μετὰ τὸ πληρῶσαι οὕτως κ. λ. cf. Matthiæ *ausf. griech. Gramm.* p. 1235. Æl. xx. 11. xxvii. 17. et Matth. v. 20. ubi fateor potiorem mihi videri lectionem librorum nonnullorum et patrum οὕτως pro vulgata οὗτος post verba ὃς δ' ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, unde sensus hic existit: qui vero fecerit præcepta illa et tanquam facienda docuerit, *ita*, i. e. tanquam faciens et docens magnus dicetur, non propter solam docendi provinciam, qua fungitur, vel alias rationes externas. Certe orationis cursus non impeditur illo οὕτως neque ad præcedens οὕτω effictum videtur, et fortasse ipsum οὕτως cum sequatur consonans, mutandum est in οὕτω, ut vera lectio existat. Quanquam constat vel in N. T. scriptis satis fluctuare libros in formis οὕτω et οὕτως. Vid. Winer. *neutest. Grammatik*, pag. 30. cf. Euseb. H. E. iv. 11. iv. 17. not. Reitz. *ad Lucian. de gymnas.* c. 16. Weiske *ad Longin.* xxi. 2. pag. 347. sq. Matthiæ *ausführliche Grammatik*, p. 101. 1. not. 1. Cicer. de Offic. ii. 5. *Collectis cæteris causis——deinde comparat*, ubi *deinde* temere delendum videbatur Facciolato. Liv. ii. 29. Eo repulso *tum vero* indignum facinus esse clamitantes patres, de-

volant de tribunali. Cic. Verr. ii. 10. Ita prope xl. diebus interpositis *tum denique*—arbitrantur. Colum. xi. 3. peracta bruma, *tum demum* stercus injicietur. Cf. Horatius Tursellinus *de particull.* p. 1035. edit. Schwartz. ii. Sall. Cat. 61. Liv. xxiv. 4. extr. HEIN.

10, 1. πρῶτον—ἔτος] Vid. Pagi *Crit.* t. i. p. 136. ad a. C. 138. et de Telesphoro Pearson. *de annis primor. Rom. episc. Diss.* ii. c. 7. p. 234. laudante Readingo ad h. l. HEIN.

10, 2. Οὐαλεντῖνον] Vid. I. F. Buddeus *de hæresi Valentiniana* in Ejus introductione ad historiam philos. Ebræorum, ed. ii. Halæ 1720. 8. p. 563—736. cf. Moshem. *Commentt.* p. 373. sqq. Cramer. *Fortsetzung* t. ii. p. 210. sqq. Münter. *Odæ Gnosticæ Hebraice et Latine*, Havniæ 1812. HEIN.

Ib. Κέρδωνα] Vid. Cramer. *Fortsetzung des Bossuet*, t. ii. p. 228. sq. HEIN.

11, 1. ὃς ἦν ἔνατος ἐπίσκοπος] Locus Irenæi exstat in lib. iii. cap. 4. ubi vetus interpres legisse videtur ὄγδοος. Quæ lectio magis convenit Irenæo, ut patet ex cap. 3. ejusdem libri, ubi Romanos pontifices enumerans Irenæus, octavum ab apostolis Hyginum recenset. Hic tamen error antiquissimus est. Nam et in lib. i. Irenæi, cap. 28. ἔνατος scribitur, et apud Epiphanium in hæresi Cerdonianorum, et in epistola Cypriani ad Pompeium. Qui locus Cypriani quia ex Irenæo versus videtur, non est hic omittendus. *Cujus magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit.* VALES. Stephan. nostro loco scripsit ἔννατος pro ἔνατος. Sed supra etiam iii. 8. p. 208. ἐνάτην ὥραν legendum, ubi in mea editione typothetæ errore scriptum est ἐννάτην, quod h. l. observandum puto. Quamvis enim dixerit Eustathius ad Hom. Iliad. ii. 295. ἔνατος—οἱ μὲν λόγιοι δι' ἑνὸς ν' γράφουσιν ὡς ἀπὸ τοῦ νέατος, οἱ δὲ χύδην βάζοντες διπλασιάζουσι, tamen codd. auctoritas certe H. E. iii. 8. in Josephi loco ab Eusebio inserto ἐνάτην postulat. Alia rei ratio est apud Matth. xx. 5., ubi lectio ἐνάτην certe haud majori codd. auctoritate est munita, quam altera et quidem recepta ἐννάτην. Ita restringenda puto esse ea, quæ ad h. l. monuit Paulus *Commentar über das N. T.* t. ii. p. 825. sq. cf. quæ monui de varietate lectionis πανδοκεῖον et πανδοχεῖον ad Euseb. H. E. vii. 22. HEIN.

Ib. ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος] Notanda sunt inprimis

hæc Irenæi verba de Cerdone hæretico, quem post confessionem hæreseos in ecclesiam admissum fuisse dicit ab Hygino Romano pontifice, ac deinceps in urbe Roma mansisse, nunc occulte doctrinam suam spargentem, nunc rursus confitentem errorem suum, nunc convictum pravæ hæreticæque doctrinæ, eoque nomine ab ecclesia segregatum. Ex quibus colligere licet, in hæreseos crimine secundæ confessioni locum fuisse, et hæreticos qui post confessionem et abdicationem erroris sui ad pristinum dogma iterum rediissent, quos nunc *relapsos* vocamus, tunc temporis ad secundam confessionem et pœnitentiam admissos fuisse. Tandem vero Cerdo, convictus quod post toties iteratam exomologesim pestiferum virus erroris sui occulte spargeret, penitus se ab ecclesia removit. Id enim sonant Irenæi verba, quæ Rufinus et Christophorsonus perperam meo judicio interpretati sunt. Neque enim Cerdonem ex ecclesia ejectum fuisse dicit Irenæus, sed ipsum se ab ecclesia penitus segregasse. Ex quo apparet, Cerdonem suo ipsius judicio condemnatum, prævenisse ecclesiæ sententiam. VALES.

11, 3. Μαρκίων] Vid. Aug. Hahn. *diss. de gnosi Marcionis antinomi*, Regiom. 1820. 21. Ejusd. Antitheses Marcionis Gnostici liber deperditus, nunc quoad ejus fieri potuit, restitutus, Regiom. 1823. Ejusd. *das Evangelium Marcions in seiner ursprünglichen Gestalt u. s. w.* ibid. cf. Neander. *genetische Entwickelung*, p. 276. sqq. HEIN.

Ib. βλασφημῶν] Religio fuit Christophorsono, vocem hanc quam ecclesiastici scriptores jamdudum Latinam fecerunt, usurpare. Vertit itaque *convicia jactans* male omnino, melius vertisset: *impie locutus.* Sic Domitianus apud Suetonium dicit: *impie locutus est Parmularius.* Nos tamen Rufinum secuti vertimus *blasphemare.* Neque enim refugienda sunt hæc verba, quæ tot sæculorum usus consecravit. Alioqui ecclesiæ et apostolorum et episcopi et catholici vitanda erunt vocabula, et longa verborum serie obscuranda erit oratio, ne dictionis unius prorsus necessariæ asperitate lædatur. Cyprianus certe in dicta ad Pompeium epistola, cum hunc Irenæi locum suppresso autoris nomine describeret, verbo blasphemare uti non recusavit. Sic enim ait: *Quem Marcion secutus, additis ad crimen augmentis, impudentius ceteris et*

abruptius in Deum patrem creatorem blasphemare instituit. VALES.

Ib. βυθὸν Val. vertit *voraginem*, Stroth. *Abgrund.* Alludere autem simul videtur Eusebius ad eum, e quo infinita manavit ex Valentinianorum opinione æonum series, βυθὸν s. προπατόρα s. προαρχήν. HEIN.

Ib. εὐτονώτατα διαπλώσας] Nicephorus in lib. iv. cap. 3. habet διαπλεύσας, quod non probo. Scio quidem a poetis διαπλώσας dici pro διαπλεύσας. Sed hic non videtur convenire. Quare malui vertere hoc loco *explicare;* eo sensu quo Eusebius in posterioribus libris dicit ἥπλωτο τὰ γράμματα, proposita sunt edicta. VALES. Διαπλώσας esse veram lectionem non poterit dubitari. Est quidem διαπλοῦν vox veteribus prorsus incognita, sed similiter patres usurpant ἐφαπλοῦν (vid. Suicer. s. h. v.) quod ipsum legitur sane apud antiquos neque tamen impropria illa *explicandi* significatione, ut videtur. cf. Passow. s. ἐφαπλόω. Εὐτονώτατα vero non recte vertit Valesius: *uberrime*, recte Stroth. *mit vielem Nachdruck.* Ita Chrysost. tom. vi. p. 277. A. εἰ καὶ μὴ πῦρ βαστάζω, ἀλλ' ἔστι μοι διδασκαλία πυρὸς θερμοτέρα, εὐτονώτερον δυναμένη καίειν, i. e. *vehementius.* Metaphora autem petita ab arcu qui intenditur. cf. Matthæi Chrysost. Homm. vol. ii. p. 5. not. 3. καὶ ὁ κυβερνήτης δὲ, ὅταν αὐτῷ τὸν τόνον τῆς σαρκὸς χαλάσῃ τὸ γῆρας κ. λ. et paulo ante ibid. γῆρας τόνον σφριγῶντα (vel potius σφριγῶν) ubi temere Matthæi τὸν νοῦν conjecit. Chrysost. t. ii. p. 742. B. ἀτονία γήρως. HEIN.

11, 5. ἀλήθειαν] ἀλήθεια æon sexus fœminei pertinens ad primam Tetradem primi æonum ordinis s. *Ogdoadis.* Cf. Moshem. *Commentt.* p. 374. Gieseler. *Lehrb. d. K. G.* p. 123. sq. HEIN.

Ib. Ἰησοῦν ex sententia Valentinianorum quorum asseclæ erat Marcus et Marcosii, nobilissimus est æon et ab omnibus prioribus genitus. Itaque τὸν κατελθόντα videtur dicere Irenæus adv. Hær. i. 21. cujus verba refert Eusebius, æonem ultimum ante Jesum. Ceterum apud Irenæum l. l. et Epiphan. Hær. xxxiv. §. 20. coll. Theodoret. hær. fab. i. 9. plenior legitur hæreticorum illorum formula baptismatis. Post Ἰησοῦν enim adduntur verba hæc: εἰς ἕνωσιν καὶ ἀπολύ-

τρωσιν καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων. Sed de variis baptizandi hominum illorum rationibus et ut haud male antea dixit Eusebius, ἀτελέστοῖς τελεταῖς et μυσαραῖς μυσταγωγίαις videndi maxime sunt et conferendi Rhenferd. *dissert. de redemptione Marcosiorum*, p. 194. sqq. Münter. *Alterthümer der Gnostiker*, p. 120—131. Neander. *Entwickelung der gnost. Systeme*, p. 180—183. Augusti *Denkwürdigkeiten*, tom. vii. p. 368. sqq. HEIN.

Ib. μετὰ τέταρτον τῆς ἐπισκοπῆς ἔτος] Rufinus legisse videtur κατὰ τέταρτον. Sic enim vertit: *Quarto autem episcopatus sui anno cum decessisset Hyginus, Romanæ ecclesiæ sacerdotium Pius suscepit.* Porro nomen Pii qui successit Hygino, in codicibus nostris Maz. Med. et Fuk. non circumflectitur, sed acuitur in prima syllaba. Idque rectius puto. VALES. Ἑβραϊκὰ ὀνόματα, quibus quasi quibusdam terriculamentis initiandos καταπλήττειν s. μορμολύττειν, ut veteres dicunt, (cf. Gesner. *ad Claudian.* xxxi. 111. Hemsterh. *ad Poll.* x. 167. p. 1353. Valcken. *ad Theocrit. Adon.* p. 346. Ruhnken. *ad Tim.* p. 180—182.) volebant (cf. supra, cap. 7.) Marcosii, Græce transcripta ab Irenæo et Epiphanio l. l. commemorantur hæc: Βασεμὰ, χαμοσσὴ, βααιανορὰ, μυσταδία, ῥουαδὰ, κουστὰ, βαβοφὸρ, καλαχθεῖ. Ex sententia autem Rhenferdi l. l. sunt illa ὀνόματα non Hebraica, sed Syriaca eademque Epiphanii et Irenæi ac librariorum culpa corrupta. Ipse illa ita vertit: *In deinen Namen, gnädigster Vater, ein Leben des Lichts ——die Salbung des heiligen Geistes und in der Erlösung der Engel.* Contra apud Epiphanium et Irenæum paulo diversa illorum ἑρμήνεια hæc est: ὑπὲρ πᾶσαν δύναμιν τοῦ πατρὸς ἐπικαλοῦμαι φῶς ὀνομαζόμενον, τὸ πνεῦμα ἀγαθὸν, καὶ ζωὴ, ὅτι ἐν σώματι ἐβασίλευσας. Magis probat interpretationem Rhenferdi Münter. l. l. p. 127. cf. Augusti l. l. p. 370. sqq. p. 371.* Quidquid autem sit, hoc certe patet, rauco maxime et horrido illarum vocum sono territare voluisse Marcosios eodem modo, quo nihil plane suberat ei, quo veterum Græcorum mulieres pueros solebant terrere, spectro, Μορμώ. Præter scriptores antea laudatos, cf. Passow. s. h. v. Plat. Crit. 6. οὐδ᾽ ἂν ἡ τῶν πολλῶν δύναμις ὥσπερ παῖδας ἡμᾶς μορμολύττηται, Phæd. c. 24. Aristoph. Thesmoph. v. 424. Equit. v. 690. Ceterum de Marcosiis, cf. Itti-

gius *de Hæresiarchis primi et secundi seculi*, p. 129. sq. Simili de causa Basilides in obscuris et horridis vocibus comminiscendis et effutiendis mirifice sibi placuit. Vid. Bruckerus in *Dissert. de Caulacau Basilidianorum* inserta Musei Helvetici, tom. vi. p. 241. sq. "Alterum, quod præmonendus est lector, in eo versatur, *Basilidem more Ægyptiorum,* Philosophiam suam de divinis deque *mundo et malo obscuris vocibus et ænigmatibus texisse, ut et admirationem novæ et inauditæ rei consequeretur, et se Orientali atque Ægyptiacæ methodo attemperaret, quæ symbolis, figuris, numinibus ignotis cuncta recondit.* (Ita monstra illa verborum Barbeloth, Ialdabaoth, Calaucau, Prunicus, Abraxas in quæ bene quadret Aristophaneum illud φλαττοθραττοφλάττοθρατ, usurpavit Basilides.) Nec procul a scopo Epiphanius ferit, contendens, *his vocum terriculis commentitiisque ac barbaris appellationibus eum imperitis hominibus imponere conari* (Epiphan. Hæres. xxv. t. i. pag. 78. sq. Opp.). Idem visum Eusebio iv. 7. qui Basilidem προσχήματι ἀπορρητοτέρων, δυσσεβοῦς αἱρέσεως—μυθοποιΐας——*ideo conquestus esse* videtur, quod ejusmodi vocum reconditarum et ad arcanam methodum referendarum artificio fabulas suas theogonicas texerit." Adde Schurzfleisch. *dissert. de Caulacau*, Vitemberg. 1706. Nicolai *diss. de Salvatore Basilidis Calaucau*, Lips. 1750. HEIN.

11, 6. Ὑγίνου τελευτήσαντος, vid. Pearson. *de annis episc. Rom. diss.* ii. c. 12. p. 270. 272. Pagi. *Crit.* t. i. p. 152. 160. De Eumene autem Dodwell. *additam. ad dissert. Pears. de succ.* p. 60. citante Readingo ad h. l. HEIN.

11, 7. ὃς δὴ καὶ γράψας κατὰ Μαρκίωνος] Memoriæ vitio hic lapsus videtur Eusebius noster, qui Justini verba quæ infra citantur, desumpta esse putavit ex ejus libro adversus Marcionem. Atqui desumpta sunt ex secundo Justini apologetico, pag. 70. editionis Parisiensis. Nicephorus in lib. iv. cap. 6. ubi omnes Justini libros recenset, mentionem facit libri contra Marcionem, ex eoque citat hunc locum quem hic adducit Eusebius; sed animadvertere debuerat Nicephorus, Eusebium memoriæ vitio lapsum fuisse. Neque enim verum est, quod Langus interpres Nicephori excogitavit, Justinum eadem verba usurpasse in duobus libris, id est, in apologetico et in

libro contra Marcionem. Eusebius quidem infra, cap. 17., ubi omnes Justini libros enumerat, illius contra Marcionem libri mentionem facit. Potest tamen excusari Eusebius. Id enim solum dicit, Justinum scripsisse librum contra Marcionem, ejusque mentionem facere, tanquam hominis qui adhuc vitam agebat, dum ipse scriberet. Atque hæc duo probat Eusebius ex Justini loco qui est in apologetico ii. Ita prorsus explicandus est hic Eusebii locus, qui in eo solum peccavit, quod obscurius locutus est. Unde causam erroris præbuit Nicephoro. VALES.

11, 8. *πατέρα εἶναι τοῦ Χριστοῦ*] Hæc verba desunt in vulgatis Justini codicibus et superflua videntur. Duos enim Marcion inducebat deos, alterum opificem, a quo hic mundus fabricatus fuisset, alterum majorem, qui majora ac præstantiora condidisset, et hunc quidem confiteri nos debere, illum autem negandum esse aiebat. Hic est verborum Justini sensus, cui consentit Epiphanius in hæresi Marcionitarum, et Theodoretus in lib. i. hæreticarum fabularum. Itaque scribendum est apud Eusebium, *ἄλλον δέ τινα ὡς ὄντα μείζονα, τὰ μείζονα παρὰ τούτων*, etc. ut legitur in Justino. Quippe Marcion summum illum Deum patrem Christi esse dicebat, Christum vero e cœlo descendisse, ut mundi hujus opificem, quem Judæorum Deum appellabat Marcion, coargueret, ut scribit Epiphanius. VALES.

11, 9. *καὶ οὐ κοινῶν—φιλοσόφοις*] Indicat his Justinus, illos Marcionis et Marcionitarum sectatores quamvis sese Christianos appellari velint, tamen propter magnam opinionum, quas singuli eorum foverint, discrepantiam non magis Christianorum nomine esse dignos, quam philosophi recte dici potuerint ii, qui nihil habuerint certum, nihil stabile, nihil omnibus commune. Patet autem, h. l. tectius certe illis hæreticis negare Justinum appellationem Christianorum propter suam magnam sentiendi cogitandique diversitatem, de qua tamen *hoc loco* sola, neque vero de dogmatum illorum impietate cogitandum esse probant ipsa verba *ὃν τρόπον καὶ οὐ κοινῶν κ. λ.* Sed ut philosophos ipse Justinus impugnat verbis *καὶ οὐ κοινῶν κ. λ.* apertius, ita nemo ex patribus in conclusiunculis quibusdam contortis ex hac argumentorum quasi sede ductis magis sese jactavit quam Lactantius, v. c. Instit. div. iii. 4. 3. sqq. *In mul-*

tas sectas philosophia divisa est, et omnes varia sentiunt. In qua ponimus veritatem? in omnibus certe non potest. Designemus quamlibet. Nempe in ceteris omnibus sapientia non erit. Transeamus ad singulas. Eodem modo, quidquid uni dabimus, ceteris auferemus. Unaquæque enim secta omnes alias evertit, ut se suaque confirmet, nec ulli alteri sapere concedit, ne se desipere fateatur. Sed sicut alias tollit, sic ipsa quoque ab aliis tollitur omnibus. Nihilominus enim philosophi sunt, qui eam stultitiæ accusant. Qamcumque laudaveris, veramque dixeris, a philosophis vituperatur, ut falsa. Credemusne igitur uni sese suamque doctrinam laudanti, an multis unius alterius ignorantiam culpantibus? rectius sit necesse est, quod plurimi sentiunt, quam quod unus.——Cum igitur omnia incerta sint, aut omnibus credendum est, aut nemini. Si nemini; sapientes ergo non sunt, quia singuli sapientes esse se putant. Si omnibus; æque non sunt sapientes, quia singuli ab omnibus esse negantur sapientes. Ita conclusit, ita sane, ut scribit Hieronymus epist. xiii. ad Paulinum, *facile aliena destruxit* ille, qui vocatur ab eodem Hieronymo l. l. *quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ.* Et hoc quidem recte. Sed quo tempore plane deerunt, qui eodem similive modo quo Lactantius philosophiæ, ita summam rationis humanæ vanitatem videbuntur non solum sibi, sed aliis ostendere! Longe rectius de ipsis philosophis judicavit Constantinus M. Vid. Eus. V. C. ii. 71. Cf. Neander. *Denkwürdigkeiten*, tom. ii. p. 33. sq. ed. ii. HEIN.

12, in tit. Ἰουστίνου ἀπολογίας] Primam Justini apologiam Baronius et Valesius cum aliis a. C. 140. vel a. 13. Antonini Pii repræsentatam, Scaligerus contra in *animadvers. Eusebianis*, p. 298. Petavius in *animadv. Epiph. hær.* 46. et Pagi *Crit.* t. i. p. 148. sub Antonini Pii initium editam volunt, quod ostendat maxime apologiæ titulus et consensus Eusebii in Chron. ad annum Abrahami 2157. qui Calend. Octob. 140. inchoatur. Monuit hoc Reading. ad h. l. HEIN.

12, 1. Λουκίῳ φιλοσόφου Καίσαρος] In quatuor nostris codicibus Maz. Med. Fuk. et Saviliano scribitur φιλοσόφῳ, prout etiam in vulgatis Justini editionibus habetur. Sed nihilominus retinenda est altera lectio, quam confirmat Rufinus et Nicephorus. Nam Rufini codices manuscripti hunc locum ita exhibent: *et Lucio philosophi Cæsaris proprio filio.* Justinus quo-

que in priore apologia hanc lectionem confirmat, cum ait: *οὐ πρέποντα εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφου καίσαρος παιδὶ*, qui locus, ut obiter moneam, mancus videtur et mutilus, nisi suppleatur hoc modo: *αὐτοκράτορι, οὐδὲ καίσαρι φιλοσόφῳ, οὐδὲ φιλοσόφου*, etc. VALES. Valesii lectionem exhibet quoque Reg. Steph. Stroth. In vulgatis tamen Justini editionibus scribitur *φιλοσόφῳ*. Præterea in titulo legationis Athenagoræ pro Christianis tam Marcus Aurelius quam Lucius postquam regnavit, vocantur philosophi. Inde concludit Pagi *Crit.* t. i. p. 148., philosophi nomen quod in utraque Justini apologia legitur, ad Lucium Ælium patrem, non ad Lucium filium ex Justini mente esse referendum et *Λουκίῳ φιλοσόφῳ* legendum, monente ad h. l. Read. HEIN.

Ib. *Καίσαρος φύσει υἱῷ*] Lucius naturalis erat filius Ælii Veri Cæsaris quem Hadrianus adoptaverat. Quo mortuo, cum Hadrianus Antoninum Pium adoptaret, eam legem adoptioni imposuit, ut Pius Marcum et Lucium sibi filios adoptaret, ut scribunt Spartianus et Capitolinus. Alii tamen Lucium a Marco adoptatum esse dicunt, ut refert Capitolinus in Marci vita. Quare in his Justini verbis Cæsarem philosophum non alium intelligere possumus quam Ælium Verum, eum qui ab Hadriano est adoptatus. Ait enim Justinus Lucium natura quidem fuisse filium Cæsaris philosophi, adoptivum vero Antonini Pii. Atqui constat Lucium Ælii Veri naturalem ac proprium filium fuisse. Igitur philosophi Cæsaris nomine, non alius intelligi potest quam Ælius Verus. Nam si eo nomine Marcum intelligamus, tum dicendum erit falli Justinum, qui Lucium naturalem Marci filium fuisse crediderit, cum tamen Lucius non natura, sed adoptione tantum Marci filius esse potuerit. Quis autem credat, tantum errorem a Justino admitti potuisse? Satius est ergo, in hoc Justini loco philosophi Cæsaris nomine Ælium Verum intelligere. Verum duo sunt, quæ huic interpretationi videntur repugnare. Primum est, quod cognomen philosophi nullatenus convenire potest Ælio Vero. Fuit quidem Ælius Verus is qui ab Hadriano est adoptatus, eruditus in literis, et poeticæ in primis studiosus, ut in ejus vita tradit Capitolinus, sed philosophiæ deditum fuisse nemo veterum prodidit. Moribus certe fuit longe alienis a studio ac professione philosophiæ. Deinde si Justinus

Ælium Verum hic designare voluisset, cur ejus nomen reticuisset? Neque enim philosophi Cæsaris appellatio sufficere videtur ad designandum Ælium Verum, cum præsertim hæc appellatio communis sit etiam Marco. Ex his difficultatibus facile nos expedire possumus, si hunc Justini locum ita legamus, prout exhibent scripti codices *καὶ Λουκίῳ φιλοσόφῳ, Καίσαρος φύσει υἱῷ*, quam quidem lectionem probat etiam Casaubonus in notis ad Capitolinum in vita Marci. Nos vero eam lectionem paulo ante improbavimus. Nec sane videtur ferri posse hæc lectio, si rem attentius expendamus. Sequitur enim apud Justinum *ἐραστῇ παιδείας*, id est, *literarum studioso.* Ubi vides Marco et Lucio sua cuique adjungi epitheta, et Marcum quidem philosophum nominari, Lucium vero studiosum literarum. VALES. Falli Valesium philosophi nomen ad studia litterarum neque ad genus vivendi referentem, monet idem Pagi l. l. HEIN.

Ib. *Ἰουστῖνος Πρίσκου τοῦ Βακχείου*] Hieronymus in catalogo patrem Justini Priscum, Bacchium dictum esse scribit, quem secutus est Christophorsonus. Verum Bacchius avus fuit Justini. Itaque addit Justinus *τῶν ἀπὸ Φλαβίας*, quod non nisi de pluribus dici potest, de patre nimirum et avo. VALES.

Ib. *ἀπὸ Φλαυίας τῆς νέας πόλεως*] Inepte Christophorsonus vertit: ex gente Flavia. Flavia dicta est Neapolis civitas Palæstinæ, eo quod colonia esset a Flavio Vespasiano deducta. Antea Sichem dicebatur. Plinius tamen coloniam eam fuisse non dicit. Postea Severus imp. jus civitatis ei ademit, eo quod Nigri partes fovisset pertinacius. Spartianus in Severo: *Neapolitanis Palæstinensibus jus civitatis tulit*, id est, in vici formam redegit. Porro Methodius in libro de resurrectione hoc Justinum ornat elogio: *Ἰουστῖνος δὲ ὁ Νεαπολίτης, ἀνὴρ οὔτε τῷ χρόνῳ πόῤῥω ὢν τῶν ἀποστόλων, οὔτε τῇ ἀρετῇ.* VALES.

Ib. *ἔντευξιν*] *Postulatum* vertit Rufinus. *Ἐντυγχάνειν* Græci dicunt adire imperatorem, et preces ad eum deferre, quod plerumque fiebat scripto. Artemidorus, v. 17. *ἐντυχὼν τῷ βασιλεῖ ἀφείθη τῆς ἀγγαρείας*, id est, *libello imperatori oblato, angariæ onere liberatus est.* Exstat hujusmodi libellus precum Marcellini presbyteri, oblatus Theodosio Augusto, quem nuper edidit Jac. Sirmondus. Qui sic incipit: *Deprecamur man-*

suetudinem vestram, etc. Sed et in 2. tomo operum Athanasii, referuntur ejusmodi preces Arianorum oblatæ Joviano Augusto adversus Athanasium, quæ in Græco ἐντυχίαι dicuntur; male interpres *colloquium* vertit. Incipiunt autem prorsus eodem modo quo libellus precum Marcellini: δεόμεθά σου τοῦ κράτους. VALES.

13, in tit. Mirum in modum discrepat hujus epistolæ exemplum quod exstat apud Justinum, ab hoc nostro. Vid. Stroth. edit. Græca ad h. l. p. 202. sqq. *Uebersetzung*, t. i. p. 250. not. 4. Fortasse tamen verum est, quod scribit Kestner. *de Euseb.* p. 75. §. 65. "*Majorem autem fiduciam ponere licet in versione epistolæ, H. E.* iv. 13. *exhibitæ. Nam cum in Justini apologia easdem litteras modo valde discrepanti Græce versas legamus, Eusebius igitur inter duas versiones alteram eligere poterat, neque certe pro judicii sui acumine, tam sæpe nobis spectato, deteriorem elegit.*" Fr. Balduinus in *Comm. ad Edicta Impp. de Christianis*, p. 88. HEIN.

13, 1. Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνῖνος] Errat Eusebius, qui Antonino Pio hanc epistolam tribuit, cum sit divi Marci, ut ex inscriptione ipsa apparet, scripta anno 1. ejus imperii, cum ipse esset tertium consul. Vide fastos Onuphrii ad annum urbis 914. Hunc Eusebii errorem vidit quidem auctor Chronici Alexandrini, sed illam epistolam imp. Marci male assignavit anno ejus 10. Eusebii errorem secutus est Joannes Zonaras. Scribit enim Justinum philosophum apologiam pro Christianis Antonino Pio obtulisse, qua permotus imp. edictum ad commune Asiæ scripsit, ne ullus Christianorum religionis causa puniretur, sed si quis eo nomine delatus esset, accusatore multato reus dimitteretur. Scio quidem P. Halloixium in notationibus ad vitam Justini cap. 5. contendere, hanc epistolam esse Antonini Pii. Sed argumenta quæ ad hujus rei probationem affert, parum firma mihi videntur. Nam quod ex Melitonis apologetico adducit, prorsus evertit ejus sententiam. Quippe Melito omnia illa rescripta Antonini Pii pro Christianis recenset, epistolam scilicet ad Larissæos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses et ad omnes Græcos. Quod si epistola ad commune Asiæ esset Antonini Pii, eam certe non omissurus fuisset Melito, utpote Asianus. Quomodo enim eam ignorare potuisset, quæ publice proposita fuerat Ephesi? Cur vero alias

quidem Pii epistolas, ad Macedones et ad Achivos scriptas commemorasset, hujus ad suos populares scriptæ ne mentionem quidem fecisset? VALES. De hujus edicti vel αὐθεντίᾳ vel νοθείᾳ cum in varias sententias abierint jam Pagi *Crit.* t. i. p. 150. ad a. C. 152., Grabius in *not. ad Justin. Apol.* i. p. 136. (cf. Pearson. *vind. Ign.* P. ii. p. 161.) quos laudat ad h. l. Reading., ne nunc quidem certo constat. Pro eo scripsit I. G. Hegelmaier. in *Comment. in edictum Imp. Antonini Pii pro Christianis, quod Eusebius H. E.* iv. 13. *asservavit*, Tubing. 1777. 4. et nuper A. Kestner. in libro: *die Agape oder der geheime Weltbund der Christen*, p. 399. sqq. contra Joh. Ph. Beykertus in *Comm. de edicto Antonini Pii pro Christianis ad Commune Asiæ*, Argent. 1781. 4. Iste, p. 23. "*Legerat,* inquit, *Eusebius in Melitone Antoninum Pium scripsisse ad civitates, ne contra Christianos tumultus excitarent, dein vero*—— *usurpat per errorem pro deperdita hac Antonini epistola nostram, quam, si inscriptioni quam præ se fert, fides aliqua habenda, necessario Marci esse debuit. Non negamus, eam esse recensionis Eusebianæ seriem, ut eidem Imperatori, cui Justini apologiam nuncupatam esse ait, qui Pius est, Eusebius nostrum quoque edictum adscribat, dicimus vero, Eusebium, cum ad Melitonem simul provocet et Melito in sua conscriptione de Christianis recensione præclaram hanc Antonini epistolam ne verbo quidem attigerit, cum cæteroquin titulus rescripti eam refellat, hæc non ex Melitone hausisse, sed aliunde repetisse, oscitanter totam hanc rerum gestarum seriem enarrasse, et hic, quid enim multa, uti in aliis historiæ suæ locis, humani aliquid passum esse.*" Cf. Eichstadtius in *Exercitationum Antoniniarum quarta et quinta*, vol. i. Annalium Acad. Jen. insertarum. Niceph. H. E. iii. 28. Moshem. *Commentt.* p. 240. Schröckh. *christl. K. G.* t. iii. p. 88. 115. Stroth. *Uebers.* t. i. p. 250. not. 4. Tzschirner. *Græci et Romani scriptores cur rerum Christianarum raro meminerint Comment.* ii. p. 6. sq. HEIN.

Ib. τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας] Ita Cicero *commune Milyadum* et *commune totius Siciliæ* in Verrinis[1] dixit. Porro cum κοινὸν Ἀσίας dicitur, subaudiendum est συνέδριον. Habebant enim Asiani commune concilium totius gentis, quo singulæ civitates legatos seu synedros mittebant, ut docet Aristides in 4. Orat.

[1] ii. 46. 63. Xen. Cyr. v. 5. 6. τὸ τῶν Περσῶν κοινόν, cf. Chrysost. de sacerdot. i. 3. 27. ed. Tauchn. παντὶ τῷ κοινῷ τῆς ἐκκλησίας. HEIN.

sacrarum. Et Aristides quidem illic scribit, hoc concilium in superiore Phrygia convenisse, id est, Apameæ vel Synnadis. Videtur tamen etiam in aliis civitatibus congregatum fuisse. Erant et in aliis provinciis populi Rom. hujusmodi concilia, ut concilium provinciæ Africæ, concilium Byzacenorum, concilium Tripolitanorum, de quibus notavi ad lib. xxviii. Amm. Marcellini, pag. 373. VALES.

Ib. *βεβαιοῦντες τὴν γνώμην αὐτῶν ἥνπερ ἔχουσιν*] Nicephorus post hæc verba addit *περὶ ἡμῶν*. Quam scripturam confirmat Rufini interpretatio. *Sed vos*, inquit, *confirmatis eorum quos persequimini sententiam, quam de vobis habent, dicentes vos impios esse.* VALES. Ex additamento illo Nicephori non minus quam ex interpretatione Rufini sequitur, utrumque verba *ὡς ἀθέων κατηγοροῦντες* retulisse ad Christianos qui *ἀθέους* vocaverint gentiles. Eodem modo h. l. accepit Musculus, qui ita vertit: *quos in perturbationem conjicitis, ac sententiam eorum, quam de vobis habent, confirmatis, qua vos tanquam impios accusant.* Idem censuit etiam Stroth., qui ita reddidit: *Ihr bestarkt vielmehr diese Leute in ihrer Meinung, die sie von euch haben, dass ihr Atheisten seyd.* Ac sane prima specie illa explicatio haud improbanda videatur, siquidem satis constat, crimen atheismi non minus Christianos in gentiles quam gentiles in Christianos conjicere esse solitos. Vid. loca, quæ ex Justino M., Tatiano, Athenagora, Clemente Alexandrino hanc in rem laudat Lange in commentatione: *expositio argumentorum, quibus patres apologetici religionem Christianam a culpa atheismi ei objecta defenderunt*, p. 129. sq., quæ exstat in: *Zweite Denkschrift der hist. theol. Gesellschaft in Leipzig*, p. 120. sqq. cf. Tzschirner. *Geschichte der Apologetik*, t. i. p. 189. sqq. At enimvero recte contrariam sententiam, si quid video, secuti sunt Christophorsonus ac Valesius, ille cum verterit: *ac quibus hominibus jam ipsi gravem exhibetis molestiam, et tanquam impios atque a deorum cultu aversos insimulatis, eorum plane quam habent magnopere confirmatis religionem*, hic cum interpretaretur: *qui eorum adversus quos tumultuamini, sententiam ac propositum amplius confirmatis, dum eos accusatis tanquam impios.* Ut autem ita statuam, suadent tum verba præcedentia, ubi imperator scribit, ne quis Christianos punire nimium studeat, quos dii ipsi sint ulturi, tum quod apud Justinum legitur: *οἷς ταραχὴν ὑμεῖς ἐμ-*

βάλλετε, καὶ τὴν γνώμην αὐτῶν ἥνπερ ἔχουσιν, ὡς ἀθέων κατηγορεῖτε, prorsus autem illam interpretationem postulat ac flagitat sequens *κατηγορουμένους*, quod ad solos Christianos pertinet. Erravit igitur ipse Strothius, qui, cum in Germanica interpretatione sua, p. 251. not. 5. de veritate explicationis suæ certe dubitasset, et nostram adeo æque contextu aliisque rationibus stabiliri censuisset, tamen in editione sua Græca ad h. l. not. 29. cum alia tum hæc scripsit: "*h. l. κατηγοροῦντες sunt Christiani, qui sævitia ethnicorum in sententia sua, quam de iis haberent, confirmabantur. Eo enim, quod non putabant ethnici deos illorum punire posse contemtores suos, atque inde necesse esse, ut ipsi eosdem puniant, quasi vim ipsam deorum negabant, atque se sine Deo, seu Atheos esse secundum sententiam Christianorum confitebantur.*" Inductus autem haud dubie est ad hanc opinionem V. D. tum additamento Nicephori *περὶ ἡμῶν*, tum verbis: *τὴν γνώμην αὐτῶν ἥνπερ ἔχουσιν.* At hæc ipsa verba nullo modo eo pertinent, ut male senserint de ipsis gentilibus Christiani, imo illud potius iis significatur, noluisse eos gentilium deos colere *τοὺς μὴ βουλομένους αὐτοὺς (θεοὺς) προσκυνεῖν*, quod statim antea legitur. Ceterum observandum est pro *οὓς ἐμβάλλετε, βεβαιοῦντες* haud temere aliquem exspectaturum esse *οὓς—ἐμβάλλοντες, βεβαιοῦτε.* Hoc enim *βεβαιοῦν*, magis urgendum et verbo finito dicendum fuisse, sensisse videntur omnes quoque interpretes et ipse Rufinus, qui *sed vos*, inquit, *confirmatis*, etc. et maxime Strothius, qui vertit: *Ihr bestärkt—durch die Noth, die ihr ihnen verursacht.* Similiter pro *κατηγοροῦντες, κατηγορεῖτε* dixit Justinus. Sed ipsi veteres sæpius participium ponunt, ubi rectius ponitur alias verbum finitum, quia nonnisi præpostera quadam ratione cogitandi, qua simile quid *ὑστέρου προτέρου* committitur, fieri illud potest. Ita v. c. Eurip. Iphig. T. v. 1411. *ἀκύμονα πόντου τίθησι νῶτα πορθμεύων πλάτῃ*, ubi rectius esset *τιθεὶς πορθμεύει.* Cf. Seidler. *ad h. l.* Stallbaum. *ad Plat. Phileb.* p. 58. Matthiæ *ausführl. griech. Grammatik*, p. 1097. sq. 2. 1. Sophocl. Electr. v. 345. Hom. Iliad. ii. 291. Neque scriptores N. T. hac ratione loquendi prorsus carere videntur. Ita Marc. xi. 5. *τί ποιεῖτε λύοντες*, Act. xii. 13. *τ. ποιεῖτε κλαίοντες*, rectius dici debuisse puto: *τί ποιοῦντες λύετε, τ. π. κλαίετε*, eodem modo quo Græci *τί παθών, τί μαθὼν* cum verbo finito

usurpant. Vid. Wolf. *ad Demosth. Lept.* p. 348. sq. cf. Constant. orat. ad sanctt. cœtum, c. xiii. τί δή ποτε βουληθεὶς—ἐτεκτήνατο· Eandem rationem esse existimo locorum, Mtth. xiv. 29. καὶ καταβὰς—περιεπάτησεν, pro quo proprie καὶ περιπάτησας—κατέβη dicendum fuisse recte monuit Storr. *diss. in librorum N. T. aliquot locos*, part. iii. Sed inde non sequitur, non posse non l. l. cogitari de miraculo, imo ut alii scriptores ita Matthæus quoque poterat non satis accurate cogitans tanquam prius factum aliquid proponere, quod tamen nonnisi serius et post aliud eveniens debebat describi. Cf. Paulus *Commentar über das N. T.* t. ii. p. 345. 355. ed. ii. qui ut Storrii argumenta refutet, καταβὰς interpretatur: *als ein vom Schiffe hinabsteigen wollender und hinabsteigender*, qua interpretatione nostra fortasse est facilior. Idem dicendum puto de altero loco, quem ibidem Paulus attulit, Marc. vii. 24. καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν οὐδένα ἤθελε γνῶναι. Ibi vix ac ne vix quidem cum Paulo illud εἰσελθὼν de solo conatu accipi posse puto: *anfangend und fortfahrend einzutreten.* Satis enim mira, quamvis ita interpreteris, existit sententia, Christum a nemine voluisse tunc temporis cognosci, seu voluisse λαθεῖν, ut statim postea Marcus dicit, dum incepit ingredi et dum vere ingrediebatur in domum. Nonne potius *per totum illud tempus* volebat λαθεῖν et ut hoc efficeret, latere tam diu in aliqua domo? Ergo scribendum potius fuisse illo loco puto καὶ οὐδένα θέλων γνῶναι εἰσῆλθε εἰς τὴν οἰκίαν. Sed Marcus quoddam ὕστερον πρότερον commisit scribens: καὶ εἰσελθὼν—ἤθελε γ. Similiter facillima et optima semper mihi visa est illa ratio ad explicandas formulas ληρεῖς ἔχων, φλυαρεῖς ἔχων adhibita ab Stephano *de dial. Attic.* p. 54., qui illa pro ἔχεις ληρῶν dicta putat quamvis aliis repugnantibus. Vid. Hermann. *ad Viger.* p. 777., qui ἔχων esse putat idem quod τυγχάνων neque vero Stephano assentitur, ut dicit Passow. s. ἔχω 4. f. Contra Matthiæ *ausf. griech. Grammatik*, p. 1120. redundare censet ἔχων. cf. ibid. not. c. HEIN.

13, 2. παραβάλλοντας δὲ τὰ ἡμέτερα] Legendum videtur τὰ ὑμέτερα, ut scribitur apud Justinum in calce apologetici. Quam scripturam secutus est Christophorsonus. Sic enim vertit hunc locum: *Et infelices vestri omnium casus in religionem tanquam eorundem causam transfertis.* Eundem quoque sensum

expressit Rufinus.[m] Sed Græca Antonini verba sensum hunc admittere non possunt. Optime Langus, doctus Nicephori interpres, hunc locum ita vertit: *De terræ motibus autem qui vel fuere vel fiunt adhuc, non importunum fuerit vos qui ea de causa animum despondistis, admonere, ut scilicet res vestras cum rebus illorum conferatis.* Igitur Langus hunc locum ita legit: *οὐκ ἄτοπον ὑμᾶς ὑπομνῆσαι, ἀθυμοῦντας ὅταν περ ὦσι. παραβάλλοντας τὰ ὑμέτερα πρὸς τὰ ἐκείνων.* quemadmodum legitur ad calcem apologetici Justini. Quæ quidem scriptura mihi vehementer placet. VALES. Vid. Excursus, iv. HEIN.

13, 3. Verba *καὶ τῆς θρησκείας—θανάτου* haud immerito suspecta visa sunt Strothio, siquidem inde sequeretur Christianum fuisse imperatorem. Ipse conjicit, *ὑμεῖς δὲ παρὰ πάντα τὸν χρόνον καὶ θεὸν ἀγνοεῖν δοκεῖτε, τῶν τε ναῶν καὶ τῶν ἄλλων ἱερῶν ἀμελεῖτε.* HEIN.

Ib. *τῷ θειοτάτῳ πατρί*] Supra monuimus, graviter halucinari Eusebium qui hanc epistolam Antonino Pio adscripserit. Verum licet epistola illa non sit Antonini Pii, opportune tamen et suo loco hic adducitur. In ea quippe fit mentio epistolæ illius quam Antoninus Pius rescripserat ad rectores provinciarum, consultus ab iis quid Christianis agendum esset. Hujus epistolæ divi Pii meminit Melito infra, cap. 26. qua vetitum esse dicit: *μηδὲν νεωτερίζειν περὶ Χριστιανούς.* Hic vero in epistola divi Marci dicitur cautum esse a divo Pio *μηδὲν ὀχλεῖν*, quod idem est. VALES.

13, 4. *Προετέθη ἐν Ἐφέσῳ*] Id est, *proposita Ephesi.* Sic in aliquot legibus codicis Theodosiani additur P. P. Romæ aut Carthagine. Quæ nota significat illam imperatoris legem publice propositam esse in ea civitate. Solebant autem imperatores, quoties aliquam constitutionem ad omnium notitiam pervenire vellent, sua manu adscribere *proponatur*, ut discimus ex novellis aliquot Valentiniani et Majoriani, et ex epistola 51. Ju-

[m] His verbis: *De motibus autem terræ, qui vel facti sunt, vel etiam nunc fiunt, absurdum non erit mœrorem vestrum justa cognitione solari. Quoniam quidem comperi, quod in hujuscemodi rebus ad illorum invidiam communes casus transfertis.* Neque tamen inde potest concludi Rufinum aut *τὰ ἡμέτερα* aut *τὰ ὑμέτερα* legisse, quod dedit sane Cph. Justin. Langus, nec non Venet. et Stroth. Τὰ *ἡμέτερα* habet Reg. Maz. Med. Fuk. Sav. Steph. Niceph. Val. et Musculus, qui vertit: *Haud vero absurdum fuerit, admonere vos, de terræ motibus qui facti sunt, ac fiunt ut, quum tristamini quando fiunt, res nostras cum illorum conferatis.* HEIN.

liani Aug. ad Alexandrinos, in cujus calce scriptum est: *προτεθήτω τοῖς ἡμετέροις πολίταις Ἀλεξανδρεῦσι.* VALES.

Ib. *ἐν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας*] Aliter hic sumitur commune Asiæ, aliter in inscriptione hujus epistolæ. Nam in inscriptione quidem ipsa, ubi legitur M. Aurelius Antoninus communi Asiæ, sumitur pro concilio, seu pro legatis qui ex tota Asiæ Ephesum convenerant ad sacra ludosque in honorem imperatorum. In fine autem epistolæ snmitur pro loco ipso in quem conveniebant. Potest etiam sumi pro templo quod commune Asiæ construxerat in honorem Romæ et Augusti. Exstat sane vetus nummus Claudii Augusti editus a Joanne Tristano Sanctamantio, in quo templum expressum est hoc titulo R. et AUG. cum hac inscriptione ad utrumque latus templi COM. ASIÆ. Hoc templum Ephesi fuisse existimo, quo conveniebant omnes Asiæ civitates ad sacra pro salute imp. et populi Romani celebranda. Eratque hoc templum publici juris totius Asiæ, utpote communi sumtu exstructum. Ludi quoque eodem nomine dicebantur *κοινὸν Ἀσίας*, vel in plurali numero *κοινὰ*: quorum mentio fit in inscriptione Farnesiana et in marmoribus Arundellianis. Et hos quidem ludos Smyrnæ actos fuisse docent supradictæ inscriptiones, et nummus imperatoris Severi apud Tristanum hoc titulo: ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Tamen nihil vetat, quominus hos ludos etiam Ephesi actos fuisse credamus, præsertim cum hæc epistola divi Marci id omnino suadere videatur. VALES.

13, 5. *πρὸς τὸν αὐτοκράτορα Οὐῆρον*] Ita fere Græci nominant M. Antoninum, ut notavi ad lib. xxvii. pag. 339. Amm. Marcellini. Hieronymus in catalogo, Melito, inquit, Asianus Sardensis episcopus, librum imperatori Marco Anton.[n] Vero qui Frontonis oratoris discipulus fuit, pro Christiano dogmate dedit. Vide cap. 27. hujus libri. VALES.

14, 1. Περὶ—ἡμέρας] Cf. infra v. 24. vid. Neander. *Erläuterungen über die Veranlassung und die Beschaffenheit der ältesten Passahstreitigkeiten* in *Stäudlin Tzschirner und Vater kirchenhist. Archiv.* 1823. P. ii. p. 90. sqq. cf. Grabe *ad Iren.* extr., Scaliger. *de emend. temp.* ii. p. 150., Petav. *de doctrina temp.* ii. p. 57., Bevereg. *cod. can. eccles. prim.* ii. 3. *annott. in cod. apost.* vii. p. 19.

[n] Cf. cap. xiv. extr. HEIN.

Gabr. Daniel *de la discipline des Quartodecimans pour la celebration de la pacque* in *Recueil de divers ouvrages philos., theol., historiques par le P. Daniel*, Paris. 1724. 4. p. 473. sq. C. A. Heumann. *vera descriptio priscæ contentionis inter Romam et Asiam de vero Paschate* in Ejusd. *nova Sylloge dissertt.* part. i. p. 156. sq. Moshem. *Commentt. de rebus. Ch.* p. 435. sq. Walch. *Entwurf. einer vollständigen Historie der Ketzereien,* t. i. p. 666. sqq. Schröckh. *christl. K. G.* t. iii. p. 50. sqq. Satis inter se discedunt VV. DD. in definiendo anno quo Romam venerit Polycarpus, aliis a. 155. v. c. Clerico in *historia duorum primorum secull.* p. 672—73. et Dodwell. *de success. prim. Romæ episc.* c. xix. §. 1. 2. aliis v. c. Pagio. a. 158., aliis a. 160. v. c. Schröckh. l. l. p. 56., aliis nullum annum certum statuentibus v. c. Schmidt. *Handbuch der christl. K. G.* t. i. p. 212. cf. Augusti *Denkwürdigk.* t. ii. p. 24. HEIN.

14, 2. Ἀπὸ τρίτου τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις Εἰρηναίου] Hæc verba modico intervallo sejungi debent a reliquis. Sunt enim instar indicis seu tituli, quo monemur, ex quodam libro sequentia depromta esse. Idque ita facere solet Eusebius, quoties integras paginas ex aliquo scriptore producit in medium. Verbi gratia in libro vii. cap. 32. ἐκ τῶν περὶ τοῦ πάσχα Ἀνατολίου κανόνων, et in lib. viii. cap. 10. Ubi luculentum affert testimonium ex epistola Phileæ martyris, ἀπὸ τῶν Φιλέου πρὸς Θμουΐτας γραμμάτων. VALES.

14, 3 μαρτυροῦσιν αἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐκκλησίαι πᾶσαι] In quatuor nostris codicibus Maz. Med. Fuk. et Savil. nec non apud Nicephorum legitur μαρτυροῦσι τούτοις αἱ, etc. Quam lectionem confirmat vetus versio Irenæi. Neque vero id monuissem, sed satis habuissem in editione nostra locum hic emendare, nisi in hanc editionem nescio quo casu mendum irrepsisset, et pro μαρτυροῦσι τούτοις editum esset μαρτυροῦσιν αὐτοῖς. VALES.

14, 4. ὅτι——ἐχθροῦ] Cf. quæ monui, iii. 28. (pag. 182.) Ittigius *de hæresiarchis primi et secundi seculi,* p. 58. et Ejusd. *appendix dissertationis de hæresiarchis,* p. 14—17. Similiter Jacobus et Johannes aliquando vere quæsiverunt ex Christo: Κύριε, θέλεις εἴπωμεν πῦρ καταβῆναι ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἀναλῶσαι αὐτοὺς (Σαμαρεῖτας); Luc. ix. 54. Vid. Paulus *Commentar über d. N. T.* tom. ii. p. 734. Differt tamen utraque nar-

ratio eo, quod in illo loco N. T. Johannes et Jacobus *ipsi* ulcisci voluisse dicuntur et gravissime quidem Samaritanorum *injuriam*, h. l. atrocem *Dei* pœnam Cerintho *veræ fidei experti* infligendam exspectasse solus ille Jesu discipulus traditur, qui alias mitissimi ac tenerrimi amoris sensu erat tactus. Cf. 2 Johann. v. 9—11. Böhme *die Religion Jesu Christi aus ihren Urkunden dargestellt*, p. 37. ed. ii. Halæ, 1827. HEIN.

Ib. ἐπιγινώσκειν hoc loco idem fere est ac salutare. Nam idcirco cognosci se volebat Marcion, ut salutaretur. Sic olim in ecclesia fidelibus ad sacram mensam accedentibus, diaconus sæpius inclamare solebat: Ἐπιγινώσκετε ἀλλήλους, ne quis scilicet profanus aut Judæus ad sacramentum altaris accederet, ut docet Chrysostomus. Eodem sensu Paulus in prima ad Corinthios sub finem ait ἐπιγινώσκετε αὐτοὺς, id est, salutate illos [o]. Sic etiam Latini dicebant *recognoscere*, ut legitur in actis Passionis Fructuosi episcopi. VALES.

14, 5. Παῦλος, Tit. iii. 10. HEIN.

Ib. Ἱκανωτάτη] In hujus vocis significatione mirum est quantum varient interpretes. Rufinus vertit *pervalidam*, vetus interpres Irenæi *perfectissimam*, Langus Nicephori interpres *longissimam*, Christophorsonus *accurates criptam*. Occurrit eadem vox supra, ubi de Justini libro adversus gentiles loquitur Eusebius. VALES.

14, 6. ἐν τῇ—γραφῇ] Ex hac Polycarpi ad Philippenses epistola fragmenta jam legebantur supra, iii. 36. extr. De authentia hujus epistolæ dubitavere centuriatores Magdeburgenses, Dallæus et maxime Semlerus ad Baumgarten. *Untersuchung theologischer Streitigkeiten*, vol. ii. p. 36. sq. adsentiente Röslero *Bibliothek der Kirchenväter*, P. i. p. 93. sq. Additamentum quod in Photii cod. 126. deprehenditur, bene quadrare cum iis quæ, cap. 9. leguntur, monuit Danz. p. 123.

[o] Minime. Vid. Jaspis. *ad* 1 *Cor.* xvi. 18. not. 3. Quamquam Valesio assentiuntur P. Halloixius in *nott ad vitam Polycarpi*, p. 378. et Ittig. *de hæresiarch. prim. et sec. seculi*, p. 138. Sed Valesio repugnat Le Moyne *varr. sacr.* tom. ii. p. 414. "*Hic fingere salutationem et ἐπιγινώσκειν accipere pro salutare mihi videtur nimis argutum, nec ad Polycarpi mentem et indignationem satis congruum———Vult agnosci Marcion, agnoscitur sed revera talis qualis erat, nimiro—hæreticorum pessimus et facile princeps.*" Cf. ibid. p. 446. sqq. p. 454. sqq. p. 458. sqq. Euseb. H. E. v. 17. Vit. Const. ii. 71 extr. ἐπανέλθετε δὴ πρὸς τὴν ἀλλήλων φιλίαν τε καὶ χάριν—αὖθις ἀλλήλους ἐπίγνωτε ubi ipse Val. vertit *vos vicissim agnoscite* scil. tanquam fratres et amicos. Cf. Stroth. *Uebers.* t. ii. p. 290. * ad h. l. HEIN.

not. 24. Nostra ætate præeunte du Pinio, Basnagio, Caveo, Ittigio authentia illius epistolæ certior facta est. Cf. Le Moyne *varr. sacr.* t. i. p. 62. sq. Moshem. *Commentt.* p. 162. Tillemont. *Mémoires*, tom. ii. p. 327. sqq. Fabric. *B. Gr.* vol. iv. p. 46. sqq. HEIN.

Ib. Ἀντωνῖνον—ἔτος, vid. quem laudat Reading. ad h. l., Pagi *Crit.* t. i. p. 133. ad a. C. 161. HEIN.

15, 1. Ἐγγράφως ἔτι φερόμενον] Ita legitur in codice Regio, sed quatuor reliqui, Maz. scilicet et Med. cum Fuk. ac Saviliano scriptum habent ἐγγράφως ἤδη φερόμενον, quod non probo. Nicephorus certe vulgatam scripturam tuetur. Sic enim habet: καὶ εἰσέτι δ' ἐγγράφως τὸ μαρτύριον αὐτοῦ φέρεται. Quodsi quis scriptam lectionem tueri velit, tum sensus erit, Polycarpi ac sociorum ejus martyrium litteris traditum esse omnium primum. Certe acta martyrum nulla extant antiquiora. Nec dubito, quin hoc Polycarpi martyrium primo loco positum fuerit ab Eusebio, in libro quem inscripserat ἀρχαίων μαρτυρίων συναγωγή. Paulo post in iisdem exemplaribus Maz. Med. et Fuk. legitur μνήμῃ τῇσδε τῆς ἱστορίας καταθέσθαι, quæ collocatio verborum videtur elegantior. VALES.

Ib. ταῖς κατὰ Πόντον παροικίαις [p].] Scribendum videtur ταῖς κατὰ πάντα τόπον παροικίαις. Quod confirmat epistolæ ipsius inscriptio quæ sic habet: Ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν, τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομηλίῳ καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις. Certe in hac inscriptione nulla fit mentio ecclesiarum Ponti. Nam Philomelium non est urbs Ponti, sed Lycaoniæ ut Plinius scribit, aut ut alii, Pisidiæ. Sic enim in actis concilii Chalcedonensis Paulus quidam Philomeliensis nominatur inter episcopos Pisidiæ. VALES. Est profecto Valesii conjectura ejusmodi, quæ non possit non cuivis fere in mentem venire. Cf. Le Moyne *varr. sacr.* tom. ii. p. 58. "*legitur quidem apud eundem Eusebium, l.* iv. *c.* 23. *quod Dionysius Corinthiorum episcopus scripserit*, τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ παροικούσῃ Ἀμάστριν, ἅμα καὶ ταῖς κατὰ Πόντον ἐκκλησίαις.——*Sed Amastris erat in Bithynia seu Ponto, et jure potuit Amastrianorum ecclesia cum aliis Ponti ecclesiis jungi et sociari. Non vero ecclesia Philomeliensium*

[p] Ita Ruf. et Nic. cf. v. 16. not. HEIN.

quæ a Ponto et Bithynia multis parasangis distabat. Ac proinde (hoc Eusebii loco) *legendum—κατὰ πάντα τόπον.*" Sed nihilominus recte fecisse puto Valesium, quod non recepit suam conjecturam, cum sane ipse Eusebius negligentius scripsisse possit κατὰ Πόντον. Neque Stroth. aliter scripsit. Quamquam hic ipse verterat: *den Gemeinen aller Orten*, etiam h. l. HEIN.

15, 2. κατέπαυσε τὸν διωγμόν] Non dubito quin plerique hoc loco ægre laturi sint, quod Eusebius epistolam hanc de Polycarpi martyrio scriptam, integram nobis exhibere noluerit. Sed nequaquam difficile erit, huic studiosorum hominum cupiditati satisfacere. Etenim decem abhinc annis integra hæc epistola Londini edita est a Jacobo Usserio Armachano. Quare operæ pretium facturus mihi videor, si ea quæ ab Eusebio hic prætermissa sunt, ex editione Anglicana supplevero, ne quid hoc loco studiosi desiderare possint. Idque eo libentius facturus sum, quod vetus interpres hujus epistolæ, quem una cum Græco textu edidit Usserius, plerisque in locis, sed maxime in exordio ipsius epistolæ, sensum minime est assecutus. Sic igitur habet epistola.

Ἐγράψαμεν ὑμῖν ἀδελφοὶ τὰ κατὰ τοὺς μαρτυρήσαντας, καὶ τὸν μακάριον Πολύκαρπον, ὅστις ὥσπερ ἐπισφραγίσας τῇ μαρτυρίᾳ αὐτοῦ κατέπαυσε τὸν διωγμόν· σχεδὸν γὰρ πάντα τὰ προάγοντα ἐγένετο, ἵνα ἡμῖν ὁ κύριος ἄνωθεν ἐπιδείξῃ τὸ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον μαρτύριον. Περιέμενεν γὰρ ἵνα παραδοθῇ ὡς καὶ ὁ κύριος, ἵνα μιμηταὶ καὶ ἡμεῖς αὐτοῦ γενώμεθα· μὴ μόνον σκοποῦντες τὸ καθ' ἑαυτοὺς, ἀλλὰ καὶ τὸ κατὰ τοὺς πέλας· ἀγάπης γὰρ ἀληθοῦς καὶ βεβαίας ἐστὶν, μὴ μόνον ἑαυτὸν θέλειν σώζεσθαι, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς ἀδελφούς· μακάρια μὲν οὖν καὶ γενναῖα τὰ μαρτύρια πάντα, τὰ κατὰ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ γεγονότα· χρὴ γὰρ εὐλαβεστέρους ἡμᾶς ὑπάρχοντας, τῷ Θεῷ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν ἀνατιθέναι· τὸ γὰρ γενναῖον αὐτῶν καὶ ὑπομονητικὸν καὶ φιλοδέσποτον, τίς οὐκ ἂν θαυμάσειεν; οἳ μάστιξι μὲν καταξανθέντες, ὥστε μέχρι τῶν ἔσω φλεβῶν καὶ ἀρτηριῶν τὴν τῆς σαρκὸς οἰκονομίαν θεωρεῖσθαι, ὑπέμειναν· ὡς καὶ τοὺς περιεστῶτας ἐλεεῖν καὶ ὀδύρεσθαι, τοὺς δὲ καὶ εἰς τοσοῦτον γενναιότητος ἐλθεῖν, ὥστε μήτε βρύξαι μήτε στενάξαι τινὰ ἑαυτῶν· ἐπιδεικνυμένους ἅπασιν ἡμῖν, ὅτι ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ βασανιζόμενοι τῆς σαρκὸς ἀπεδήμουν οἱ μάρτυρες Χριστοῦ, μᾶλλον δὲ ὅτι παρεστὼς ὁ κύριος ὡμίλει αὐτοῖς. Καὶ προσέχοντες τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι, τῶν

κοσμικῶν κατεφρόνουν βασάνων, διὰ μιᾶς ὥρας τὴν αἰώνιον κόλασιν ἐξαγοραζόμενοι· καὶ τὸ πῦρ ἦν αὐτοῖς ψυχρὸν τὸ τῶν ἀπηνῶν βασανιστῶν· πρὸ ὀφθαλμῶν γὰρ εἶχον φυγεῖν τὸ αἰώνιον καὶ μηδέποτε σβεννύμενον· καὶ τοῖς τῆς καρδίας ὀφθαλμοῖς ἀνέβλεπον τὰ τηρούμενα τοῖς ὑπομείνασιν ἀγαθὰ, ἃ οὔτε οὖς ἤκουσεν, οὔτε ὀφθαλμὸς ἴδεν, οὔτε ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου ἀνέβη· ἐκείνοις δὲ ὑπεδείκνυτο ὑπὸ τοῦ κυρίου οἵπερ μηκέτι ἄνθρωποι, ἀλλ' ἤδη ἄγγελοι ἦσαν· ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὰ θηρία κριθέντες[q] χρόνον δεινὰς κολάσεις· κήρυκας μὲν ὑποστρωννύμενοι, καὶ ἄλλαις ποικίλαις βασάνοις κολαφιζόμενοι, ἵνα εἰ δυνηθείη, ὁ τύραννος διὰ τῆς ἐπὶ μόνου κολάσεως εἰς ἄρνησιν αὐτοὺς τρέψῃ· πολλὰ γὰρ ἐμηχανᾶτο κατ' αὐτῶν ὁ διάβολος· ἀλλὰ χάρις τῷ Θεῷ· κατὰ πάντων γὰρ οὐκ ἴσχυσεν· ὁ δὲ γενναιότατος Γερμανικὸς ἐπερρώννεν αὐτῶν τὴν δειλίαν διὰ τῆς ἐν αὐτῷ ὑπομονῆς· ὃς καὶ ἐπισήμως ἐθηριομάχησεν. Βουλομένου γὰρ τοῦ ἀνθυπάτου πείθειν αὐτὸν, καὶ λέγειν τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ κατοικτεῖραι, ἑαυτῷ ἐπεσπάσατο τὸ θηρίον προσβιασάμενος, τάχιον τοῦ ἀδίκου καὶ ἀνόμου βίου αὐτῶν ἀπαλλαγῆναι βουλόμενος. Ἐκ τούτου οὖν πᾶν τὸ πλῆθος θαυμάσας τὴν γενναιότητα τοῦ θεοφιλοῦς καὶ θεοσεβοῦς γένους τῶν Χριστιανῶν, ἐπεβόησεν· Αἶρε τοὺς ἀθέους, ζητείσθω Πολύκαρπος. Εἷς δὲ ὀνόματι Κόϊντος Φρὺξ, προσφατῶς ἐληλυθὼς ἀπὸ τῆς Φρυγίας, ἰδὼν τὰ θηρία ἐδειλίασεν· οὗτος δὲ ἦν ὁ παραβιασάμενος ἑαυτόν τε καὶ τινὰς προσελθεῖν ἑκόντας. Τοῦτον ὁ ἀνθύπατος πολλὰ ἐκλιπαρήσας, ἔπεισεν ὀμόσαι καὶ ἐπιθύσαι. Διὰ τοῦτο οὖν ἀδελφοὶ, οὐκ ἐπαινοῦμεν τοὺς προσιόντας ἑαυτοῖς, ἐπειδὴ οὐχ οὕτως διδάσκει τὸ εὐαγγέλιον. Ὁ δὲ θαυμασιώτατος Πολύκαρπος, τὸ μὲν πρῶτον ἀκούσας οὐκ ἐταράχθη, ἀλλ' ἐβούλετο κατὰ πόλιν μένειν· οἱ δὲ πλείους ἔπειθον αὐτὸν ὑπεξελθεῖν. Καὶ ὑπεξῆλθεν εἰς ἀγρίδιον, οὐ μακρὰν ἀπέχον ἀπὸ τῆς πόλεως, καὶ ἔτριβε μετ' ὀλίγων νύκτα καὶ ἡμέραν οὐδὲν ἕτερον ποιῶν, ἢ προσευχόμενος περὶ πάντων καὶ τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν, ὅπερ ἦν συνήθες αὐτῷ. Καὶ προσευχόμενος, ἐν ὀπτασίᾳ γέγονε πρὸ τριῶν ἡμερῶν τοῦ συλληφθῆναι αὐτόν· καὶ εἶδεν προσκεφάλαιον αὐτοῦ ὑπὸ πυρὸς κατακαιόμενον. Καὶ στραφεὶς εἶπεν πρὸς τοὺς συνόντας αὐτῷ προφητικῶς· δεῖ με ζῶντα κατακαυθῆναι. Καὶ ἐπιμενόντων τῶν ζητούντων αὐτὸν, μετέβη εἰς ἕτερον ἀγρίδιον· καὶ εὐθέως ἐπέστησαν οἱ ζητοῦν-

q Hoc loco aliquid deesse Read. asterisco notavit. Pro voce *χρόνον* Patricius Junius *ἔπαθον* substituit. HEIN.

τες αὐτόν· καὶ μὴ εὑρόντες συνελάβοντο παιδάρια δύο· ὧν τὸ ἕτερον βασανιζόμενον ὡμολόγησεν, ἦν γὰρ καὶ ἀδύνατον λαθεῖν αὐτὸν, ἐπεὶ καὶ οἱ προδιδόντες αὐτὸν οἰκεῖοι ὑπῆρχον. Καὶ ὁ εἰρήναρχος, ὁ καὶ Κληρόνομος τὸ αὐτὸ ὄνομα, Ἡρώδης ἐπιλεγόμενος, ἔσπευδεν εἰς τὸ στάδιον αὐτὸν εἰσαγαγεῖν, ἵνα ἐκεῖνος μὲν τὸν ἴδιον κλῆρον ἀπαρτίσῃ Χριστοῦ κοινωνὸς γενόμενος, οἱ δὲ προδόντες αὐτὸν, τὴν αὐτοῦ τοῦ Ἰούδα ὑπόσχοιεν τιμωρίαν. Ἔχοντες οὖν τὸ παιδάριον, τῇ παρασκευῇ δείπνου ὥραν ἐξῆλθον διωγμῖται καὶ ἱππεῖς, μετὰ τῶν συνήθων αὐτοῖς ὅπλων, ὡς ἐπὶ λῃστὴν τρέχοντες· καὶ ὀψὲ τῆς ὥρας συνεπελθόντες, ἐκεῖνον μὲν εὗρον ἔν τινι δωματίῳ κατακείμενον ὑπερῴῳ· κἀκεῖθεν ἠδυνάτο εἰς ἕτερον χωρίον ἐπελθεῖν, ἀλλ' οὐκ ἐβουλήθη, εἰπὼν, τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου γενέσθω. Ἀκούσας οὖν τοὺς παρόντας, καὶ καταβὰς, διελέχθη αὐτοῖς· θαυμαζόντων δὲ τῶν παρόντων τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ καὶ τὸ εὐσταθὲς, τινὲς ἔλεγον· ἡ τοσαύτη σπουδὴ ἡ τοῦ συλληφθῆναι τοιοῦτον πρεσβύτην ἄνδρα ἦν; Εὐθέως οὖν ἐκέλευσε παρατεθῆναι φαγεῖν καὶ πιεῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, ὅσον ἂν βούλωνται, ἐζητήσατο δὲ αὐτοὺς ἵνα δῶσιν αὐτῷ ὥραν προσεύξασθαι ἀδεῶς. Τῶν δὲ ἐπιτρεψάντων, σταθεὶς προσηύξατο, πλήρης ὢν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, οὕτως ὥστε ἐπὶ δύο ὥρας μὴ δύνασθαι σιωπῆσαι, καὶ ἐκπλήττεσθαι τοὺς ἀκούοντας, πολλούς τε μετανοεῖν ἐπὶ τῷ ἐληλυθέναι ἐπὶ τοιοῦτον θεοπρεπῆ πρεσβύτην. Ὡς δὲ κατέπαυσε τὴν προσευχὴν, et cetera, ut habentur apud Eusebium nostrum. Hanc autem epistolam Latino sermone interpretati sumus in hunc modum:

Scripsimus vobis fratres, tum de reliquis martyribus, tum de beato Polycarpo, qui martyrio suo velut signaculo quodam persecutioni finem imposuit. Cuncta enim fere quæ præcesserunt, idcirco gesta sunt, ut ex evangelii præceptis expressum atque adumbratum martyrium Christus e cælo nobis ostenderet. Exspectabat quippe Polycarpus donec traderetur, quemadmodum Dominus exspectavit, ut nos quoque imitatores ejus essemus, non solum nostræ, verum etiam proximorum saluti consulentes. Veræ siquidem ac solidæ charitatis proprium est, non suæ duntaxat incolumitatis curam gerere, sed omnium fratrum salutem concupiscere. Beata quidem ac generosa fuisse fatendum est cuncta martyria, quæ ex Dei arbitrio ac voluntate gesta sunt. Quippe nos qui præ ceteris religiosi sumus, omnium rerum arbitrium ac potestatem Deo adscribere oportet. Certe magnitudinem animi

illorum ac tolerantiam et erga Dominum fidem ac benevolentiam, quis non maxime admiretur? Qui cum flagris ita conscissi essent, ut tota corporis compago ad intimas usque venas et arterias spectaretur, nihilominus sustinuerunt. Adeo ut omnes qui aderant, miseratione capti ingemiscerent, ipsi vero tanta fortitudine prædíti essent, ut nemo illorum suspirium aut gemitum ediderit. Ostendebant scilicet nobis martyres Christi, se a propriis corporibus quasi peregrinatos fuisse dum torquerentur, aut potius Christum ipsis adstitisse et familiariter cum ipsis esse versatum. Christi igitur gratia fulti ac sustentati, hominum tormenta spernebant, unius horæ spatio se ab æternis cruciatibus redimentes. Frigidus ipsis videbatur immanium carnificum ignis. Quippe qui in animo haberent, æternum illum nec ullo unquam tempore extinguendum ignem evitare, et mentis oculos defixos haberent in præmia, quæ viros fortes post malorum tolerantiam manent, quæ nec auris audivit nec oculus vidit, nec hominum sensus aut intelligentia comprehendit, ipsis vero tunc ostendebantur a Domino, utpote qui non homines amplius, sed angeli essent. Sed et hi qui ad bestias erant condemnati, cum diutissime in carcere detinerentur, gravissimos cruciatus pertulerunt, partim muricibus ipsorum corpori substratis, partim aliis cujusque modi suppliciis excruciati, ut si fieri posset, tormentorum assiduitate eos tyrannus ad negandam Christi fidem adduceret. Multa siquidem adversus illos excogitavit diabolus. Sed juvante Christi gratia nihil contra cunctos proficere valuit. Nam fortissimus Germanicus tolerantiæ suæ magnitudine ceterorum imbecillitatem roborabat, qui quidem illustri certamine adversus bestias depugnavit. Nam cum proconsul verbis eum flectere vellet, moneretque ut suam ipse ætatem miseraretur, ille bestiam ultro ad se attraxit, cogens illam ac provocans, quo scilicet ex hoc impio atque injusto sæculo velocius emigraret. Exinde universa populi multitudo, fortitudinem piæ ac religiosæ Christianorum gentis magnopere admirata, acclamavit: Tolle impios, Polycarpus requiratur. Quidam vero oriundus e Phrygia Quintus nomine, qui nuper ex patria huc advenerat, cum bestias vidisset, pavore concussus est. Hic porro erat qui alios perpulerat, ut ultro secum ad tribunal judicis pergerent. Hunc proconsul blandis persuasionibus illectum eo adduxit, ut juraret ac sacrificaret. Nos itaque, fratres, non probamus eos qui ultro accedunt ac semet ipsos produnt, cum aliter

præcipiatur in evangelio. Admirabilis autem Polycarpus primum quidem nullatenus commotus est cum ista geri audiret, sed in urbe permanere decreverat. Plures tamen ei persuaserunt ut secederet. Secessit ergo in agellum quendam haud procul a civitate. Illic cum paucis comitibus morabatur, diu noctuque orationibus intentus, quas pro cunctis hominibus et pro universis per orbem terrarum ecclesiis, ut moris ei fuit, ad Deum fundebat. Triduo vero antequam comprehenderetur, inter orandum oblata est ei cœlitus visio. Videbat enim cervical suum igne consumi. Et mox conversus ad comites suos, prophetico spiritu dixit: Vivum me cremari oportet. Porro cum instarent qui illum requirebant, migravit in aliam villam. Statimque advenerunt illi qui ipsum indagabant. Et cum illum non reperissent, duos servulos comprehenderunt. Quorum alter tormentis subditus, latebram ejus indicavit. Certe latere non poterat, quando quidem domestici ejus erant qui ipsum prodiderunt. Et Irenarchus qui et Cleronomus dicebatur, cognomento Herodes, omni ope contendebat, ut ipsum ad stadium adduceret, quo scilicet Polycarpus quidem propriam sortem impleret, consors Christi factus, proditores autem illius iisdem quibus Judas pœnis afficerentur. Igitur diogmitæ et equites, assumpto secum puero egressi sunt feria sexta sub horam cœnæ, armis consuetis instructi, tanquam adversus latronem currentes. Et sub vesperam simul ingressi, ipsum quidem repererunt in quodam solario jacentem. Unde cum in alium locum facile migrare posset, id tamen præstare noluit, dicens: Fiat voluntas Domini. Cum ergo introisse illos cognovisset, descendit e cœnaculo et collocutus est cum eis. Cum autem admirarentur omnes ætatem illius atque constantiam, quidam ex iis dicebant: Cur tantum adhibetur studium ut hujusmodi senex comprehendatur? At ille confestim cibos cum potu eis apponi jussit, quantum ipsi voluissent. Petiitque ab eis horæ spatium, quo libere et absque impedimento oraret. Quod cum ipsi concessissent, stans ille oravit plenus gratia Dei: adeo ut ipse quidem duarum horarum spatio silere non posset, auditores vero admiratione stupefacti tenerentur, multosque eorum pœniteret, quod talem tamque divinum senem capturi venissent. Finita oratione et cetera, ut habentur infra. VALES. Erat hæc epistola ecclesiæ Smyrnensis ἐγκύκλιος. Exemplar autem illius aliud manibus tractavit Eusebius, quam quod Usserius primus e cod. Barociano an. 1647.

edidit, ut recte monuit Danz. de Euseb. p. 130. Eusebii enim exemplar ad incolas Christianos Philomelii missum fuit, quod Usserius edidit, ad Christianos Philadelphiæ. Accedunt plures varietates insigniores quæ in utraque epistola deprehenduntur. Ita pro verbis ἐξῆλθε περιστερὰ καὶ πλῆθος αἵματος Eusebius scribit simpliciter ad finem epistolæ ἐξῆλθε πλῆθος αἵματος. Neque illa ipsa lectio immerito suspecta visa est Stephano Le Moyne in *varr. sacr.* tom. i. p. 41. ubi: *Neque enim*, inquit V. D., *cuiquam verisimile videri potest, imbellis columbæ alis vorantes rogi flammas temperatas et cohibitas. Deinde de ista columba nihil Eusebius—nihil Hieronymus nihil Menea Græcorum. Quod procul dubio non prætermisissent, si martyrii Polycarpi tam miranda circonstantia, codicum MSS. meliorum fide potuisset se tueri.* Hinc cum alias vix tamen veras, tum hanc conjecturam proponit l. l. p. 42. V. D., ut pro ἐξῆλθε περιστερὰ legatur ἐξῆλθ' ἐπ' ἀριστερᾷ, quæ conjectura mihi quidem non displicet, et cur a Danzio l. l. p. 132. sit prorsus rejecta, non satis video. Neque enim causa apparet, cur necessario *vel plane rejicienda est ista* περιστερὰ, *vel immutata conservanda.* Sed si vera est lectio illa περιστερὰ, Lucianum hoc miraculum citius creditum fictione sua vulturis ex rogo Peregrini subito exeuntis voluisse ridere, haud male conjecit Le Moyne l. l. p. 41. 42. cf. p. 38. sqq., qua de re vellem monuisset Tzschirner. *Græci et Romani scriptt. cur rerum Christian. raro meminerint Comment.* ii. p. 12. vel 14. Et profecto haud immerito perstrinxisset Lucianus ineptum illud de columba commentum, quæ quamvis fortasse apparuerit, et deinde vel a nobis tanquam efficaciæ divinæ per se haud adspectabilis adspectabile σύμβολον quo animi Polycarpi ἀκέραιος (cf. Mtth. x. 16.) candor clarissime manifestaretur, haberi possit (cf. quæ de columba in baptismo Jesu apparente præclare disputavit Paulus *Commentar über das N. T.* tom. i. p. 338. 339. 341. 344--346. et verba quæ leguntur in epistola de Polycarpo: τῷ Πολυκάρπῳ φωνὴ ἐξ οὐρανοῦ γέγονεν-ἀνδρίζου), tamen ex ardente corpore Polycarpi eam exiisse nonnisi Judæus Apella credet. Similiter in evangelio Ebionæorum scribitur, columbam *in* Christum intrasse περιστερᾶς—εἰσελθούσης εἰς αὐτόν. Vid. Fabric. *Cod. Apocr. N. T.* tom. i. p. 347. cf. Fabricius l. l. p. 88. ubi ex protevangelio Jacobi

affertur: *καὶ ἰδοὺ περιστερὰ ἦλθεν ἐκ τῆς ῥάβδου, καὶ ἐπετάσθη ἐπάνω τῆς κεφαλῆς Ἰωσήφ*. Paulus l. l. p. 345. Constantini oratio ad sanctorum cœtum, c. 11., ubi verba Constantini leguntur satis memorabilia hæc: *πῶς δ' εἰς ἀνθρώπους καὶ γῆν κατῆλθεν; (ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ) Ἡ μὲν προαίρεσις τῆς καθόλου—κηδεμονίας τῶν ὅλων ἐστίν·—ἐπεὶ δὲ κοσμίῳ σώματι πλησιάζειν—ἔμελλε, τῆς χρείας τοῦτο ἀπαιτούσης, νόθην τινὰ γένεσιν ἑαυτοῦ ἐμηχανήσατο· χωρὶς γάρ τοι γάμων, σύλληψις καὶ ἁγνῆς παρθενίας εἰλείθυια· καὶ Θεοῦ μήτηρ κόρη, καὶ αἰωνίας φύσεως ἀρχὴ χρόνιος, καὶ νοητῆς οὐσίας αἴσθησις, καὶ ἀσωμάτου φανότατος ὕλη· ἀκόλουθα τοιγαροῦν καὶ τὰ λοιπὰ τοῦ φάσματος. Αἰγληεσσὰ περιστερὰ ἐκ τῆς Νῶε λάρνακος ἀποπταμένη, ἐπὶ τοὺς τῆς παρθένου κόλπους κατῆρεν· ἀκόλουθα δὲ καὶ μετὰ τὸν ἀναφῆ, πάσης τε ἁγνείας καθαρώτερον, καὶ αὐτῆς ἐγκρατείας κρείσσονα ὑμέναιον.* In universum vero ne ei quidem qui *περιστερὰ* veram lectionem putat, improbabile videri potest, ad illam de Jesu narrationem cui columba apparuit, hanc de Polycarpo quamvis pessime effictam esse. Cf. Fabric. l. l. p. 364. Paulus l. l. p. 350. sq. Eusebium vero columbam, ut rem nulla fide dignam omisisse censet Henkius in *Progr. de figurato dicendi genere fonte multarum in historia Christiana fabularum*, Helmst. 1788. 4. p. 4. sqq. cf. I. A. Schmidii *Diss. de Columbis in ecclesia Græca et Lat. usitatis*, ibid. 1711. 4. I. Chr. Wernsdorf. *Progr. de columba Syris culta* ibid. 1770. 4. et E. Fr. Wernsdorf. *Commentat. de simulacro Columbæ in locis sacris antiquitus recepto*, Vitemb. 1773. 4. Contra exemplar Usserii columbam illam addidisse probabilius putat Danz. p. 131. sq. præeunte Le Moyne l. l. quibus ipse assentiendum duco. Ceterum laudavit Danzius: Chr. A. Heumann. *Par fabularum ex hist. eccles. exterminatum*, Isen. 1725. 4. p. 9. sqq. I. A. Schmidii *hist. sacr. sæc. ii. fabulis verior. maculata*, p. 20. Herder. *Zerstreute Blätter, sechste Sammlung*, p. 247. sqq. 295. Eodem modo denique differt doxologia in utraque epistola. Apud Usserium enim illa ita legitur: *Διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων αἰνῶ σε, εὐλογῶ σε, δοξάζω σε, σὺν τῷ αἰωνίῳ καὶ ἐπουρανίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ ἀγαπητῷ σου παιδί, μεθ' οὗ σοι καὶ πνεύματι ἁγίῳ ἡ δόξα, καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας. Ἀμήν.* Cf. Lambec. *biblioth. Vindob.* tom. viii. p. 88. Le Moyne l. l. p. 60. HEIN.

15, 3. *τοὺς ἀπὸ θαλάττης κήρυκας*] Rufinus *murices* vertit.

Genus est marinæ cochleæ seu conchæ cujus mentio fit in veteri epigrammate nondum edito Quinti cujusdam, ubi Damis piscator Apollini Acritæ hujusmodi concham dedicat.

> Ἀκρίτᾳ Φοίβῳ, Βιθυνίδος ὃς τόδε χώρης
> Κράσπεδον αἰγιαλοῖς γειτονέουσιν ἔχεις.
> Δᾶμις ὁ κυρτευτὴς, ψάμμῳ κέρας αἰὲν ἐρείδων
> Φρουρητὸν κῆρυκ' αὐτοφυεῖ σκόλοπι
> Θῆκε, γέρας λιτὸν μὲν, ἐπ' εὐσεβίῃ δ' ὁ γεραιὸς
> Εὐχόμενος νούσων ἐκτὸς ἰδεῖν ἀΐδην.

Id est :

> *Acritæ Apollini, qui hanc oram Bithyniæ*
> *Litoribus vicinam tenes :*
> *Damis piscator, qui semper rete ad arenam usque demittit,*
> *Muricem nativo vallo munitum*
> *Dicavit senex: leve quidem donum, sed tamen pietatis causa,*
> *Precatus ut absque morbis ad manes descendat.*

VALES.

Aristot. Hist. Anim. v. 12. Oppian. Halieut. i. 316. 329. HEIN.

15, 4. ὑπορωννύντα σὺν θείᾳ χάριτι τὴν ἔμφυτον, etc.] Verba ipsius epistolæ quam superius exscripsimus, longe alium sensum exhibent. Neque enim se ipsum, sed sociorum animos exemplo suo confirmasse dicitur Germanicus. Ὁ γὰρ γενναιότατος Γερμανικὸς ἐπερρώννυεν αὐτῶν τὴν δείλιαν διὰ τῆς ἐν αὐτῷ ὑπομονῆς. Qui sensus mihi quidem magis placet. VALES.

15, 5. τὴν καθόλου τοῦ γένους] In codice Mazarino et Fuketiano καθόλου scribitur quidem una voce, aspero tamen spiritu media syllaba prænotatur. VALES.

Ib. τῆς σωτηρίας ἐνδοῦναι] Rufinus vertit *salutem segnitia perdere.* Musculus vero *salutem suam prodere.* At Christophorsonus uberius ut solet et prolixius interpretatus est hoc modo: *Et tandem salute prodita manus præ ignavia dedisse.* Sane aliquid hic videtur deesse. Neque enim Græce dicitur ἐνδοῦναι τῆς σωτηρίας, nisi forte subaudias ἕνεκα. Nec immerito quis suspicetur scribendum esse ἐκπεσόντα τῆς σωτηρίας ἐνδοῦναι. VALES. Vid. *Excursus*, v. HEIN.

15, 12. ὄντος σαββάτου μεγάλου] De hoc magno sabbato variæ sunt doctorum hominum opiniones. Ægidius quidem

Bucherius in libro de paschali Judæorum cyclo, cap. 8. magnum sabbatum ait dici, in quod prima azymorum dies incidisset. Id autem contigisse anno vulgari natalis Dominici 169. die 26. Martii, quo die passum esse Polycarpum auctor Chronici Alexandrini diserte testatur. Sed hanc opinionem reprehendit Jac. Usserius, cap. 3. de anno Macedonico. Negat enim sabbatum illud in quod prima azymorum dies inciderat, sabbati magni nomine unquam appellatum fuisse. In quo tamen ei non assentior. Nam præter locum ex Johannis evangelio, qui Bucherianæ opinioni omnino videtur favere, id manifeste confirmat Anastasius Sinaïta in orat. 5. de resurrectione quam edidit P. Steuartius. *Cum enim*, inquit, *magno sabbato in festum azymorum incurrente Judæi a Pilato petiissent, ut corpora eorum qui crucifixi erant deponerentur*, etc. Alia est opinio Edouardi Liveleii, qui sabbatum magnum dici censuit illud, in quod solemnitas Purim seu dies sortium inciderat. Id autem accidisse anno Christi 167. die 22. Februarii juxta hodiernum computum Judæorum; quo die captum esse Polycarpum, sequenti vero 23. passum vult idem Liveleius. Sed hanc sententiam merito improbavit Usserius. Nam cum hæc epistola in qua sabbati magni fit mentio, a Christianis et ad Christianos scripta sit, Christianorum potius diem festum, quam Judaicam solemnitatem ab illis designatum fuisse credibile est. Adde quod hæc opinio Liveleii prorsus dissentit ab epistola Smyrnæorum. In epistola quidem Smyrnæorum Polycarpus comprehensus esse dicitur die Parasceves sub vesperam, sequenti vero die, qui dies erat magni sabbati, productus in urbem, et proconsulari judicio flammis absumptus. At Liveleius Polycarpum die sabbati comprehensum, sequenti vero passum esse prodit. Tertia est opinio Jac. Usserii, qui sabbatum magnum in hac epistola dici ait illud quod paschæ proxime antecedebat. Neque enim Christiani aliud unquam sabbatum ita appellarunt, quam illud quod paschalem solemnitatem præcedebat, seu proxime illam præcederet, ut fit apud eos qui semper die Dominico pascha celebrant, seu diebus aliquot interjectis, quod fiebat apud eos qui cum Judæis pascha celebrabant, nulla habita ratione diei Dominicæ. Quorum e numero fuisse Polycarpum omnesque totius Asiæ ecclesias, testatur Eusebius. Sane Judæos sabbatum magnum ap-

pellare illud quod solemnitatem paschalem proxime antecedebat, discimus tum ex tractatu Schulchan Aruk, tum ex synagoga Judaica Buxtorfii. Porro anno Christi 169. terminus paschalis juxta Alexandrinos fuit Martii die 29. Calippicus vero die Martii 30. vel 31. Sabbatum quod lunam hanc 14. antecessit, in Martii diem 26. incurrit, seu in diem 7. Calendas Apriles, quo die passum esse b. Polycarpum auctor Chronici Alexandrini testatus est. Verum tum in hac Usserii, tum in altera Bucherii opinione multa sunt quæ mihi non satisfaciunt. Primum enim cur auctorem Chronici Alexandrini in die quidem passionis b. Polycarpi sequuntur, in anno vero ab eodem dissentiunt? Deinde in actis Pionii martyris et in Menæis Græcorum natalis b. Polycarpi confertur in diem 23. mensis Februarii. Quibus consentit etiam *σημείωσις* seu adnotatio illa quæ legitur in fine hujus epistolæ Smyrnæorum. In ea quippe diserte scribitur Polycarpum passum esse die 2. mensis Xanthici, id est, ante diem 7. Calendas Martias, ut recte vertit vetus interpres. Quod quidem nos pluribus infra confirmabimus, adversus Jac. Usserii sententiam, qui Xanthicum mensem Smyrnæorum a die 25. mensis Martii incepisse dicit. Postremo nequaquam verisimile mihi videtur, ecclesiam Smyrnæorum sabbatum magnum more Judaico accepisse. Quamvis enim Asiani pascha cum Judæis celebraverint, non tamen ex eo sequitur, illos sabbatum magnum cum Judæis pariter observasse. VALES. Usserio assentiuntur Beveregius *annott. in can. apost.* 66. p. 33. et Pearson. *de annis Rom. epis.* p. 294. citante Readingo ad h. l. HEIN.

Ib. *ὁ εἰρήναρχος Ἡρώδης*] Irenarchæ munus erat, seditiosos homines et pacis publicæ turbatores comprehendere, et præmissa notoria ad tribunalia judicum perducere, ut docet Augustinus epist. 140. et 159. Hinc est quod Herodes irenarcha Smyrnæorum, Polycarpum hic vehiculo sua excepisse dicitur, quem scilicet per satellites suos inquiri et comprehendi jusserat. Creabantur autem irenarchæ ex corpore curiæ, ut indicat lex 49. in codice Theodosiano de decurionibus, in qua præpositi pacis dicuntur. In epistolis Libanii *ἄρχοντες τῆς εἰρήνης*. Tandem Theodosius junior in oriente penitus eos abolevit. Exstat ejus constitutio in codice Theodosiano. Ha-

bebant autem sub dispositione sua equites ac diogmitas. Erant hi levis armaturæ milites, ad persequendos et capiendos latrones comparati. Similes pæne sunt irenarchis hi quos præpositos Mareschallorum vulgo appellamus. VALES.

15, 15. *ἀνηρώτα ὁ ἀνθύπατος*] Hic proconsul Asiæ vocabatur Statius Quadratus. Sic enim recte scribitur in veteri interpretatione Latina hujus epistolæ, quam primus edidit Jac. Usserius Armachanus. Male in Græco textu *στράτιος*, nec rectius in Chronico Alexandrino *τάτιος* exaratur. Is est, ut opinor L. Statius Quadratus qui consul fuit principatu Antonini Pii, anno urbis conditæ 895. ut legitur in fastis Onuphrii. Ejusdem proconsulis Asiæ meminit Aristides in prima et quarta orationum sacrarum, ubi etiam illum rhetorem vocat. Quare non dubito, quin idem sit cum Quadrato consule, quem Philostratus Vari Sophistæ magistrum fuisse dicit, qui proposito argumento ex tempore declamare solitus esset, ac Favorinum Sophistam æmularetur. Quo anno proconsulatum Asiæ gesserit, non dicit quidem Aristides. Verum ex ejus narratione id elici posse mihi videtur. Etenim in 4. orat. sacrarum ait Aristides, paulo post pestem illam quæ in Asia grassata est, Severum proconsulem fuisse. Eusebius in Chronico eam pestem confert in annum 8. M. Aurelii Antonini. Proinde Severus anno M. Aurelii 9. proconsul Asiæ fuit. Eodem proconsule Aristides scribit se literas accepisse ex Italia ab imperatoribus, a seniori scilicet Augusto et ab ejus filio. Ubi Augusti nomine intelligit Marcum. Filius autem Imp. est Commodus, qui jamtum Cæsar fuerat appellatus. Ante Severum proximo anno proconsul fuerat Pollio, ut ibidem testatur Aristides. Proxime vero ante Pollionem Asiæ proconsul fuerat Quadratus noster. Sic enim ait Aristides in eadem oratione, ubi postquam ea retulit quæ Pollione proconsule sibi acciderant: *Age*, inquit, *quasi per scalam progredientes, id quod ante hæc contigit memoremus. Cum Sophista ille, cujus paulo ante memini, proconsul esset*, etc. Hic Sophista sine dubio Quadratus est, cujus mentionem antea fecit Aristides in eadem orat. 4. ubi etiam eum rhetorem appellat. Ita Quadratus proconsul Asiæ fuit anno 7. imp. Marci. Quo etiam anno Eusebius in Chronico Polycarpi martyrium refert. Falluntur itaque qui Polycarpi martyrium

serius retulerunt, anno scilicet 9. imp. Marci. Cum enim ex Aristidis testimonio constet, Quadratum sub quo passus est Polycarpus, anno 7. imp. Marci, proconsulatum Asiæ gessisse, Polycarpi mors in eum annum necessario conferenda est. VALES. Hanc Valesii argumentationem esse satis debilem, neque nominatim ex illa peste per multos annos grassata certum anni tempus posse definiri monuere Pearson. *de annis Rom. ep.* p. 290. sq. Pagi *Crit.* t. i. p. 163. laudante Readingo ad h. l. Iidem affirmant verisimillimum esse, Severum a. 12. Marci proconsulem Asiæ factum esse a. C. 172., cum fuisset secundum Consul anno priori, Pollionem eum præcessisse in proconsulatu a. Marci 11., cum consul fuisset a. Marci 6., Quadratum præcessisse Pollionem in proconsulatu a. Marci 10, qui consul fuerat ex Valesii sententia a. Marci 7. Quadratum igitur Aristidis, qui non dicitur Statius Quadratus, ut putet Val., a. C. 170. proconsulem fuisse Asiæ, Statium contra Quadratum consulem ordinarium a. C. 142. Sed Quadratum Aristidis esse eundem cum T. Numidio Quadrato consule a. C. 167. HEIN.

15, 20. τὸν Ἀσιάρχην] Rufinus *munerarium* vertit, quod equidem probare non possum. Etsi enim asiarchæ munera edebant, non hoc tamen erat peculiare eorum officium. Multi quippe alii hujusmodi spectacula exhibebant, verbi gratia magistratus municipales seu duumviri, ut est in lege 1. cod. Theod. de spectaculis, et apud Tertull. de spectaculis c. 12.[r] Vertendum igitur est *Asiarcham.* Erant autem Asiarchæ sacerdotes Communis Asiæ. Nam cum Asiani communia haberent templa, sacra, festos dies, et commune concilium, commune etiam habebant gentis sacerdotium, quod Asiarchia dicitur in libris juris. Eligebantur autem Asiarchæ hoc modo. Singulæ urbes Asiæ initio cujusque anni, id est, sub æquinoctium autumnale, concionem habebant, in qua unum ex suis civibus Asiarcham nominabant, legatos deinde mittebant ad commune gentis concilium, qui nomen ejus qui domi electus fuerat renuntiarent. Tum σύνεδροι ex omnibus iis quos singulæ civitates Asiarchas nominaverant, decem circiter eligebant. Docet id Aristides in quarta orationum sacrarum, ubi se tertium aut quartum Asiarcham a synedris, id est, a com-

[r] Cf. interpp. ad Act. xix. 31. HEIN.

muni Asiæ consilio designatum esse dicit. Sed difficultas est, utrum hi omnes qui in publico Asiæ concilio designati fuerant, simul sacerdotium gesserint, an vero unus duntaxat fuerit Asiarcha. Plures quidem fuisse quotannis Asiarchas affirmat Jac. Usserius Armachanus, eo quod in cap. 19. Actuum Apostolorum, plures memorantur Asiarchæ suasisse Paulo, ne in theatrum Ephesiorum prodiret. Sed locus ille Actuum nihil probat. Asiarchæ enim illic vocantur qui Asiarchæ sacerdotium gesserant, eo plane modo quo pontifices Judæorum in evangelio dicuntur, quotquot pontificatum antea administraverant. Ego vero libentius crediderim, unum duntaxat fuisse quotannis Asiarcham. Licet enim plures a synedris designari solerent, id forte fiebat, ut ex eorum numero unum aliquem proconsul Romanus eligeret, quemadmodum de irenarchis fieri solitum esse tradit Aristides in eadem oratione. Potuit etiam id consulto fieri a synedris, ut si forte is qui primus Asiarcha ab ipsis fuerat designatus, fato concederet priusquam sacerdotii sui munus explesset, alter esset qui ejus locum expleret. Unum porro fuisse quotannis Asiarcham apparet ex fine hujus epistolæ, ubi Polycarpus dicitur passus esse sub Philippo Asiarcha, proconsule autem Asiæ Statio Quadrato. Nam si plures erant Asiarchæ, non unus tantummodo nominari debuit. Porro valde onerosum erat hoc sacerdotium, atque idcirco nonnisi opulentiores ad id gerendum eligebantur. Hinc est quod Strabo observat, Asiarchas fere ex Trallianis desumptos fuisse, propterea quod ejus urbis cives totius Asiæ opulentissimi essent. Non solius autem Asiæ, sed generaliter omnium provinciarum sacerdotes munera edebant, ut docet Tertull. de spectac. c. 12. Augustinus in epistola 5. de Apuleio loquens: *Qui sacerdos provinciæ pro magno fuit, ut munera ederet, venatoresque vestiret, et pro statua sibi apud Coënses locanda, ex qua civitate habebat uxorem, adversus contradictionem quorundam civium litigaret.* Ubi obiter moneo scribendum esse *apud Oënses.* Uxor enim Apulei erat ex Oëa urbe Africæ. Ex his intelligitur cur tantopere laboraverit Aristides, ut publico Asiæ sacerdotio liberaretur. Quippe id onus erat gravissimum, cum Asiarchæ ad editionem munerum constringerentur. Philostratus in Scopeliano Sophista: ἀρχιερεὺς μὲν ἐγένετο τῆς Ἀσίας αὐτός τε καὶ πρόγονοι αὐτοῦ, παῖς ἐκ πατρὸς πάντες. Ὁ δὲ

στέφανος οὗτος πολὺς, καὶ ὑπὲρ πολλῶν χρημάτων. Id est: *Pontifex Asiæ seu Asiarcha fuit ipse et majores ejus, ita ut continua serie filius patri succederet. Est autem hujus sacerdotii honos non mediocris, nec mediocri pecunia constat.* VALES. De Asiarchis præterea vid. Salmas. *ad Solin.* 40. p. 566. Lightfoot. *horr. Hebrr.* p. 250. Spanhem. *de usu et præstantia numm.* p. 694. cf. Winer. *biblisches Realwörterbuch* p. 61 sq. HEIN.

15, 22. *ὑπολύειν ἑαυτὸν*] Hujusmodi officium episcopis et confessoribus præstare solebant veteres Christiani. Sic in passione Fructuosi episcopi legimus: *Cum venisset ad amphitheatrum, statim ad eum accessit Augustalis nomine lector ejusdem, cum floribus deprecans, ut eum excalciaret.* VALES.

15, 23. *πρὸ τῆς πολιᾶς ἐκεκόσμητο*] Inusitata vox eo quidem sensu, pro eo quod alii dicerent *ἐτετίμητο.* At Nicephorus cum hæc non intelligeret, locum interpolavit hoc modo: *ἀγαθῇ γὰρ πολιτείᾳ, καὶ πρὸ τῆς πολιᾶς ἐκεκόσμητο.* In Usseriana autem editione locus hic aliter interpolatus est in hunc modum: *ἐν παντὶ γὰρ καλῷ, ἀγαθῆς ἕνεκεν πολιτείας, καὶ πρὸ τῆς μαρτυρίας ἐκεκόσμητο.* VALES. De illo usu vocis *κοσμεῖν* dubitat etiam Stroth., qui excidisse putat *παντοίῃ τιμῇ.* HEIN.

Ib. *τὰ πρὸς τὴν πυρὰν ἡρμοσμένα ὄργανα*] Tunicam molestam intelligo, pice ac bitumine illitam, de qua Juvenalis ejusque scholiastes loquitur. Item palum seu stipitem ad quem alligabantur comburendi, denique clavos ac funes, ut videre est in actis Pionii martyris sub finem. VALES.

15, 24. *παντοκράτωρ*] De hac Dei appellatione Gregor. Nazianz. orat. XI. contra Eunomium: *οὐκοῦν,* inquit, *ὅταν τῆς παντοκράτωρ φωνῆς ἀκούσωμεν, τοῦτο νοοῦμεν, τὸ παντὰ τὸν θεὸν ἐν τῷ εἶναι συνέχειν, ὅσα τε νοητὰ, καὶ ὅσα τῆς ὑλικῆς ἐστι φύσεως· διὰ τοῦτο γὰρ κατέχει τὸν γυρὸν τῆς γῆς, διὰ τοῦτο ἔχει ἐν τῇ χειρὶ τῆς γῆς τὰ πέρατα, διὰ τοῦτο περιλαμβάνει τὸν οὐρανὸν ἐν σπιθαμῇ, διὰ τοῦτο περιμετρεῖ τῇ χειρὶ τὸ ὕδωρ, διὰ τοῦτο τὴν νοητὴν πᾶσαν κτίσιν ἐν ἑαυτῷ περιέχει, ἵνα πάντα ἐν τῷ εἶναι περιμένῃ τῇ περιεκτικῇ δυνάμει περικρατούμενα.* Theophil. Antioch. ad Autolycum lib. i. *παντοκράτωρ λέγεται ὅτι αὐτὸς τὰ πάντα κρατεῖ κ. λ.* cf. Le Moyne *varr. sacr.* tom. ii. p. 124. sqq. HEIN.

15, 26. *Ἀναπέμψαντος δὲ τοῦ ἀμὴν*] Verbum *ἀναπέμψαντος* hoc mihi indicare videtur, ipsam quidem orationem tacite ac

submissa voce a Polycarpo pronuntiatam fuisse, Amen vero edita voce prolatum. Itaque recte Rufinus vertit: *et cum amen insonuisset*[s]. Conjecturam nostram confirmant acta passionis Pionii martyris quæ sic habent: *Cumque Pionius oculos clausisset, turba illum animam egisse suspicabatur, sed ipse secreto precabatur. Cumque precandi finem fecisset, oculos aperuit. Jamque flamma sublimis ascendebat, cum hilari vultu postremum Amen pronuntians*, etc. Sane hanc olim consuetudinem fuisse Christianorum, ut in fine orationis Amen clara voce resonarent, docet ritus qui etiamnum servatur in ecclesia[t], ut scilicet post singulas orationes a sacerdote pronuntiatas, populus universus acclamet *Amen*, de quo more Athanasius in apologia ad imp. Constantium p. 683. Palladius in vita Chrysostomi: ἐπισφραγισάμενος τὸ ὕστερον ἀμήν. VALES. Nonnulla videntur monenda de verbis quæ sequuntur: καὶ πληρώσαντος τὴν προσευχήν. Quæ quidem melius puto vertisse Valesium: *precationemque* (quasi) *complesset* quam Strothium: *und das Gebet vollendet hatte.* Neque enim πληροῦν h. l. simpliciter esse videtur *finire*, quo satis jejunum et supervacaneum redderetur illud, quod additum legitur: καὶ—τὴν προσευχήν. Nonne enim pronunciato illo amen preces esse *finitas* per se patet? Imo πληρῶσαι dicitur Polycarpus preces suas pronuntiato amen i. e. consummasse ac prorsus quasi ratas fecisse, cum illud amen non posset recte deesse, *das Gebet vollgültig machen, vervollständigen, in voller, bester Form leisten.* Cf. Euseb. V. C. iii. 12.

s Valesius adeo vertit: *cum clara voce Amen insonuisset.* Strothius: *da er das Amen ausgesprochen hatte.* Neuter recte, sed pessime Valesius, qui, cum de vera verbi ἀναπέμπεσθαι vi h. l. non cogitaret, putavit adeo, preces quas amen illud secutum est, tacite esse a Polycarpo pronuntiatas, cum tamen tum illas tum amen haud dubie ita dixisse putandus sit Polycarpus, ut omnes audirent. Sed in verbo ἀναπέμπεσθαι plus inest quam in illo verbo εἶπεν, quo oratio inchoatur, et quod tamen de ipso illo amen a populo pronuntiato non minus usurpatur vi. 43. ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν τὸ ἀμήν: ubi si quis tacite populum esse locutum cogitaret, non minus erraret, quam si h. l. ex illo εἶπεν in orationis Polycarpi initio posito, illam submisse esse pronuntiatam colligeret. cf. vii. 9. συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμήν. Imo vero verbo ἀναπέμπεσθαι *ut non negatur amen illud clara et perspicua voce dictum esse*, ita neque preces antecedentes tacite factas esse ostenditur, simul autem hoc significatur, ad Deum illud esse quasi missum, Deo *oblatum*, qua de re verbum illud est fere solenne. Vid. Suicer. *Thes.* tom. i. p. 292. i. cf. Justin. M. Apolog. ii. p. 131. ed. Grabe. καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ (τῷ ποιητῇ πάντων) ἀναπέμπει, de quo loco cf. Ernesti *Antimuratorius* p. 14—17. Euseb. V. C. iv. 63. Κἄπειτα τὴν φωνὴν ἀνυψώσας εὐχαριστήριον ἀνέπεμψε τῷ Θεῷ προσευχήν. Cf. ibid. iii. 15. iv. 71. HEIN.

t ? HEIN.

Εὐχῆς μὲν ἐμοὶ τέλος ἦν i. e. Valesio interprete: hæc erat *summa votorum meorum*, vel: hoc spectabam tanquam ejusmodi, quo omnis mea precatio consummaretur. Cf. quæ de simili verbi πληροῦν in N. T. usu disputavit Paulus *Commentar über das N. T.* t. i. p. 125. sqq. Homer. Odyss. ii. 378. αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ὀμόσεν τε, τελεύτησέν τε τὸν ὅρκον. Vid. ad h. l. Nitzsch. *erklärende Anmerkungen zur Odyssee* t. i. p. 115. Eodem modo Odyss. xii. 304. HEIN.

15, 27. κομφέκτορα] Confectores dicebantur qui bestias in amphitheatro conficiebant. De his Suetonius in Nerone cap. 12. et Josephus Scaliger in notis ad Manilium. Qui tamen in eo falli videtur, quod confectores ferarum confundit cum bestiariis. Neque enim confectores cum bestiis pugnabant sicut bestiarii, sed ad conficiendas feras immittebantur, si quando efferatæ bestiæ stragem populo minarentur, ut aliquoties contingebat. Hi confectores lancearii dicuntur in gestis præsidialibus Tarachi, Probi et Andronici cap. 10. *Iratus præses mandat lanceariis ursum occidi.* VALES.

15, 28. κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ] Hic locus inprimis notabilis est, quippe qui vetustissimam Christianorum consuetudinem, ac præterea rationem ejus nobis ostendit. Ideo enim reliquias martyrum aliquas habere tanto studio optabant, ut cum iisdem etiam mortuis communicarent. Nec contenti ea communione sanctorum quam catholica profitetur ecclesia, per fidem scilicet, spem ac charitatem, per sacras etiam eorum reliquias et pignora, cum ipsis communicare cupiebant. Itaque eorum reliquias in cœmeteriis honorifice condebant, ibique quotannis convenientes, anniversarium martyrii diem celebrabant, hac ratione cum defuncto martyre perpetuo communicantes, ut testatur hæc epistola paulo infra. Atque id faciebant ex præcepto apostoli Pauli, qui in epistola ad Rom. cap. 12. communicare nos sanctorum memoriis jubet. Certe Optatus in libro ii. verba illa apostoli *memoriis sanctorum communicantes* ita interpretatur, ut idem significent, quod offerre ad sepulcra martyrum. Nec aliter sumit Hilarius in libro contra Constantium sub finem. De hac communione loquitur Marcellinus presbyter in libello precum ad Valentinianum Imp. ubi de Oxyrynchitis qui sancti Pauli ipsorum quondam antistitis memoriam devotissime celebrabant: *Habentes*, inquit,

secum presbyteros et diaconos illius illibatæ fidei, per quos fruebantur divinis sacramentis, una cum super memorato beatissimo Paulo. Et hæc quidem de publico cultu reliquiarum quæ in cœmeteriis recondebantur. Fuit et alius mos secutis temporibus, ut singuli fidelium reliquias martyrum quascumque nancisci potuerant, domi honorifice servarent. De quo more audi quid senserit Eusebius noster in sermone 2. de resurrectione: *Non enim projecit quam incidit, sed accipiens eam ut medicamen ad sanitatem illius delicti quod admiserat abnegando, domi recondit, ut consuerunt infirmiores, fideles tamen, honorare si quid a martyribus sumpserint.* Huc etiam referendus est mos Ægyptiorum, qui martyrum corpora non humabant, sed domi in lectulis reposita servabant, ut refert Athanasius in vita b. Antonini. VALES. Vide quæ more suo i. e. egregie de primævæ ecclesiæ erga martyres et sanctos veneratione ac cultu disseruit Cramer. *Fortsetzung des Bossuet* t. ii. p. 493. sqq. p. 512. sq. cf. Euseb. H. E. v. 1. Cyprian. epist. 8. 12. HEIN.

15, 29. *ἀγνοοῦντες—γενέσθαι*] Patet inde luculentissime illo tempore nondum divinum cultum martyribus tributum esse. Egregie Isidorus Pelusiota epist. i. 199. Καλὸν μὲν τὸ τιμᾷν τοὺς μάρτυρας τῆς εὐσεβείας τοῖς ἀναθήμασι, κρεῖττον δὲ τὸ θεραπεύειν αὐτοὺς οἷς ἐποίησαν κατορθώμασι. Similiter Chrysostomus apud Phot. bibl. cod. 274. ἐγκωμιάζονται μάρτυρες, οὐχ ἵνα αὐτοὶ τὸν ἔπαινον λάβωσιν, ἀλλ' ἵνα ἡμεῖς διὰ τῶν ἐπαινῶν διαναστῶμεν πρὸς τὴν μίμησιν. cf. Suicer. *Thes.* t. ii. p. 311. 2. s. v. μάρτυρ. Eusebius tamen magno honore et justo majori martyres persequitur cf. ii. 17. vii. 12. Möller. *de fide Eus.* p. 64. Gieseler. *Lehrb. der K. G.* tom. i. p. 150. not. u. Jam vero non minus sequitur ex verbis οὔτε—σέβειν et τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ, προσκυνοῦμεν, quæ opponuntur illis: τοὺς δὲ μάρτυρας ἀγαπῶμεν ἀξίως, veterem ecclesiam cultu *divino* Christum tanquam Dei Filium esse prosecutum eodem modo, quo Patrem, et recte *illud* defendit Augusti *Denkwürdigkeiten* tom. v. p. 28—33. cf. Bingham. *Orig.* tom. v. p. 31—59. Hinc frustra Wegscheider. *Institt. dogm.* p. 259. ed. iv. "*Locus,*" inquit, "*apud Plinium——per se nullius momenti est, neque cultum religiosum Christo, ut summo Deo, a Christianis exhibitum fuisse demonstrat.*" cf. supra c. 8. ὃν—ὡς Θεὸν—σέβειν.

Vere enim vel de h. l. judicavit Augusti l. l. p. 29. *We may here interpret "carmen dicere" of a song, hymn, &c. in honour of the founder, or of a prayer addressed to him——Christ, the founder of the religion and church, still remāins the object of adoration. And if we wished to take the words "quasi Deo" in their strictest sense as a mere comparison and apotheosis, the proconsul would still assert something of the founder of Christianity, which we do not find elsewhere after this fashion.* Sed ex his antiquitatis testimoniis nihil posse colligi ad adorationem Christi ipsam probandam, quod tamen simul credere videtur Augusti l. l. p. 33. sq., certius etiam esse existimo. HEIN.

Ib. *οὔτε—οὔτε* recte h. l. scriptum videtur. Una enim est negatio *καταλιπεῖν τὸν Χριστὸν* ita tamen, ut quod in hoc non necessario cogitatur, cultus alii cuidam exhibendus, simul exprimatur per sequens *ἕτερόν τινα σέβειν*. Esset igitur sensus hic: Neque Christum relinquere, ita ut nec alium colas: neque Christum relinquere, ita ut simul alii illius cultum tribuamus. cf. iii. 23. p. 235. vid. Hermann. *ad Eurip. Med.* p. 330. sqq. *ad Philoct.* p. 140. cf. Winer. *neutest. Gramm.* §. 48. 3. HEIN.

15, 31. *ἐπιτελεῖν—γενέθλιον*] Solebat memoria martyrum a Christianis quotannis die illo quo martyrium subierant, et qui improprie vocabatur *ἡμέρα γενέθλιος, γενέθλια τῶν μαρτύρων*, natales, natalitia martyrum (cf. Suicer. *Thes.* t. i. p. 747. ii. 1.), recoli conventibus maxime sacris habitis. Cf. Tertull. de coron. mil. 3. oblationes pro defunctis, *pro natalitiis* annua die facimus. vid. Bingham. *Orig.* t. vi. p. 330. sq. Casp. Sagittarius *de natalitiis martyrum in primitiva ecclesia,* Jen. 1678. auctius edidit I. A. Schmid. 1696. 4. I. H. Stuss. *Commentt. de natalitiis eccless.* Goth. 1737—38. 4. I. P. Schwabe *de insigni veneratione quæ obtinuit erga martyres in primit. ecclesia,* Altdorf. 1748. 4. Augusti. *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archaeol.* tom. iii. p. 130. sqq. tom. vi. p. 104. sq. cf. ibid. p. 276. tom. i. p. 104. 140. HEIN.

15, 32. *ἐν παντὶ τόπῳ λαλεῖσθαι*] Finis hujus Smyrnæorum epistolæ omissus est ab Eusebio, propterea quod ad institutum ipsius parum facere videbatur, et quia in alio opere integram epistolam retulerat, in libro scilicet de antiquis martyrum passionibus. Nos vero ex editione Usseriana extremam

hujus epistolæ partem supplebimus, ne studiosi lectores in hac editione nostra quidquam desiderare possint. Sic autem habet:

Οὐ μόνον διδάσκαλος γενόμενος ἐπίσημος, ἀλλὰ καὶ μάρτυς ἔξοχος· οὗ τὸ μαρτύριον πάντες ἐπιθυμοῦσι μιμεῖσθαι, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον Χριστοῦ γενόμενον· διὰ τῆς ὑπομονῆς γὰρ καταγωνισάμενος τὸν ἄδικον ἄρχοντα, καὶ οὕτως τὸν τῆς ἀφθαρσίας στέφανον ἀπολαβὼν, σὺν τοῖς ἀποστόλοις καὶ πᾶσι δικαίοις ἀγαλλιώμενος, δοξάζει τὸν Θεὸν καὶ πατέρα, καὶ εὐλογεῖ τὸν Κύριον ἡμῶν, καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας. Ὑμεῖς μὲν οὖν ἠξιώσατε διὰ πλειόνων δηλωθῆναι ὑμῖν τὰ γενόμενα, ἡμεῖς δὲ κατὰ τὸ παρὸν ἐπὶ κεφαλαίῳ μεμηκύναμεν διὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν Μάρκου. Μαθόντες οὖν ταῦτα, καὶ τοῖς ἐπέκεινα ἀδελφοῖς τὴν ἐπιστολὴν διαπέμψασθε, ἵνα καὶ ἐκεῖνοι δοξάζωσι τὸν Κύριον, τὰς ἐκλογὰς ποιοῦντα ἀπὸ τῶν ἰδίων δούλων, τῷ δυναμένῳ πάντας ἡμᾶς εἰσαγαγεῖν ἐν τῇ αὐτοῦ χάριτι καὶ δωρεᾷ εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ βασιλείαν, διὰ παιδὸς αὐτοῦ τοῦ μονογενοῦς Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα, τιμὴ, κράτος, μεγαλοσύνη εἰς αἰῶνας, Ἀμήν! Προσαγορεύετε[u] πάντας τοὺς ἁγίους· ὑμᾶς οἱ σὺν ἡμῖν προσαγορεύουσιν, καὶ Εὐάρεστος ὁ γράψας πανοικεῖ, μαρτυρεῖ δὲ ὁ μακάριος Πολύκαρπος μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων, σαββάτῳ μεγάλῳ, ὥρᾳ ὀγδόῃ. συνελήφθη ὑπὸ Ἡρώδου, ἐπὶ ἀρχιερέως Φιλίππου Τραλλιανοῦ, ἀνθυπατεύοντος Στατίου Κοδράτου, βασιλεύοντος δὲ εἰς τοὺς αἰῶνας Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ὧι ἡ δόξα, τιμὴ, μεγαλοσύνη, θρόνος αἰώνιος ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενεάν. Ἐρρῶσθαι ὑμᾶς εὐχόμεθα, ἀδελφοὶ, στοιχοῦντας τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον λόγῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ᾽ οὗ δόξα τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ καὶ Ἁγίῳ Πνεύματι, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῇ τῶν ἁγίων ἐκλεκτῶν, καθὼς ἐμαρτύρησεν ὁ μακάριος Πολύκαρπος, οὗ γένοιτο ἐν τῇ βασιλείᾳ Ἰησοῦ Χριστοῦ πρὸς τὰ ἴχνη εὑρεθῆναι ἡμᾶς. Ταῦτα μετεγράψατο μὲν Γάϊος, ἐκ τοῦ Εἰρηναίου, μαθητοῦ τοῦ Πολυκάρπου, ὃς καὶ συνεπολιτεύσατο τῷ Εἰρηναίῳ· ἐγὼ δὲ Σωκράτης ἐν Κορίνθῳ ἐκ τοῦ Γαΐου ἀντιγράφων ἔγραψα· ἡ χάρις μετὰ πάντων. Ἐγὼ δὲ πάλιν Πιόνιος ἐκ τοῦ προγεγραμμένου ἔγραψα, ἀναζητήσας αὐτὰ, κατὰ ἀποκάλυψιν φανερώσαντός μοι Πολυκάρπου, καθὼς δηλώσω ἐν τῷ καθεξῆς, συναγαγὼν αὐτὰ ἤδη σχεδὸν ἐκ τοῦ χρόνου κεκμηκότα, ἵνα καί με συναγάγῃ ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν

u Vitiose in omnibus editionibus Val. et ipsius Readingi legebatur προσαγορεύεται. HEIN.

αὐτοῦ, ᾧ ἡ δόξα, σὺν Πατρὶ καὶ Ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν! Id est:

Qui non solum doctor insignis, verum etiam summus exstitit martyr, cujus martyrium omnes imitari student, quippe quod cum evangelio Christi consenserit. Etenim injustissimum præsidem patientia ac tolerantia superavit. Et hac ratione immortalitatis coronam adeptus, una cum apostolis atque omnibus sanctis lætus glorificat Deum Patrem, et benedicit Dominum nostrum, gubernatorem corporum nostrorum, et catholicæ per universum orbem ecclesiæ pastorem. Ac vos quidem petieratis ut cuncta quæ gesta sunt, fusius exponeremus. Nos vero inpræsentiarum brevi compendio indicavimus per fratrem nostrum Marcum. Quæ vos posteaquam acceperitis, rogamus ut ad fratres ulterius positos epistolam transmittatis, quo et illi Dominum benedicant, qui ex suis famulis quoscumque vult, eligit, qui gratia sua atque indulgentia omnes nos in regnum suum æternum potest inducere, per Filium suum unigenitum Jesum Christum, cui gloria, honor, imperium ac majestas in sæcula, Amen! Salutate omnes sanctos, universi qui nobiscum sunt, vos salutant, et Evarestus hujus epistolæ scriptor cum omni domo sua. Passus est autem beatus Polycarpus die secundo mensis Xanthici, ante diem 7. Calendas Martias, magno sabbato, hora octava. Captus est ab Herode, pontifice Asiæ Philippo Tralliano, Statio Quadrato proconsule, regnante in sæcula Jesu Christo, cui gloria, honor, majestas ac thronus sempiternus ab ætate in ætatem. Optamus vos in Domino valere, fratres carissimi, inhærentes præceptis atque evangelio Jesu Christi, cum quo gloria et honor Deo Patri sanctoque Spiritui, ob salutem sanctorum qui electi sunt a Deo. Quorum exemplo passus est beatus Polycarpus. Ad cujus vestigia optamus ut in regno Christi locum habere mereamur. Hæc ex libro Irenæi, discipuli b. Polycarpi descripsit Caius, qui etiam versatus est cum Irenæo. Ego vero Socrates Corinthi transcripsi ex Caii exemplari. Gratia sit cum omnibus. Posthæc ego Pionius ex supradicto descripsi, cum exemplaria diu quæsivissem, et Polycarpus per visionem ea mihi revelasset, ut inferius declarabo: cum autem vetustate ac longinquitate temporis prope corrupta essent, collegi ea, ut me quoque cum electis suis colligat Dominus noster Jesus Christus, cui cum Patre et sancto Spiritu gloria in sæcula sæculorum. Amen!

Hæc idcirco hic adscribenda esse dixi, ut tam illustre antiquitatis ecclesiasticæ monumentum hic quoque integrum legeretur. Sunt autem in calce hujus epistolæ quædam diligentius observanda. Primum est, hanc epistolam non continuo post Polycarpi martyrium, sed aliquanto post tempore a Smyrnæis scriptam fuisse. Nam cum Philomelienses de Polycarpi martyrio fama tantum ac rumore tenus audiissent, literas dederunt ad Smyrnæorum ecclesiam, rogantes ut cuncta quæ in beatissimi viri passione gesta fuerant, singillatim perscripta ad ipsos mitterentur. Quod quidem libentissime præstiterunt Smyrnæi, scripta ad ipsos epistola quam in manibus habemus. Id autem subindicant his verbis: *ὑμεῖς μὲν οὖν ἠξιώσατε διὰ πλειόνων δηλωθῆναι ὑμῖν τὰ γενόμενα*, etc. Secundo notandum est, Polycarpi martyrium passim in hac epistola evangelicum martyrium appellari. Nam et initio epistolæ aiunt Smyrnæi: *σχεδὸν γὰρ πάντα τὰ προάγοντα ἐγένετο, ἵνα ἡμῖν ὁ Κύριος ἄνωθεν ἐπιδείξῃ τὸ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον μαρτύριον.* Et in extrema epistolæ parte: *οὗ τὸ μαρτύριον πάντες ἐπιθυμοῦσι μιμεῖσθαι, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον Χριστοῦ γενόμενον.* Cur autem consonum evangelio Christi vocetur hoc Polycarpi martyrium, utrobique afferunt rationem Smyrnæi, quod scilicet Polycarpus fugerit eos, qui ipsum persequebantur, exemplo Christi exspectans donec traderetur, et quod iniquitatem præsidis patientia sua superavit. Illud etiam observandum est, hanc Smyrnæorum epistolam perlatam quidem fuisse a Marco, scriptam vero manu Evaresti cujus nomen adscripserunt Smyrnæi exemplo apostoli Pauli, qui in suis ad Romanos literis Tertii quoque literarum scriptoris nomen apposuit. Postremo notandum est, quod Polycarpus passus esse dicitur die secundo mensis Xanthici, id est, ante diem 7. Calendas Martias. Usserius quidem tum in notis ad epistolam Smyrnæorum, tum in libro de anno solari Macedonum et Asianorum, cap. 1. affirmat Smyrnæos præter morem reliquarum Asiæ civitatum, mensem Xanthicum exorsos fuisse a die 25 mensis Martii. Sed cum ad id probandum nullam rationem afferat, in eo non possum illi assentiri. Quis enim credat, Smyrnæos in mensium Macedonicorum dispositione a reliquis Asiæ civitatibus dissensisse? Certe si ita fuisset, Smyrnæi diem quo passus est Polycarpus, non ita designassent, ut legitur in hac epistola:

μαρτυρεῖ δὲ ὁ Πολύκαρπος Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου. Sed ad vitandam ambiguitatem, adjecissent *καθ' ἡμᾶς τοὺς Σμυρναίους.* Ceterum Smyrnæos in anni ac mensium suorum dispositione prorsus cum Asianis consensisse, docent acta Pionii martyris qui passus est Smyrnæ in persecutione Deciana, in quibus ita scribitur: *Hæc acta sunt Julio proconsule ante* 4. *Idus Martias more Romanorum, Asiæ autem more, septimi mensis undecimo.* Rectius in Chronico Alexandrino legitur: *ὅ ἐστι κατὰ Ἀσιανοὺς μηνὶ ἕκτῳ ιβ.* Cum igitur Smyrnæi non aliter menses suos ordinaverint quam ceteri Asiani, apud Asianos vero mensis Xanthici initium in vicesimum secundum Februarii diem inciderit, idem quoque a Smyrnæis observatum sit necesse est. Quare in epistola Smyrnæorum de martyrio Polycarpi, scribendum est: *πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαρτίων*, ut legit vetus interpres. Nam secundus dies mensis Xanthici apud Smyrnæos et Asianos cadebat in 7. Calendas Martias. Certe eo die, 23. scilicet Februarii, et Smyrnæi et omnes Græci memoriam sancti Polycarpi semper celebrarunt, ut constat tum ex actis Pionii martyris, tum ex Menæis Græcorum. Quod si quis cum Usserio nobis objiciat, diem magni sabbati quo passus est b. Polycarpus, nunquam posse cadere in 7. Calendas Martias, respondebimus obscurum nobis esse atque incompertum, quodnam fuerit magnum illud sabbatum, cujus a Smyrnæis facta est mentio, tum in epistola ad Philomelienses de martyrio Polycarpi, tum in actis Pionii. Capellus quidem primum sabbatum quadragesimæ ita vocari existimavit. Cujus conjecturam sequetur qui volet. Sed cum diem ipsum quo passus est b. Polycarpus, tot tantisque testimoniis designatum habeamus, septimum scilicet Calendas Martias, præstat meo quidem judicio eam sententiam tueri, quæ tum Smyrnensis ecclesiæ, tum omnium orientalium tabulis confirmatur, quam incertis de magno sabbato conjecturis et Judæorum traditionibus inniti. Neque enim probabile est, Smyrnæos diem quo passus est b. Polycarpus, ignorasse; aut natalem ejus alio die quam quo passus fuerat, celebrasse, præsertim cum Smyrnæi in hac ipsa ad Philomelienses epistola diserte polliceantur, se quotannis diem ejus natalem pie sancteque esse celebraturos. Quare cum paulo ante Pionii martyrium, principatu Decii Augusti, id est, octoginta circiter annis a passione b. Poly-

carpi constet Smyrnæos natalem b. Polycarpi celebrasse 7. calendas Martias, nefas jam esse existimo de die passionis ejus amplius dubitare. VALES. Esse merum Valesii παρόραμα verba, *ut legit vetus interpres* et veram esse solam lectionem fastorum Siculorum Ἀπριλίων, cum vetus interpretatio ex tribus veteribus Latinis MSS. a Bollando adornata 7. *Calendas Maias* et eadem ab Usserio ex codd. Sarisburiensi et Cottoniano edita 7. *Calendas Maii* a nemine possit defendi, atque igitur Polycarpum passum esse die 7. Cal. Apriles, hoc est 26. Martii, animadvertit Pearson. *de annis episc. Rom.* p. 296. cf. p. 309. Pagi *Crit.* t. i. p. 163. citante Readingo ad h. l. Idem Pearson. l. l. p. 302. de passione Pionii sub Decio et de sinceritate actorum martyrii ejus, quæ adhuc exstant, dubitat cum Petavio et Scaligero. HEIN.

15, 33. Ἐν τῇ αὐτῇ δὲ περὶ αὐτοῦ γραφῇ καὶ ἄλλα μαρτύρια συνῆπτο] Male hunc locum accepit Rufinus, Nicephorus et Christophorsonus. Existimarunt enim in eadem illa de Polycarpi martyrio epistola, Pionii quoque et Metrodori aliorumque passiones a Smyrnæis commemoratas fuisse, cum tamen id non dicat Eusebius, sed tantum affirmet, epistolæ illi in qua de Polycarpi martyrio agebatur, adjunctas fuisse aliorum martyrum passiones, Pionii scilicet ac Metrodori. Certe Eusebius paulo post, epistolam de Pionii martyrio distinguit ab epistola illa in qua martyrium Polycarpi describitur: πληρέστατα τῆς περὶ αὐτοῦ γραφῆς περιεχούσης, τοὺς οἷς φίλον ἐπὶ ταύτην ἀναπέμψομεν. Et in hoc quidem fortasse excusari potest Eusebius. In eo vero quod Pionium, Metrodorum, Carpum et reliquos passos esse existimat principatu Marci Antonini, iisdem temporibus quibus passus est Polycarpus, nemo illam exsusare unquam potest[x]. Quippe ex actis Pionii, et ex actis Carpi et Papyli constat illos regnante Decio subiisse martyrium. Causam erroris Eusebio præbuit, quod acta illa Pionii et Carpi simul cum actis passionis sancti Polycarpi in uno codice compacta legebantur. Ex quo suspicatus est Eusebius, illos uno eodemque tempore passos fuisse. VALES.

15, 34. Μαρτυρίοις] Vid. infra v. procem. et cap. 4. HEIN.

15, 35. Ἑξῆς δὲ καὶ ἄλλων ἐν Περγάμῳ] Hunc locum ita

[x] Cf. Pearson. l. l. p. 306. HEIN.

accepit Christophorsonus, quasi acta martyrum Carpi et Papuli, in eadem illa Smyrnæorum epistola continerentur. Quod tamen verum non puto. Neque enim verisimile est, Smyrnæos martyria quæ Pergami gesta erant, in epistola sua retulisse. Probabilius est, acta hæc martyrum Pergamenorum a Smyrnæis vel a quibusdam aliis, ob argumenti similitudinem postea adjuncta fuisse epistolæ Smyrnæorum, et in unum quasi corpus redacta. Atque ita hunc locum cepisse videtur Nicephorus. Duas porro epistolas Smyrnæorum fuisse existimo, alteram quæ de Pionii martyrio seorsum commemoravit: quibus subjecta erant acta passionis Carpi et Papuli. Certe Pionius itemque Carpus et Papulus Decio imperante martyrium passi sunt, ut eorum acta hodieque testantur. Quare passio illorum referri non potuit in dicta Smyrnæorum epistola, quæ de Polycarpi martyrio adhuc recenti scripta est ad ecclesiam Philomelii temporibus Marci Antonini. Vide Baronium ad annum Christi 169. cap. 22. et Usserium in libro de anno solari Macedonum et Asianorum, cap. 3. VALES.

16, 1. *Δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδούς*] Eusebius infra cap. 17. mentionem iterum facit hujus secundi apologetici, quem Justinus imp. M. Aurelio Antonino pro Christianis dicaverat. Ejusdem libri meminit etiam Hieronymus in opere de scriptoribus ecclesiasticis. Scaliger in animadversionibus Eusebianis p. 201. ait hunc secundum Justini apologeticum, cujus hoc loco mentionem facit Eusebius, hodie non exstare, idque palam esse affirmat. In quo tamen longe fallitur. Etenim Eusebius, postquam dixit Justinum philosophum secundam pro Christianis apologiam M. Aurelio Antonino obtulisse, statim ex eadem oratione insignem locum affert, quo Justinus adversus Crescentem Cynicum philosophum invehitur. Qui quidem locus hodie exstat in apologia prima ejusdem Justini p. 46. editionis Parisiensis Græco-Latinæ. Verum in vulgatis Justini editionibus, orationes illius apologeticæ præpostero ordine collocatæ sunt. Nam quæ secunda ponitur in excusis exemplaribus, ea priore loco poni debuit. Quæ vero in editionibus prima recensetur, et ad senatum Romanum inscripta est, ea posteriore loco collocari debet, ut pluribus infra dicturi sumus. VALES. Cf. Cave *hist.* t. i.

p. 36. Pagi *Crit.* t. i. p. 156. citante Reading. ad h. l. Præterea vid. Tzschirner. *Græci et Romani scriptores cur rerum Christian. raro meminerint* Comment. ii. p. 8. HEIN.

Ib. Κρίσκεντος cf. Orig. contra Cels. lib. i. p. 53. iv. p. 186. 219. ed. Spencer. ἐν πολλοῖς πλατωνίζειν ἐθέλει. HEIN.

Ib. ἀκροατῶν παρόντων] Hæc periodus cum in Græco confusa sit ac perturbata, in duas a nobis divisa est, ut sensus apertior redderetur. Idque etiam ante nos præstitit Rufinus. VALES.

16, 2. καὶ ξύλῳ ἐντιναγῆναι] Ita codex Regius et Nicephorus hunc Justini locum exhibent. Sed in vetustissimo codice Mazarino scriptum inveni: κἂν ξύλῳ ἐντιναγῆναι. In Fuk. καὶ ἐν ξύλῳ ἐντιναγῆναι, in Medicæo καὶ ἐν ξύλῳ ἐνταγῆναι. Hodie in vulgatis Justini editionibus, excusum est καὶ ξύλῳ ἐμπαγῆναι, quomodo etiam in codice Medicæo prius scriptum fuerat. Eamque lectionem secutus Scaliger, in animadversionibus Eusebianis vertit *patibulo affigi.* At Christophorsonus et ante illum Langus Nicephori interpres, verterunt *fustuarium pati*, pessime meo quidem judicio. Rufinus *baculo et clava feriri*, quasi Justinus clavam et baculum Crescentis Cynici formidaverit. Ego vero ξύλον *nervum* interpretatus sum. Ita enim sumitur ea vox passim apud Eusebium, verbi gratia in libro quinto initio, τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν. Themistius oratione 9. οἱ δὲ ἐκ τῶν σκιμπόδων εἰς δεσμωτήρια συνηρπάζοντο, τοῖς δὲ οἱ σκίμποδες ἐγίνοντο ἀντὶ ξύλων. Ad quem locum recte doctissimus Petavius annotavit, ξύλον esse quod Latini dicunt *nervum*, ut est in veteribus glossis, eoque sensu apud Prudentium sumi lignum, cum ait:

Lignoque plantas inserit,
Divaricatis cruribus.

Quippe hujusmodi compedes erant e ligno. Idem Themistius in oratione nondum edita, quæ inscribitur Constantius seu de humanitate, de tyranno loquens: καθάπερ οἶμαι δεσμωτηρίου τις φύλαξ, πολλοὺς ἔχων δεσμώτας ὑφ᾽ ἑαυτὸν, ἀγαπᾷ τε καὶ γέγηθεν, ὅτι εὐτυχέστερός ἐστι τῶν ἐν τοῖς ξύλοις. Libanius in oratione pro Aristophane p. 215.[y] Lucas quoque in Actibus Apostolo-

[y] Cf. Euseb. H. E. vi. 39. viii. 10. Lysias in orat. i. contra Theomnestum: ἡ ποδοκάκκη αὐτή ἐστιν, ὦ Θεόμνηστε, ὃ νῦν καλεῖται, ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι. Vid. quæ præterea disputavit de hoc Le Moyne *varr. sacr.* tom. ii. p. 502. sq. HEIN.

rum cap. 16. loquens de Paulo et Sila quos Philippensium magistratus in carcerem conjecerant, *ξύλον* ita usurpat: *ἔβαλεν αὐτοὺς εἰς τὴν ἐσωτέραν φυλακὴν, καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον.* Vetus interpres ita vertit: *misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno.* Arator vero in lib. 2. apostolicæ historiæ, eandem rem narrans expressit his versibus:

Conveniunt, ubi carcer erat, quem sedibus imis
Includunt comitante Sila, vestigia quorum
Ligno mersa cavo vinclis tenuere beatis.

In Menæo Græcorum die 25. Septembris de SS. Paulo et Tatta: *Διαβληθέντες ὡς Χριστιανοὶ ξύλῳ ἠσφαλίσθησαν καὶ ἀλύσεσιν ἐδέθησαν.* Latini hoc lignum, etiam cippum dixere. Glossæ veteres cippus *ποδοκάκη.* Sic in passione Chrysanti et Dariæ: *Tunc irati milites mittunt eum in cippo novo et nodosissimo, ita ut in tertio puncto tibias coartarent. Igitur cum starent ante eum et insultarent ei, ita putrefactum est lignum totius cippi, ut in cinerem converteretur.* Sic legitur in codice MS. At Metaphrastes eadem acta describens sic habet ex versione Lipomani: *Milites indignati eum in carcerem conjecerunt, et triplici compede strinxere: quæ quidem cum ipsi adstarent, in pulverem redacta est.* Tertullianus *lignum* vocat. Sic enim in libro de patientia cap. 13. *Si et carcer premat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in solo.* VALES.

16, 3. *πρὸς χάριν καὶ ἡδονὴν τῶν πολλῶν τῶν πεπλανημένων*] Longe elegantior est lectio quam in tribus nostris codicibus reperimus Maz. Med. et Fuk. Sic autem habet: *πρὸς χάριν καὶ ἡδονὴν τῶν πολλῶν, πεπλανημένως τοῦτο πράττων.* Quæ emendatio adeo necessaria est, ut nisi ita scripseris, quæ sequuntur Justini verba, cum præcedentibus nullatenus cohæreant. Postquam enim dixit Justinus Crescentem indignum esse Philosophi vocabulo, propterea quod de rebus loqueretur quas penitus ignorabat, et Christianos impios vocabat ut gratiam captaret imperitæ multitudinis, addit deinde, illum in eo graviter errasse: *πεπλανημένως τοῦτο πράττων.* Rationem inde subjungit: *εἴ τε γὰρ μὴ ἐντυχὼν*, etc. eleganter omnino. Itaque non immerito in codice Regio ad latus horum verborum apposita est nota *Ωρ.* et supra accentus circumflexus, et *ον.* Quæ

nota significat ὡραῖον, id est locum venustum et elegantem. VALES.

16, 5. Καὶ ὅτι ἀληθῆ λέγω] Hanc loquendi vim et proprietatem non intellexit Christophorsonus. In hujusmodi autem locutione subauditur eleganter ἵνα εἰδῆται. VALES. De Justini ἐρωτήσεσι Χριστιανικαῖς πρὸς τοὺς Ἕλληνας vid. Grabii *Spicil. P. P.* tom. ii. p. 155. sqq. HEIN.

16, 6. τὸ Σωκρατικὸν ἀξιέραστον τιμᾷ] Intelligit egregiam illam Socratis sententiam quæ est apud Platonem, quam quidem ab Eusebio aut ab exscriptore omissam, necessario in versione nostra adjiciendam putavi. VALES. Adjecit Val. *Nullum esse veritati anteferendum virum.* Apud Justinum legitur illa Socratis vox: ἀλλ᾽ οὔτι γε πρὸ τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνήρ. HEIN.

Ib. σοφιστεύσας ἐν τοῖς Ἑλλήνων μαθήμασι] Rufinus *magistrum eloquentiæ* vertit: *Tatianus*, inquit, *vir eruditissimus, in prima ætate sua oratoriam docens.* Ita etiam vertit Hieronymus in catalogo. Theodoretus quoque in libro i. Hæreticarum fabularum, Tatianum primo sophistam fuisse testatur. Ipse Tatianus de se loquens in fine libri adversus Græcos, eodem utitur verbo quo Eusebius: ταῦτα μὲν οὖν οὐ παρ᾽ ἄλλου μαθὼν ἐξεθέμην, πολλὴν ἐπιφοιτήσας γῆν, καὶ τοῦτο μὲν σοφιστεύσας τὰ ὑμέτερα, τοῦτο δὲ τέχναις καὶ ἐπινοίαις ἐγκυρήσας πολλαῖς. Ubi vox σοφιστεύσας nihil ad eloquentiam pertinet, sed omnem Græcorum sapientiam et liberales disciplinas complectitur. Sane quod Tatianus ibidem ait se plurimas regiones peragrasse, multasque artes et inventiones mechanicas curiose didicisse, philosophum magis indicat quam professorem eloquentiæ. Adde quod liber ille adversus Græcos conscriptus, satis testatur auctorem parum in dicendo exercitatum fuisse[z]. Est enim eruditus quidem liber, sed sine ordine ac methodo compositus. VALES. Locum Tatiani Orat. adv. gent. p. 159. ed. *Paris.* quem in mente habuerit Eusebius h. l. citat Reuterdahl. p. 83. HEIN.

16, 7. ὁ καταφρονῶν, οὕτως Tatian. HEIN.

17, 1. ἐν τῇ προτέρᾳ αὐτοῦ μνημονεύει ἀπολογίᾳ] Scribendum est ἐν τῇ δευτέρᾳ, ut recte conjecit D. Petavius in animadversionibus ad hæresim xlvi. Epiphanii[a] p. 82, et P. Halloixius in

[z] Vid. Fabric. *Bib. Græc.* vol. iv. p. 87. sqq. HEIN.

vita S. Justini cap. 26.[a] Quippe Eusebius alio ordine apologias Justini recenset, quam quo nunc sunt editæ. Eam enim quæ in vulgatis editionibus secunda inscribitur, et Antonino Pio nuncupata est, Eusebius priorem appellat, ut videre est in capite 12. lib. iv. et in cap. 18. ejusdem libri. Sed et in libro ii. cap. 12. ubi Justinum de Simone Mago loquentem inducit, locum affert ex priore ejus apologetico, qui in 2. Justini apologia hodie legitur. Quæ vero in vulgatis editionibus prima dicitur apologia et ad senatum inscribitur, eam Eusebius secundam vocat, ut videre est in capite decimo-sexto, et M. Aurelio Antonino post obitum imperatoris Pii, oblatam esse dicit a Justino in cap. 16. et 18. Ego vero quod quidem spectat ad ordinem apologiarum Justini, facile assentior Ensebio, et illam quæ ad senatum vulgo inscribitur, posteriorem esse concedo, præsertim cum videam idem placuisse viris doctissimis, Bellarmino, Baronio et iis quos supra memoravi. Sed et Georgius Syncellus in Chronico ejusque interpres Anastasius Bibliothecarius ad annum Christi 46. prorsus cum Eusebio consentiunt. Sed quod priorem Justini apologeticum M. Aurelio Antonino nuncupatum esse scribit, in eo non possum illi assentiri. Nec ignoro viros doctissimos quos supra memoravi, cum Eusebio consentire. Sed quicumque rem ipsam accuratius expendere voluerit, inveniet profecto apologeticum illum, non ut scribit Eusebius M. Aurelio, sed potius Antonino Pio nuncupatum esse. Nam initio apologetici ait Justinus mulierem illam Christianam, cum a viro accusata esset, dedisse libellum imperatori: *καὶ ἡ μὲν βιβλίδιον σοὶ τῷ αὐτοκράτορι ἀναδέδωκε.* Quod si apologeticus ille successoribus Antonini Pii dicatus fuisset ut vult Eusebius, certe Justinus in plurali numero dixisset *ὑμῖν τοῖς αὐτοκράτορσιν.* Marcus enim et Verus ambo simul erant Augusti. Secundo scribit Justinus, Lucium quendam cum Ptolemæum Christianum ad supplicium duci videret, his verbis judicem compellasse: *οὐ πρέποντα Εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφου Καίσαρος παιδί.* Id est: *Non hæc decent imperatorem Pium, non philosophi Cæ-*

[a] Cf. Grab. *Spicileg. P. P.* t. ii. p. 134—160. Omnes tamen Cod. et ipse Ruf. *προτέρᾳ* exhibet, quod tenuit Stroth. quia fieri posset, ut vel ipse Eusebius in scribendo erraret, vel etiam in Justini apologiis nonnulla transponerentur. HEIN.

saris filium. Apud Eusebium in cap. 17. lib. iv. rectius legitur *οὐδὲ φιλοσόφῳ*, quam lectionem manuscripti codices confirmant. Quis est igitur, qui non videat, Antoninum Pium hic designari? Nam et cognomentum ipsum Εὐσεβεῖ id satis indicat, et quod sequitur de philosopho imperatoris filio, sententiam nostram manifeste confirmat. Dicet forte aliquis, nomine imperatoris Pii Marcum designari, quippe qui patris sui cognomen assumpserit. Sed si hoc conceditur, quisnam erit ille philosophus Cæsaris filius? Cur Lucium Verum Augustum hic omisisset Justinus, cum in priore apologetico ejus mentionem faciat? Annon luce clarius apparet, Antoninum Pium hic a Justino designari, cui apologeticum suum inscripsit? Adde quod Urbicus ille præfectus, cujus ibidem meminit Justinus, vixit sub Antonino Pio. Is enim est Lollius Urbicus, qui legatus imperatoris Britannos compescuit, ut refert Capitolinus in vita Antonini. Eum præfectum urbis fuisse imperante Pio, docet Apuleius in apologia sub initium. Nam cum Apuleius eam orationem habuerit sub Pio, ut ipsemet in ea oratione testatur, Lollium quoque Urbicum præfectum urbi, a quo Æmilianum damnatum fuisse dicit, sub eodem Pio fuisse dicendum est. De eodem Q. Lollio Urbico præfecto urbi vetus exstat inscriptio apud Gruterum pag. 38. Hæ sunt rationes, quibus inductus apologeticum posteriorem Justini non M. Aurelio, sed Antonino Pio nuncupatum esse contendo. In vulgatis quidem editionibus is apologeticus inscribitur ad senatum Romanum. Verum aut falsa est hæc inscriptio, aut senatus nomine ipse quoque imperator subaudiendus est. Nam Justinus in eo apologetico imperatorem ipsum alloquitur, ut patet ex eo loco supra citato *καὶ ἡ μὲν βιβλίδιον σοὶ αὐτοκράτορι*, etc. Sed et pag. 47. ejusdem apologetici de Crescente loquens et de disputationibus quas cum illo habuerat, imperatorem ipsum compellat his verbis: *εἰ μὴ ἀνηνέχθησαν ὑμῖν αἱ κοινωνίαι τῶν λόγων, ἕτοιμος καὶ ἐφ' ὑμῶν κοινωνεῖν τῶν ἐρωτήσεων πάλιν. Βασιλικὸν δ' ἂν καὶ τοῦτο ἔργον εἴη.* Quid his verbis clarius esse potest? Ait enim Justinus rem esse dignam imperatoria majestate, audire hujusmodi disputationes. Denique in fine ejusdem apologetici, id ipsum indicat Justinus his verbis: *καὶ ὑμᾶς οὖν ἀξιοῦμεν ὑπογράψαντας τὸ ὑμῖν δοκοῦν, προθεῖναι τουτὶ τὸ βιβλίδιον*, etc. Id est:

igitur rogamus ut postquam subscripseritis quodcumque vobis visum fuerit, libellum hunc proponatis. An hæc verba alteri convenire possunt quam imperatori? Neque enim alius quam imperator libellis precum subscribendi jus habet. Porro Justinus libellum vocat apologiam suam, petitque ab imperatore, ut eam publice proponat, quo veritas ab omnibus agnosci possit. Et paulo post subjicit: ἐὰν δὲ ὑμεῖς τοῦτο προγράψητε, etc. Id est: *Quodsi hoc edictum proposueritis.* Quæ certe nonnisi de imperatore dici possunt, cujus est edicta proponere, aut certe mandare ut proponantur. Errat igitur P. Halloixius, qui in vita S. Justini cap. 26. et in notationibus ad cap. 9. negat Justinum in toto illo apologetico, vel semel imperatorem alloqui. Vides enim quatuor loca ex eo libro a me esse citata, in quibus Justinus imperatorem ipsum affatur. Ceterum ex his quæ dixi colligi potest, Justinum sub Antonino Pio, non autem sub Marco fecisse martyrium. Nullam enim aliam causam habuit Eusebius, cur Justini martyrium in tempora M. Aurelii conferret, nisi quod secundum apologeticum Marco dedicavit. Atqui certissimis argumentis ostendi, apologeticum illum Pio nuncupatum fuisse. Ruit ergo funditus Eusebii ratio atque sententia. Quid quod Eusebius ipse in Chronico, eumque secutus Georgius Syncellus, Justini martyrium temporibus Antonini Pii videtur adscribere. Atque ita diserte ponit Michaël Glycas in Annalibus. VALES. Eusebium defendit Grabius in *Spicil. patrum* p. 144. HEIN.

17, 2. Τὸ λοιπὸν transpositum jungi debet cum συγκατακλίνεσθαι. Verba præcedentia ἀλλοτρίαν—γαμετὴν vertit Valesius: *ea agebat, quæ uxoris animum penitus ab ipso alienarent.* Videtur igitur ad ἀλλοτρίαν supplesse ἑαυτοῦ cf. Passow. s. v. 4. Neque tamen puto eo esse opus, imo ἀλλότριος per se significare h. l. *inimicus*, quæ vocis significatio fluxit ex Homeri Iliad. v. 214. ubi hæc leguntur:

αὐτίκ' ἔπειτ' ἀπ' ἐμεῖο κάρη τάμοι ἀλλότριος φῶς.

Ad quem locum Köppen. *erklärende Anmerkungen zu Homers Ilias* tom. ii. p. 38. edit. Ruhkopf. iii. *The Romans also, as is well known, called the foreigner and the foe by the same name, hostis. An uncivilized people considers every one, who is not a fellow-countryman, an enemy.* cf. Apollon. *Lexicon. Homer.* p. 96. ed. Toll. Probabilius hoc fuerit propterea quod seriores scripto-

res satis amant novas et tum molliores tum duriores tribuere verbis significationes. Plura vide a me animadversa ad Euseb. de martyr. Pal. c. vii. Valesium vero secutus videtur Stroth. vertendo: *und machte seine Frau—von sich abwendig*. HEIN.

17, 3. ὡς—ἀνδρὸς justo liberius vertit Valesius, *spemque ei facientibus* ad meliorem frugem tandem reversurum. Melius Strothius "*vielleicht liesse sich der Mann noch einmal zur Besserung an.*" Proprie vertendum est "quasi vir aliquando veniret in eam animi conditionem ut de ejus emendatione vel alii vel ipse possent sperare." Ceterum ut hæc mulieri dicerent propinqui sui monuit eos fortasse locus 1 Cor. vii. 13. *καὶ γυνὴ ἥτις ἔχει ἄνδρα ἄπιστον, καὶ αὐτὸς συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ' αὐτῆς, μὴ ἀφείτω αὐτοῦ*. HEIN.

Ib. ῥεπούδιον δοῦσα] Mulieribus quoque illud fuisse concessum testimoniis multis ostendisse dicit Kortholtus ad locum Justini Justellum notis in codicem canonum universæ ecclesiæ ad can. cv. citante Readingo. cf. Suicer. *Thes.* t. ii. p. 903. Paulus *Commentar über das N. T.* tom. i. p. 689. sq. Ceterum *κοινωνὸς τῶν ἀδικημάτων καὶ ἀσεβημάτων* viri sui, si diutius cum eo maneret *ἐν τῇ συζυγίᾳ* s. thori consortio juncta *ὁμοδίαιτος* et *ὁμόκοιτος* (cf. supra verba ἀσεβὲς——ποιεῖσθαι), fieri sibi recte videri poterat illa fœmina propterea, quod deinde ipsa adulterium a marito factum approbaret, quin etiam ipsa eo, quod coiret cum viro, qui *reapse* non amplius ipsius maritus erat, ut qui conjugii vinculum adulterio suo ipse rupisset, committeret. Similiter Christus Matth. v. 32. ὃς ἐὰν, inquit, *ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται*. Cum enim, si quis *temere ipse* ἀπολύει τὴν γυναῖκα, quamvis ipse vinculum conjugii solvere *voluerit*, tamen illud vere et accurate rem ponderanti *solutum esse* videri minime possit, propterea neque illius femina *ἀπολελυμένη* neque alius recte possunt eundem errorem ac vitium committere, quod commisit ille, id est, non possunt eo quod novum conjugium ipsi ineant, falso putare, prius illud esse vere solutum et quia hoc non vere est, hoc modo committere adulterium. Alio modo sed ut equidem existimo, falso interpretatur illa Christi verba Paulus l. l. p. 688. eodem modo quo præcedentia, *ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι*, dum *omni* culpa absolvere cupit V. D. fœminam, quæ sine justa causa neque legis auctoritate a viro dimissa alteri nupserit. Quamvis enim illa

levius peccet marito, qui *facile potest efficere* illo repudio ut mulier vel impatientius ferens abstinentiam a conjugio vel quacunque alia de causa iterum nubat et sic adulteret i. e. ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι, tamen inde non sequitur, eam omni culpa carere, quia nec coacta erat nec recte poterat, priori conjugio haud vere soluto, iterum nubere. Neque hoc modo Jesus fœminam magis quam virum a facinore illo deterret, quem, si quid aliud, hoc profecto maxime commovere debebat, se feminam ἀπολύοντα facile posse illam ad peccatum idem incitare. Itaque lenius tantum Jesus apud Matthæum dicit, quod apud Lucam xvi. 18. fortius μοιχεύει, propterea quod simul significat, neque feminam temere ἀπολελυμένην ab adulterii crimine posse absolvi, siquidem illa alii viro nubat. Et hoc rectissime, quamvis dicat Paulus l. l. p. 686. sq. *When every one except a priest was allowed to marry a woman that had been put away——how could he intend to burden her hard lot, of which she at all events was not the cause, with the prohibition of another marriage?* Ipse enim Jesus satis illis locis testatur, se plus suis præcipere quam leges Mosaicas, ac rei ipsius ratio antea exposita est verissima. Neque enim debebant peccare mulieres Judaicæ, quamvis peccarent eorum mariti, eodem modo quo Christianæ conjuges a maritis temere dimissæ et Christiani mariti a quibus temere secedunt uxores, non possunt nova inire conjugia, nisi vetera sint legitime et publice soluta. Ceterum adscribere juvat ad h. l. illum ex Euripid. Alcest. v. 173. sqq. locum, ubi Hermione simili severitate pronuntians inducitur, qua Christianam mulierem contra maritum πόρους ἡδονῆς ἐκ παντὸς πειρώμενον ποιεῖσθαι egisse, ex Justino refert h. l. Eusebius. Ita autem Hermione:

—— τοιοῦτο πᾶν τὸ βάρβαρον γένος
πατήρ τε θυγατρὶ παῖς τε μητρὶ μίγνυται
κόρη τ' ἀδελφῷ ————
—— καὶ τῶνδ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος,
ἃ μὴ παρ' ἡμᾶς ἔσφερ'. οὐδὲ γὰρ καλὸν
δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν,
ἀλλ' ἐς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν
στέργουσιν ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει.

Ibid. v. 891. ubi Orestes κακὸν, inquit, γ' ἔλεξας [ἕν'] ἄνδρα δίσσ' ἔχειν λέχη v. 925. sqq. Sed ut Græcorum poëtæ in uni-

versum in multis sententiis sibi minime constant, ita ipse Euripides non solum in aliis, sed in hoc etiam laudabili placito probabiliter haud secum ipso semper consentiebat. Vid. quæ præclare disputavit Tholuck. *das Wesen und die sittlichen Einflüsse des Heidenthums* in: Neander. *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums* tom. i. p. 139—148. cf. p. 43. sq. ed. ii. HEIN.

17, 4. Ὁ δὲ καλὸς κἀγαθός] Vide quæ monui ad vi. 43. HEIN.

17, 5. ἣ μὲν βιβλίδιόν σοι τῷ αὐτοκράτορι] Libellum supplicem intelligo, quo mulier dilationem judicii ab imperatore postulaverat. Nam cum a viro quocum divortium fecerat, accusata fuisset tanquam Christiana, ab imperatore dilationem sibi dari petiit, ut rem familiarem prius ordinaret, responsura posthæc accusationi. Solebant quippe apud Romanos dilationes concedi causa cognita, tam reis quam accusatoribus, ut docent leges in codice Theodosiano titulo 36. *ut intra annum quæstio criminalis terminetur.* Sed quæri potest, cur mulier imperatorem adierit, cum a judicibus ordinariis ad quos delata erant crimina, hujusmodi induciæ peterentur. An forte judex poscenti mulieri dilationem negaverat? Unde mulier necesse habuerat imperatoris auxilium implorare. An forte ad imperatorem ipsum delata erat quod esset Christiana, ut censuit Nicephorus ac Christophorsonus? Verum hæc posterior sententia parum probabilis mihi videtur. Primo quia Justinus id non dicit, deinde quia moris non erat, ut criminalis quæstio recta ad principem, omisso quod aiunt medio, deferretur. VALES.

17, 5. ταννῦν ἔτι λέγειν] Id est: Interea temporis, quoad dilatio ab imperatore concessa finem accepisset. Mulier enim dilationem a principe impetraverat, cum justa esset ejus petitio, ne scilicet ex calumnia viri a cujus consortio ob legitimam causam discesserat, rei familiaris dispendium pateretur. Hæc uberius explicanda erant, quia interpretes parum, aut potius nihil omnino hic viderunt. VALES.

17, 6. αὐτὸ τοῦτο μόνον necessario jungendum cum ἀνερωτῆσαι. Recta verborum collocatio est statim post αὐτὸ τοῦτο μόνον ἐξητάσθη εἰ εἴη Χριστιανός. Male autem Cph. αὐτὸ τοῦτο μόνον statim post ἀνερωτῆσαι dedit. Solet enim, ut pluribus

locis jam vidimus, certe Eusebius sæpissime insolentiori modo verba collocare. cf. p. 276. et verba *τὰ αὐτὰ παύσασθαι πράττοντα ἐβούλετο* i. e. volebat mulier efficere, ut vir idem faciens illud facere desineret. Ad *ἐβούλετο* enim subaud. *πράττειν*. HEIN.

17, 7. *ὅτε ἐπὶ Οὐρβίκιον ἦλθεν*] In codice Medicæo et Fuketiano scriptum est *ἐπὶ Οὐρβίκιον ἤχθη*, quod magis placet. Apud Nicephorum quoque legitur, *ὡς δὲ τελευταῖον Οὐρβικίῳ προσήχθη τῷ ἄρχοντι*. Porro hic Urbicius erat præfectus urbis Romæ, cujus sententia in Ptolemæum et Lucium Christianos lata, occasionem dedit huic Justini apologetico. Dicebatur autem Q. Lollius Urbicus, ut docet vetus inscriptio Romæ posita, et Apuleius in defensione sua haud procul ab initio, ubi præfecturæ urbanæ quam idem Urbicus gessit, non obscura fit mentio. Mirum est tamen in omnibus nostris exemplaribus eum constanter Urbicium appellari. Semel tantum atque iterum apud Justinum Urbicus recte dicitur, initio scilicet apologetici, *καὶ τὰ χθὲς δὲ καὶ πρώην ἐν τῇ πόλει ὑμῶν γενόμενα ἐπὶ Οὐρβίκου* etc. Et paulo post: *ὅπως δὲ καὶ ἡ αἰτία τοῦ παντὸς γενομένου ἐπὶ Οὐρβίκου φανερὰ ὑμῖν γένηται*, etc. VALES.

17, 8. *κολάσαι* scribendum putant Stephan. et Lowth. vel *τίς ἡ αἰτία ὅτι—ἐκολάσω* cum hoc, vel *τ. ἡ. α. δ' ἦν* cum illo reponendum. Sed recte monuit Strothius, scripsisse Justinum *ἀνακολούθως*. Neque enim accuratius respiciens rationem grammaticam sensum modo illorum *τίς ἡ αἰτία τοῦ* respexit: *διὰ τί*. HEIN.

17, 9. *οὐδὲ φιλοσόφῳ Καίσαρος παιδί*] In cod. Fuk. et Savil. nec non apud Justinum legitur *φιλοσόφου*, quod non probo. M. enim Aurelius hic intelligitur, quem Antoninus Pius jussu Hadriani adoptaverat, vir philosophiæ studiis admodum deditus. Quam ob causam Justinus in utroque apologetico, philosophiæ ac pietatis nomina frequenter allegat, ut impp. Antoninum Pium et Marcum philosophum erga pietatem et philosophiam Christianorum æquiores reddat ac propensiores. Hinc est quod priorem apologeticum ita exorditur: *ὑμεῖς μὲν ὅτι λέγεσθε εὐσεβεῖς καὶ φιλόσοφοι*. Rursus posteriorem apologeticum ita concludit: *εἴη οὖν καθ' ὑμᾶς, ἀξίως εὐσεβείας καὶ φιλοσοφίας τὰ δίκαια ὑπὲρ ἑαυτῶν κρῖναι*. In codice Maz. hunc

locum ita scriptum inveni: οὐδὲ φιλοσόφῳ καὶ Καίσαρος παιδί. Ex quo conjicio locum hunc a Justino ita scriptum fuisse: οὐ πρέποντα εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφῳ Καίσαρι· οὐδὲ φιλοσόφου Καίσαρος παιδί. VALES.

Ib. ἀπαχθῆναι i. e. ad *supplicium* duci. cf. H. E. vi. 41. στρατιώτης τε αὐτοῖς ἀπαγομένοις παραστάς. Est enim illud verbum hac in re proprium. vid. Æl. V. H. xiii. 34. cf. Plat. Men. 13. b. ed. Buttm. τάχ' ἂν ὡς γόης ἀπαχθείης. Pollux viii. 9. 102. Eodem modo vel ἄγειν legitur apud Æl. V. H. i. 30. κατά τινα δαίμονα τῶν ἀγομένων i. e. eorum qui ad mortem ducebantur. Kypke *Observv. Sacr.* t. ii. p. 61. HEIN.

18, 2. Ἃ—παρατίθεσθαι] Causam cur noluerit Eusebius h. l. inserere sententiam Justini M. de dæmonibus, Strothius *Uebersetzung.* tom. i. p. 278. not. 2. in eo quærit, quod Eusebius illam tanquam gnosticam improbarit, ideoque tanquam orthodoxiæ studiosior sine levi certe censura dimittere eam noluerit. Cf. Petavii *animadvv. Epiphan.* p. 76. viii. Grabius *Spicileg. P. P.* t. ii. p. 149. Cave *histor. litterar.* tom. i. p. 37. Jam vero mihi satis lubrica videtur conjectura Strothii, cum non solum in formula illa ἃ οὐδὲν ἂν ἐπείγοι τανῦν παρατίθεσθαι cupidius quærat V. D., quod in ea non inest (vid. Eusebius H. E. vi. 33. ubi multa Origenis scripta omittit Eusebius nulla alia de causa, nisi quia non erant τῆς ἐνοτώσης ἐχόμενα πραγματείας), sed etiam vel leviter taxatum esse Justinum ab Eusebio, ut orthodoxiæ studioso, ita orthodoxorum studiosissimo (cf. quæ monui ad ii. 1. pag. 60. iii. 30.), præsertim cum impenso studio coleretur ille a nostro (cf. cap. 16. 29.), satis sit incredibile. Alia ratio est loci H. E. vi. 8., ubi non poterat non nonnihil taxare Demetrium Eusebius, quamvis vel ibi quam caute et leniter illud fecerit, ex iis patebit, quæ ad h. l. annotabo. Multo autem minus concedere possum Moellero *de fide Eus.* p. 53., ex Eus. H. E. iv. 16. sequi, nostrum etiam hæreticos tractasse mitius. Quod enim h. l. Tatianum Encratitarum patrem magna laude in gentilium disciplinis elaborasse dicit Eusebius, illud invidiam Tatiani apud vere orthodoxos augere potius quam minuere debebat. Accedit, quod Tatianus Justini M. τοῦ θαυμασίου discipulus et certe antea fuerat ὀρθόδοξος (cap. 29.), ideoque, si vel concedere velim, satis moderate se gessisse contra Tatianum Eusebium, cur iste illud

fecerit, non potest esse obscurum. Sed ut ad nostrum locum redeam, vere monuit l. l. Strothius, sententiam suam de dæmonibus non exponere Justinum in libro ab Eusebio memorato, sed in apolog. ii. p. 44., ideoque aut locum in cohortatione ad Græcos periisse, aut in apologiam inde transmigrasse, aut denique Eusebium errasse. HEIN.

Ib. περὶ—μοναρχίας] Vid. W. E. Tentzelii *Exercitt. sacræ* Lips. 1692. 4. P. i. p. 177. sq. HEIN.

18, 3. σχολικόν] Apud Nicephorum legitur σχόλιον. Veteres Græci σχόλια vocabant breves quasdem annotationes, quæ ab ἐξηγητικοῖς distinguuntur. Nam ἐξηγητικοὶ uberiores sunt et fusiores, et universum scriptoris opus exponunt. Scholia vero ad singulorum verborum aut unius sententiæ expositionem apponuntur. Scribit Hieronymus triplex fuisse Origenis opus in sacram scripturam, unum ἐξηγητικὸν, alterum ὁμιλητικὸν, tertium σημειώσεις, quæ excerpta Latine dici posse idem Hieronymus scribit. Rufinus hoc loco *subnotationes* vertit satis commode. *Est*, inquit, *et alius liber in subnotationum modo de anima.* Præter hanc vulgarem scholiorum significationem alia est minus frequens. Scholia enim interdum dicuntur breves expositiones obscuriorum vocum ac sententiarum. Ita Cyrilli scholia de incarnatione unigeniti hodie leguntur, quæ nihil aliud sunt quam brevis expositio obscuriorum quæstionum de incarnatione. Quæstio enim ipsa tituli loco præmittitur, deinde subjungitur expositio. Sententia item seu dogma interdum vice tituli seu indicis præfigitur hoc modo ὅτι, etc. Deinde apponitur demonstratio, ut videre est in supradicto Cyrilli Alexandrini libro. Hujusmodi fuit Justini liber de anima, quæstiones scilicet ac sententiæ quædam de natura et origine animarum, quibus subjuncta erat Justini expositio ac demonstratio. Exstant hodie Alexandri Aphrodisiensis libri duo de anima, quos σχόλια jure vocare possis. Sunt enim in scholiorum modum ea quam dixi ratione compositi. Hujusmodi etiam fuere scholiorum libri centum ab Amelio philosopho compositi, quorum meminit Porphyrius in Plotini vita. Ejusdem argumenti fuisse videntur libri ἐπιλέκτων σχολιῶν a Diogene Tarsensi compositi, quorum meminit Laertius in Epicuro. Denique scholium nonnunquam dicitur locus ex aliquo scriptore excerptus. Sic apud Epiphanium in hæresi Marcionita-

rum pag. 322. αὐτὴ μὲν τῆς προειρημένης ὑμῶν ὑποθέσεως ἡ σχολιοποιηθεῖσα σύντομος ὑπομνηματικὴ ἐξ ἀντιγράφων τοῦ Μαρκίωνος σύνταξις πρὸς ἔπος. Sequitur postea σχόλιον ἀπὸ τοῦ εὐαγγελίου τοῦ παρὰ Μαρκίωνι. Ubi vides, scholion nihil aliud esse quam locum excerptum ex evangelio Marcionis, cui Epiphanius refutationem subjungit. Ita scholion Eunomii dicitur in disputatione orthodoxi cum Eunomio, quam edidit Canisius in tomo v. Recte ergo Hieronymus *excerpta* interpretatur, quas Origenes σημειώσεις seu σχόλια appellaverat. VALES.

Ib. πρὸς Τρυφῶνα] Vid. Münscherus *an dialogus cum Tryphone Justino Mart. recte adscribatur*, Marburg. 1799. 4. cf. Grabii *Spicileg. P. P.* tom. ii. p. 157. sqq. Fabric. *Bibl. Gr.* vol. vii. p. 63. Ad verba sequentia ἐν ᾧ—δηλοῖ cf. supra cap. ix. Neander. *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums*, tom. i. p. 245. p. 263—274. HEIN.

18, 4. ἄνδρας ἐκλεκτοὺς] De his vid. vi. 14. HEIN.

18, 5. Γράφει δὲ καὶ ὡς ὅτι] Pleonasmus est, cum alterutra vox sufficiat. Nisi forte quis malit scribere ὡς ἔτι μέχρι καὶ αὐτοῦ, etc. Sed nihil opus est hac emendatione, cum pleonasmus hic familiaris sit Eusebio. Ita enim loquitur in cap. 22. hujus libri. VALES.

Ib. περικοψάντων] Vid. dial. cum Tryph. p. 297. ed. Sylb. Stroth. in *Repertorium für bibl. und morgenl. Literatur.* t. ii. HEIN.

18, 7. οὐδέ ποτε ἐτόλμησεν ὁ σατανᾶς] Idem ait Epiphan. in hæresi Sethianorum p. 289. VALES.

19, 1. Ἀνίκητον] Vid. quos laudat Reading. ad h. l., Pearson. *de annis epis. Rom.* p. 414. Pagi *Crit.* t. i. p. 167. De Celadione Dodwell. *additam. ad Pearson. de success. Rom. pont.* p. 61. HEIN.

20, 1. Θεόφιλος vid. Cave *Hist.* t. i. p. 42. t. ii. p. 30. HEIN.

22, 2. διαδοχὴν ἐποιησάμην] Savilius ad oram sui codicis pro διαδοχὴν correxit διατριβὴν, utrum ex conjectura, an ex fide manuscripti exemplaris, incertum. Utcumque tamen necessaria est hæc emendatio[b]. Porro in capite 2. hujus libri, ubi Eusebius hunc Hegesippi locum adduxit, paulo aliter hæc refe-

[b] Ita Stroth. scripsit sed satis dubitans. Habent διατριβὴν Sav. Cph. Ruf. HEIN.

runtur. Etenim Eusebius illic scribit, Hegesippum Romam adventasse temporibus Aniceti, et usque ad pontificatum Eleutherii in urbe Roma permansisse. Hegesippus tamen hoc loco id non dicit, sed tantum ait, se Romæ mansisse usque ad pontificatum Aniceti. Romam ergo venerat Hegesippus sub extrema Pii tempora. VALES. Sub Aniceto Romam venisse Hegesippum, diserte tradunt Eusebius et Hieronymus. Contra Valesium vide bene disputantem Pearson. *de success. episc. Rom.* p. 24. Qui simul retinendum dicit διαδοχὴν eo sensu ut sit *tabula successionis*. De loco illo præterea cf. *Relliquiæ sacræ* edit. Routh. t. i. p. 244. sqq. Reuterdahl. p. 60. 5. HEIN.

Ib. ἀνεψιὸν ὄντα τοῦ Κυρίου] Male Rufinus, eumque secuti Musculus et Christophorsonus *consobrinum Domini* verterunt, cum potius *fratrem patruelem* vertere debuissent. Clopas enim et Josephus fratres fuerunt. Clopas Symeonis pater fuit, patruus autem Christi. Errant itaque Musculus et Christophorsonus, qui θεῖον hoc loco *avunculum* interpretati sunt. Sed ineptissime Rufinus θεῖον pro adjectivo sumpsit. Vide quæ supra notavi ad caput 32. libri tertii. VALES.

22, 3. Διὰ τοῦτο [c] ἐκάλουν τὴν ἐκκλησίαν παρθένον] Melius legeretur μέχρι τούτου. Sic enim habet Eusebius in lib. iii. cap. 32. ubi hunc Hegesippi locum adducit. VALES. At Hegesippus alias longe scribit ineptius, ut recte observat ad h. l. Strothius. HEIN.

Ib. Θέβουθις] Cum Thebutis apud nullum alium scriptorem fiat mentio, illud nomen aut fictum aut corruptum putat ab Hegesippo, Strothius ad h. l. Gieseler. *Comment. de Nazaræis et Ebionitis* in *Stäudlin. und Tzschirner. Archiv.* t. iv. P. ii. p. 320. HEIN.

Ib. ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων ὧν] Nicephorus ultimam vocem expunxit tanquam superfluam. Sic enim habet: ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων καὶ αὐτὸς ἦν ἐν τῷ λαῷ. In codice Regio scriptum inveni ὧν καὶ αὐτὸς ἦν ἐν τῷ λαῷ. Quod ferri potest, si tollatur distinctio quæ in omnibus nostris codicibus habetur. Atque ita sensus erit, primum Thebutem aggressum esse vitiare ecclesiam Hierosolymitanam, inducta pestilenti doc-

[c] Nic. Ruf. HEIN.

trina septem illarum Judaici populi sectarum, quibus ipse erat addictus. Melius tamen meo quidem judicio legeretur hoc modo: ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων ὢν καὶ αὐτὸς τῶν ἐν τῷ λαῷ. Quod idem valet ac si diceret: Thebutes errorem suum conflaverat ex septem illis sectis Judaici populi, perinde ac Simon et Cleobius et Dositheus. VALES. Verba autem καὶ—λαῷ parenthesi includenda putavi, siquidem iis voluerit illud potius significare Hegesippus, Thebuthin eo ipso quod ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρεσέων fuerit, fuisse καὶ αὐτὸν ἐν τῷ λαῷ. Quod quidem facile abesse poterat, sed ab Hegesippo facile etiam exspectari. Ita neque Strothii lectione opus esse puto. Cf. Ejusd. *Uebersetzung des Eus.* t. i. p. 484. not. 8. *In the translation of this totally unmeaning passage, I have, however, left out (?)* ὢν *after* αἱρεσέων; *in a better author I would have proposed to read* τῶν *instead of* ἦν. HEIN.

Ib. καὶ Δοσίθεος, ὅθεν Δοθισιανοί] Sunt tamen qui scribant hunc Dositheum multo antiquiorem fuisse. Certe si Drusio credimus in responsione ad Minerval Serarii cap. 10., vixit hic Dositheus circa tempora Sennacheribi regis Assyriorum. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos: *Taceo de Judaismi hæreticis, qui ante adventum Christi, legem traditam dissiparunt, quod Dositheus Samaritanorum princeps prophetas repudiavit, quod Sadducæi ex illius radice nascentes, etiam resurrectionem carnis negaverunt.* Scaliger tamen in elencho trihæresii cap. 15. Dositheum Christo recentiorem esse contendit, idque ex Origenis auctoritate, qui in lib. i. contra Celsum diserte id affirmat. Sed et idem Origenes in tractatu 27. in Matthæum, Dositheum Samaritanum temporibus apostolorum vixisse scribit, qui se Christum esse jactaverit, et tomo xiii. Enarrationum in evangelium Johannis. Id autem hausisse videtur Origenes ex Clemente Romano, qui in lib. ii. Recognitionum de Simone Mago loquens, ita scribit: "Interfecto etenim, sicut scis et ipse baptista Joanne, cum Dositheus hæreseos suæ iniisset exordium, cum triginta principalibus discipulis, et alia muliere quæ Luna vocitata est. Unde et illi triginta, quasi secundum Lunæ cursum in numero dierum positi videbantur. Simon hic malæ ut diximus gloriæ cupidus, accedit ad Dositheum, et simulatis amicitiis, exorat ut si

quando aliquis ex illis triginta obiisset, in locum defuncti se continuo subrogaret, quia neque statutum numerum excedere apud eos fas erat, neque ignotum aliquem inserere, aut nondum probatum. Unde et ceteri studentes digni loco ac numero fieri, secundum sectæ suæ instituta placere per omnia gestiunt, quo possit unusquisque ex his qui illum numerum sequuntur, cum forte aliquis ut diximus, decesserit, dignus videri qui in locum defuncti substitui debeat. Igitur Dositheus plurimis ab hoc exoratus, ubi locus intra numerum factus est, introduxit Simonem. Sed hic non multo post incidit in amorem mulieris illius quam Lunam vocant, etc." Ex quibus patet Dositheum iisdem cum Simone vixisse temporibus. De Dosithei ætate idem quoque sentit Eulogius patriarcha Alexandrinus, ut legitur in bibliotheca Photii c. 230. Eique sententiæ suffragatur Hegesippus in loco quem præ manibus habemus. VALES.

Ib. *ὅθεν Γοραθηνοὶ*] Has hæreses ex septem Judaici populi sectis originem traxisse, recte Hegesippus observat. Nam Simoniani, Dositheani, Gortheni et reliqua errorum nomina, nihil aliud fuerunt quam rivi ex Judaicis illis fontibus defluentes. At Theodoretus in libro i. hæreticarum fabularum cap. 1. has omnes hæreses ex Simonis fonte fluxisse dicit, Cleobianos scilicet, Dositheanos, Gorthenos, Masboteos, Menandrianos, Eutychitas et Canistas: *ἐκ τῆσδε τῆς πικροτάτης ἀνεφύησαν ῥίζης* Κλεοβιανοὶ, *Δοσιθεανοὶ*, Γορθηνοὶ, Μασβώθεοι, 'Αδριανισταὶ, Εὐτυχηταὶ, *Κανισταί*. Sed cum constet ipsam Simonianam hæresim ex Judaicis sectis originem habuisse, rectius dixisset Theodoretus eas omnes ex Judaicis sectis fuisse propagatas, maxime cum quædam illarum hæreseon, Simoniana vetustiores esse videantur, verbi gratia Gorthena et Dositheana. VALES. Καὶ Μασβωθαῖος, *ὅθεν* Μασβωθαιανοὶ ex Ruf. Nic. Cph. scripsit Str. Semler. ad Baumgarten. *Geschichte der Religions-Partheien* p. 270. vidit, ipsos Christianos a Judæis dictos esse מְשַׁכּוֹתאם seu contemtores sabbathi. Ceterum de Cleobio seu Cleobulo, Gorthæo et Masbothæis, Eutychetis, Canistis et Adrianistis cf. Ittig. *de hæresiarchis sæc. i. et ii.* p. 41. sqq. HEIN.

22, 4. *ἐν υἱοῖς 'Ισραὴλ τῶν κατὰ τῆς φυλῆς 'Ιούδα*] In cod.

Maz. Med. et Fuk. scriptum inveni *ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ. ἡ τῶν κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα*, etc. quod quid sibi velit nescio, nisi forte ita emendare placet *ἐν υἱοῖς Ἰσραηλιτῶν· κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα.* Vulgata tamen lectio magis placet, quam et regius codex et Nicephorus confirmant. Videtur autem Hegesippus tribum Judæ ab his omnibus Judaici populi sectis puram ac vacuam existimasse, ita ut nullus e tribu Judæ Essenorum aut Sadducæorum aut Pharisæorum sectam secutus sit. Quod tamen nequaquam verisimile est. Sed hoc ab Hegesippo dictum est in gratiam tribus Judæ, ex qua Christus originem duxit. Omnes igitur illas Judaismi hæreses viguisse ait apud reliquas decem tribus, quæ proprio ac peculiari vocabulo Israel dicebantur, post divisionem regni Judæorum Roboami temporibus factam. Certe tribus Judæ in libris prophetarum ecclesiæ personam denotat, decem vero tribus referuntur ad hæreticos quorum maxima est multitudo, ut scribit Hieronymus in cap. 1. Osee. VALES. Cf. Stroth. *Uebers.* t. i. p. 286. not. 3. *If we wish to give a sense in any way tolerable to this expression* (τῶν—φυλῆς), *we must assume, that the author uses the expression* "*the tribe of Judah*" *as perfectly equivalent with* "*the orthodox Jewish Church.*" *But the Pharisees would have been just as unwilling to give up their claim to orthodoxy, as our Pietists* (?). HEIN.

Ib. Ἐσσαῖοι, Γαλιλαῖοι, etc.] Hæ sunt septem hæreses Judaici populi, quarum frequenter mentionem facit Hegesippus, ut in libris superioribus vidimus. Sed et Justinus in disputatione adversus Tryphonem totidem recenset hæreses Judæorum, sed eas aliis nominibus appellat. Verba Justini sunt hæc: *ὥσπερ οὐδὲ Ἰουδαίους ἄν τις ὀρθῶς ἐξετάσῃ, ὁμολογήσειεν εἶναι τοὺς Σαδδουκαίους, ἢ τὰς ὁμοίας αἱρέσεις Γενιστῶν καὶ Μεριστῶν, καὶ Γαλιλαίων καὶ Ἑλληνιανῶν, καὶ Φαρισαίων, καὶ Βαπτιστῶν.* *Sicut neque Judæos, si quis recte perpenderit, dicat esse, Sadducæos aut ejusmodi hæreses, Genistarum et Meristarum, Galilæorum et Hellenianorum, Pharisæorum ac Baptistarum.* Epiphanius quoque[d] septem Judaismi hæreses agnoscit, sed eas ita nominat: Scribas, Pharisæos, Sadducæos, Essæos,

[d] Anacephal. t. ii. p. 133. sq. ed. Petav. HEIN.

Nazaræos, Hemerobaptistas, Herodianos. In indiculo hæreseon qui tribuitur b. Hieronymo, decem numerantur hæreses Judæorum. Qui locus quoniam illustris est, hic meretur apponi. I. *Esinei dicunt Christum docuisse illos omnem abstinentiam.* II. *Galilæi dicunt Christum venisse et docuisse eos, ne dicerent dominum Cæsarem, neve ejus monetis uterentur.* III. *Marbonei dicunt, ipsum esse Christum qui docuit illos in omni re sabbatizare.* IV. *Pharisæi negant Christum venisse, nec ulla in re cum prædictis communicant.* V. *Sadducæi negant resurrectionem, dicentes: Dictum est ad Adam, terra es et in terram ibis.* VI. *Genistæ præsumunt quoniam de genere Abrahæ sunt.* VII. *Meristæ, quoniam separant scripturas, non credentes omnibus prophetis, dicentes aliis et aliis spiritibus prophetasse.* VIII. *Samaritæ qui in locum Israel captivo et abducto in Babyloniam translati sunt. Venientes in terram Samariæ regionis ex parte Israelitarum, consuetudinem quam sacerdote reducto didicerunt, tenent, ex parte gentilem, quam in nativitatis suæ terra habuerunt. Nam in observationibus suis a Judæis omnino separantur, quorum superstitio procul dubio omnibus nota est.* IX. *Herodiani: Temporibus salvatoris hæc hæresis exsurrexit. Hi Herodem magnificabant, dicentes ipsum esse Christum.* X. *Hemerobaptistæ qui quotidie et corpora sua et domum et supellectilem lavant.* Apud Isidorum in lib. viii. Originum octo numerantur hæreses, Pharisæi scilicet, Sadducæi, Esinei, Morbonei, Genistæ, Meristæ, Samaritæ et Hemerobaptistæ. Denique Clemens in lib. I. Recognitionum, quinque duntaxat sectas Judæorum recenset, quæ schismata appellat: Sadducæos scilicet, Samaritas, Scribas, Pharisæos et quosdam ex Joannis baptistæ discipulis. "Cum enim, inquit, jam immineret ortus Christi, ad sacrificia quidem reprimenda, baptismi vero gratiam largiendam, inimicus ex his quæ prædicta fuerant, adesse tempus intelligens, diversa schismata operabatur in populo, ut si forte prius peccatum potuisset aboleri, secunda corrigi culpa non posset. Erat ergo primum schisma eorum qui dicebantur Sadducæi, initio Joannis jam pæne temporibus sumpto. Hique ut ceteris justiores, segregare se cœpere a populi cœtu et mortuorum resurrectionem negare, etc." Sed et paulo post idem Clemens non plures

quam quinque supradictas numerat sectas Judæorum. Mirabitur fortasse aliquis cur inter has sectas Essæos prætermiserit. Cujus rei nullam aliam rationem excogitare possumus, nisi quod veteres ecclesiæ patres Essæis supra modum faverunt.

Ib. Γαλιλαῖοι] Hos quoque inter Judæorum hæreticos recenset Justinus et Hieronymus. Auctor ac princeps hujus sectæ fuit Judas Galilæus, qui post exsilium regis Archelai, cum Romani in Judæa censum agere vellent, populares suos ad retinendam pristinam libertatem excitavit, et quartam sectam invexit Galilæorum, ut scribit Josephus in libro ii. de bello Judaico. VALES.

Ib. Ἡμεροβαπτισταί] Vid. Ignatii a Jesu *narratio originis, rituum et errorum Christianorum S. Johannis*, Rom. 1652. 8. Norberg. *de religione et lingua Sabæorum*, 1780. 4. Ejusd. *Codex Nazaræus, liber Adami appellatus, Syriace transscriptus Latineque redditus* t. i—iii. 1815. 1816. 4. Gesenius in *Ersch und Gruber allgemeine Encyclopædie* s. v. Zabier. cf. Moshem. *Commentt.* p. 43. sqq. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archäologie* t. iii. p. 365. sqq. Gieseler. *Lehrbuch der K. G.* p. 59. sq. HEIN.

Ib. Μασβώθεοι] In indiculo Hieronymi Marbonei dicuntur, apud Isidorum vero Morbonei. Ceterum hi Mosbothei distinguendi sunt ab illis quorum paulo ante meminit Hegesippus. Hi enim erant ex septem sectis Judaici populi quæ circa Christi tempora exortæ sunt. Illi vero ex septem illis Judæorum sectis propagati sunt, perinde ac Simoniani, Dositheani atque Gortheni. Mihi quidem mendum subesse videtur in alterutro Hegesippi loco. Apud Rufinum *Masbuthei* dicuntur illi inter Judaicas sectas quarto loco numerati. Alii vero ex illis prognati sectis dicuntur *Masbutheani.* Sic enim scribitur in optimo codice Parisiensis ecclesiæ. VALES.

Ib. Σαμαρεῖται] Rectius Epiphanius Samaritas a Judæis distinxit, et Judæorum quidem septem hæreses recensuit, Samaritanorum vero quatuor. Hegesippum tamen secuti sunt Hieronymus, seu quisquis est auctor indiculi, Isidorus, Honorius Augustodunensis et alii, qui Samaritas inter Judæorum hæreses retulerunt, late scilicet sumentes nomen Judæorum. Atque ita sensisse videtur Hegesippus cum ait: ἦσαν δὲ γνῶμαι διάφοροι ἐν τῇ περιτομῇ. Sed quod subjicit ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ,

id jam excusari non potest, cum Samaritani nunquam pro filiis Israel habiti fuerint. VALES. Σαδδουκαῖοι cf. Schulzii *conjecturæ historico-criticæ*, Halæ 1779. Vid. Eichorn. *Einleitung in das N. T.* t. i. p. 21. n. u. ed. ii. HEIN.

22, 5. τοῦ—εὐαγγελίου] Evangelio secundum Hebræos etiam Justinum M. usum esse probare studuit Stroth. in: *Repertorium für biblische und morgenländische Literatur* tom. i. Præterea vid. Schütz. *de evangeliis quæ ante evangelia canonica in usu ecclesiæ Christianæ fuisse dicuntur* Partt. ii. Paulus *exegetischkritische Abhandlungen* Tübing. 1784. p. 31. sqq. Contra vid. Winer. *Justinum Mart. evangeliis Canonicis usum fuisse ostenditur*, Lips. 1819. 4. Gieseler. *historisch-kritischer Versuch über die Entstehung und frühesten Schicksale der Evangelien* p. 149. Augusti *Denkwürdigkeiten* tom. iv. p. 460. iii. supra iii. 25. (pag. 174.) HEIN.

Ib. πανάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶνος παροιμίας ἐκάλουν] Hieronymus in chronico Olympiade 136. et in præfatione ad proverbia Salomonis, librum sapientiæ Jesu filii Sirach πανάρετον appellari scribit. Eadem porre ratione proverbia Salomonis veteres appellarunt πανάρετον σοφίαν. Quippe liber ille sapientiæ Jesu filii Sirach, apud Hebræos parabolæ inscribitur, perinde ac liber proverbiorum Salomonis. Et quemadmodum Salomon post parabolas scripserat Ecclesiastem et Canticum Canticorum, sic etiam Siracides parabolis suis Ecclesiastem et Canticum exemplo Salomonis adjecit. Utriusque igitur parabolæ dictæ sunt ab antiquis πανάρετος σοφία.[e] Sed et liber ille qui sapientia Salomonis falso inscribitur, πανάρετος σοφία dicitur ab Athanasio in synopsi, et ab Epiphanio in libro de ponderibus.[f] Verum ut hic liber falso adscribitur Salomoni, sic panareti vocabulum falso usurpat. VALES.

22, 6. ἀλλὰ γὰρ ἐφ' ἕτερον ἤδη μεταβατέον] Ab his verbis caput 23. incipit in codice Mazarino, Regio et Fuketiano. VALES.

23, 1. Παροικίας h. l. eodem modo quo i. 1. ubi cf. quæ monui (pag. 3. sq.), de episcopatu integro seu ecclesia totius episcopatus dicitur. Cf. Euseb. H. E. v. 23. vi. 46. Vid. Le Moyne *var. sacr.* tom. ii. p. 49. sqq. p. 55. HEIN.

e Cf. Orig. contra Cels. vi. 7. HEIN.
f Cf. Orig. contra Cels. iii. 72. v. 29. HEIN.

23, 2. Κοδράτου δὲ μετὰ Πούπλιον καταστάντος ἐπισκόπου] Hunc Quadratum Athenarum episcopum, distinguendum esse existimo a Quadrato illo apostolorum discipulo, cujus meminit Eusebius in lib. iii. cap. 37. qui una cum Philippi filiabus prophetico charismate ornatus, evangelium variis in locis prædicavit. Hunc enim episcopum non fuisse, liquet ex supradicto Eusebii loco. Quadratus autem ille qui apologeticum pro religione nostra Hadriano imp. obtulit, de quo Eusebius in principio libri quarti, is ipse est apostolorum discipulus, ut diserte affirmat Eusebius in Chronico. Sed Quadratus Athenarum episcopus, ab illo apostolorum discipulo prorsus distinguendus est. Nam ut supra dixi, Quadratus ille apostolorum discipulus, nunquam episcopus fuit. Certe nec Dionysius Corinthiorum episcopus, nec Eusebius Quadratum Athenarum episcopum, aiunt fuïsse discipulum apostolorum. Quod utique omissuri non erant, si res ita se habuisset, cum hæc vel præcipua laus esset Quadrati. Præterea temporum ratio satis admonet ut hos duos Quadratos distinguamus. Quadratus enim ille apostolorum discipulus, non processit ultra tempora imperatoris Hadriani. Quadratus vero Athenarum episcopus, ecclesiam illam rexit principatu Marci Antonini, ut constat ex hac Dionysii ad Athenienses epistola. Nam Dionysius de hoc Quadrato loquitur tanquam de æquali, qui recens ordinatus fuisset episcopus Athenarum. Floruit autem Dionysius Corinthiorum episcopus regnante M. Antonino. Quare assentiri non possum b. Hieronymo, qui hos duos Quadratos minime distinxit. Sic enim scribit in libro de scriptoribus ecclesiasticis: *Quadratus apostolorum discipulus, Publio Athenarum episcopo ob Christi fidem martyrio coronato, in locum ejus substituitur, et ecclesiam grandi terrore dispersam, fide et industria sua congregat*, etc. Idem scribit in epistola ad Magnum oratorem Romanum. Sed et in Græcorum menologio, Quadratus apostolus confunditur cum Quadrato Athenarum episcopo. Verum in Typico monasterii S. Sabæ hic error non habetur. Sic enim in eo legitur die 21. Septembris: τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Κοδράτου τοῦ ἐν τῇ Μαγνησίᾳ. Et hæc quidem de Quadrato Athenarum episcopo a nobis observata sint. Quod vero spectat ad Publium decessorem Quadrati, plerosque ita sentire video, Publium hunc Dionysio Areopagitæ proxime succes-

sisse. Ita Baronius in notationibus ad martyrologiam Rom., Sirmondus in dissert. de duobus Dionysiis, Blondellus in præfatione quam apologiæ suæ pro sententia Hieronymi præfixit, et ante illos Usuardus cujus hæc sunt verba ad diem 21. Januarii: *natalis b. Publii episcopi, qui secundus post Dionysium Areopagitam Atheniensium ecclesiam rexit.* Verum cum nec Eusebius nec Dionysius id de Publio dixerint, haud facile crediderim, illum Dionysio proxime successisse. Certe Dionysius Areopagites principatu Domitiani abiit e vita, ut inter omnes constat. Nec probabile est illum vitam ulterius produxisse, quippe qui jam grandævus ad Christi fidem conversus sit. Athenis enim nonnisi provecta jam ætate cives in Areopagum promovebantur. Quod si Publium ei proxime successisse dicamus, cum hic principatu M. Antonini martyrium fecerit, plusquam 70 annis in episcopatu eum vixisse dicendum est. Porro Publium regnante Marco subiisse martyrium, ex hac Dionysii ad Athenienses epistola colligitur. Scripsit enim hanc epistolam Dionysius ad Athenienses, ut eorum fidem suscitaret, quæ post mortem Publii, dissipata ob fervorem persecutionis ecclesia, multum fuerat imminuta, nisi quod Quadratus, qui in locum Publii recens substitutus fuerat, eam erigere atque excitare cœperat. Cujus conatum ut adjuvaret Dionysius cum ad eum utpote metropolitem Achaiæ cura hæc pertineret, hanc ad Athenienses dedit epistolam, et quidem sub initia episcopatus sui. Orsus est autem episcopatum pontificatu Soteris papæ, ut supra dixi, post obitum primi Corinthiorum episcopi, quem sub Aniceto fuisse testis est Hegesippus. Quod si Publius sub Trajano passus fuisset, ut vult Sirmondus, nihil jam causæ esset, cur Dionysius Atheniensibus tanto post tempore scriberet ad suscitandam eorum fidem, cum jam a Quadrato id cumulate præstitum fuisset. VALES.

Ib. ἀναζωπύρησιν optime reddidit Val. ita: *redivivum fidei ardorem.* Cf. Eus. H. E. viii. 12. Vit. Const. i. 12. de laudibus Constantini cap. 7. ἀναζωπυρεῖν τὴν μνήμην. Contra i. 1. τὰς διαδοχὰς—ἀνασωσαίμεθα. Vid. Ruhnken. *ad Tim.* p. 129. sq. Orell. *ad Nicol. Dam.* p. 207. cf. Suidas s. v. Pierson. *ad Mœr.* p. 179. Wetsten. *ad 2 Tim.* i. 6. Plutarch. Timoleon. xxiv. init. Cic. de fin. v. 7. HEIN.

23, 3. *τῷ τῆς ἐκκλησίας παρίσταται κανόνι*] Nicephorus in lib. iv. cap. 8. pro his verbis hæc posuit: *τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι στοιχεῖ*, id est, ecclesiasticæ regulæ insistit. In quo sensum quidem expressit Eusebii, sed vim verbi *παρίσταται* non est assecutus. Vox est familiaris Eusebio *παρίστασθαι*, quæ idem valet ac probare, adstruere, confirmare ac defendere, ut hic vertit Rufinus. Sic Eusebius infra in capite ultimo hujus libri de Bardesane loquens, *ἱκανῶς τῷ λόγῳ παρισταμένῳ*: quem locum non intellexit Christophorsonus. VALES.

23, 5. *Κνωσίους* Ruf. Stroth. *Κνωσσ.* Nic. Vid. Meurs. *de Creta* i. 8. Palæph. 16. Hom. Odyss. xix. 178. 179.

> *Τοῖσι δ' ἐνὶ Κνωσσὸς μεγάλη πόλις ἔνθα τε Μίνως*
> —— *βασίλευε.*

Iliad. ii. 646. Similiter Ptolemæus et Strabo x. p. 730. cf. xvi. p. 1105. tres esse referunt urbes Cretæ maxime insignes *Κνωσσὸς, Γόρτυνα, Κυδωνία.* Præterea cf. Nicol. Damasc. historiar. excerpp. et fragmm. p. 158. ed. Orell. HEIN.

Ib. *μὴ—ἐπιτιθέναι* cf. similem sententiam infra expressam v. 3. vid. Sal. Deylingii *exercitatio de Ascetis veterum* in Ejus *Observv. sacr.* lib. iii. HEIN.

23, 7. *φυλαχθὲν Ῥωμαίων ἔθος*] Notandum est illustre testimonium Dionysii Corinthiorum episcopi de Romana ecclesia, quæ cum esset opulentissima, aliarum ecclesiarum inopiam liberalitate sua sublevabat, et fratribus ad metallum damnatis aut in exsilium missis, alimenta et munera submittere consueverat. In hunc usum fiebant collectæ in ecclesia Romana diebus dominicis, de quibus exstant aliquot s. Leonis papæ sermones. Quæ laudabilis consuetudo jam inde a primis apostolorum temporibus instituta, in postrema etiam persecutione Diocletiani servata est, ut hic testatur Eusebius: quo tempore ecclesia Romana Christianis ad metalla Palæstinæ et per Ægyptum damnatis, collectas pecunias misit. De hoc more Romanæ ecclesiæ præter Dionysium Corinthiorum loquitur etiam Dionysius Alexandrinus episcopus in epistola ad Stephanum papam, quam refert Eusebius in lib. vii. cap. 4. *αἱ μέν τοι Συρίαι ὅλαι καὶ ἡ Ἀραβία, οἷς ἐπαρκεῖτε ἑκάστοτε, καὶ οἷς νῦν ἐπεστείλατε.* Id est, Syriæ omnes et Arabia, quibus pecu-

nias idemtidem subministratis. Quem locum male verterunt interpretes. VALES.

Ib. τοὺς ἀνίοντας ἀδελφούς] Male Langus et Musculus *redeuntes* vertere. Melius Rufinus ita interpretatur: *advenientes fratres clementi satis et mitissimo solatur alloquio.* Intelligit enim Dionysius fratres qui ex longinquis regionibus Romam venire consueverant, penuria apud se laborantibus subsidium aliquod a Romanis relaturi. VALES. Μακαρίοις λόγοις minus recte transtulit Rufinus: *clementi* et *mitissimo* alloquio. Pejus etiam Valesius: *beatis* sermonibus, vertit, pessime Stroth. plane illud omisit. Habeat autem necesse est h. l. illa vox activam significationem ita ut apprime respondeat nostro: *beseligend.* Eodem modo in Constantini oratione ad sanct. cœtum c. 11. legitur: ταύτην σοι τὴν εὐχαριστίαν κατὰ τὸ δυνατὸν ἀποδίδομεν Χριστὲ ὁ Θεὸς καὶ σωτήρ—σώζοντί τ' ἐκ τῶν κακῶν καὶ τὴν μακαριωτάτην διδασκαλίαν διδάσκοντι, i. e. doctrinam beatitatis quasi genitricem, non *beatissimam*, ut iterum Valesius vertit. ibid. c. 12. in. 19. extr. τὴν μακαρίαν καὶ ἐπώνυμον τοῦ σωτῆρος τελετήν. 21. Apud veteres ita adhuc certe non inveni illud verbum usurpatum. Ceterum cf. vi. 46. HEIN.

23, 8. ἐν ᾗ ἀνέγνωμεν] Cum hoc fragmento epistolæ Dionysii ad clerum Romanum, jungendus est alter locus ejusdem epistolæ quem citavit Eusebius in cap. penult. lib. 2. Hæc enim duo fragmenta sibi invicem connectenda esse non dubitamus. VALES.

Ib. ὡς καὶ τὴν προτέραν—γραφεῖσαν] Ex hoc ipso epistolæ Dionysii loco duas Clementem Romanum ad Corinthios scripsisse epistolas, haud temere colligere sibi posse visi sunt plures VV. DD., atque omnes, ne Danzio quidem loco sæpe laudato p. 119. not. 13. excepto, Dionysium vere de duabus Clementis epistolis eodem loco in prisca ecclesia habitis, loqui, Eusebium vero hoc ipsum ex illo commemorare crediderunt. Jam vero cum Eusebius supra iii. 16. 38. unam tantum Clementis epistolam pro genuina agnoscat, profecto, si hoc loco vere ex Dionysio, scriptore satis antiquo et accurato, duarum mentionem faceret, nemo non idem deberet dicere quod dixit Danzius l. l., cur illud ab Eusebio factum sit, ne conjectura quidem nos posse assequi. Sed nihilominus ad conjecturas

proclives fuerunt VV. DD., et nominatim Le Moyne in *varr. sacr.* t. ii. p. 1067. sq. (non, ut apud Danzium citatur, p. 10. 61.) pro τὴν προτέραν scribendum esse conjecit τὸ πρότερον. Sed ut taceam, quod ipse Danzius, cui haud displicet conjectura illa, confessus est, omnium librorum auctoritate eam esse destitutam, ipsius grammatices leges ei repugnant, quod tacuit Danzius. Necessario enim ante τὸ πρότερον articulus τὴν ponendus erat, et deinde tantum una Clementis epistola olim s. prior scripta significaretur. Itaque si conjectura esset opus, longe facilior certe, credo, esset ea, quæ mihi in mentem venit, ut scribatur: τὴν πρότερον ἡμῖν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσαν, quo idem exprimeretur scil.: *eam, quæ prius s. olim* (πρότερον loco adverbii positum ut supra cap. 7. ἤδη πρότερον) *nobis per Clementem scripta est.* Deinde quamvis vel hoc rejiciatur, et vere alteram etiam hoc loco ab Dionysio et Eusebio Clementis epistolam tanquam a veteri ecclesia publice lectam commemorari, atque Eusebium priorem suam sententiam h. l. aut quasi retractare, aut secum ipsum pugnare, concedatur, tamen ne sic quidem ex his omnibus poterit effici, quod inde posse sibi nonnulli persuaserunt, secundam quoque Clementis epistolam pro genuina sine controversia habendam esse. Ut enim omnia alia mittam, constat multos libros in antiqua ecclesia esse publice lectos, de quorum αὐθεντίᾳ vehementer adhuc disceptatur et dubitatur. Vid. Euseb. H. E. iii. 23. extr. ὅμως δ' ἴσμεν καὶ ταύτας (epistolas Jacobi et Judæ) μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείσταις δεδημοσιευμένας ἐκκλησίαις. ibid. iii. 3. extr. ἰστέον ὡς καὶ τοῦτο (liber Hermæ) πρὸς μέν τινων ἀντιλέλεκται,—ὑφ' ἑτέρων δ' ἀναγκαιότατον οἷς μάλιστα δεῖ στοιχειώσεως εἰσαγωγικῆς. Ὅθεν ἤδη καὶ ἐν ἐκκλησίαις ἴσμεν αὐτὸ δεδημοσιευμένον. Cf. I. A. Dietelmaier. *de fragmento Clementis Rom., quod sub nomine Epistolæ II. ad Corinth. habetur*, Altorf. 1748. 4. p. 15. sq. Hug. *Einleitung* tom. i. p. 107. §. 18. Sed omnibus his ex mea sententia haud opus est, quia nullo modo h. l. legitur, quod invenerunt VV. DD., a quo vel illud eos absterrere poterat, quia Eusebius minime scripsit in illa Dionysii epistola secundæ etiam mentionem fieri Clementis Rom. ad Corinthios epistolæ, sed simpliciter: ἐν αὐτῇ δὲ ταύτῃ καὶ τῆς Κλήμεντος πρὸς Κορινθίους μέμνηται ἐπιστολῆς, quibus verbis haud dubie nihil aliud sibi voluit Eusebius, nisi eam episto-

lam Clementis ibi commemorari, quæ omnibus satis nota sit et communi consensu pro genuino Clementis libro habeatur. Nam cum contrarium prorsus recederet ab Eusebii sententia, sine dubio scripsisset si illud nihilominus commemorare h. l. voluisset, *τῆς δευτέρας Κλήμεντος—ἐπιστολῆς*. Jam vero hoc nec Dionysius scripsit, sed *τὴν προτέραν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσαν* ipsis, commemorat epistolam. Quæ quid sibi velint, satis liquet. *Τὴν προτέραν* enim illam dicit, nullius nisi Romanorum ad ipsum et Corinthios epistolæ ratione habita, neque aliud ad *προτέραν* subaudiendum quam præcedens *ὑμῶν ἐπιστολῆς*, *as also the letter written to us by Clemens before yours.* Nihil igitur dicitur a Dionysio nisi Clementis epistolam unam illam ac solam ad Corinthios vere scriptam eodem modo a Corinthiis publice legi, quo Romanorum, serius ad ipsum et suum cœtum perscriptam, et perperam vertit Valesius: *perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam*, cum rectius deberet vertere: perinde atque eam, quæ per Clementem prior ad nos scripta est. Pejus etiam Strothius interpretatus est: *So wie den ersten, der durch Klemens an uns geschrieben worden.* Non cogitavit igitur V. D. *προτέραν* h. l. de solo tempore, neque vero de numero dictum esse. HEIN.

23, 10. *λογικῆς τροφῆς*] Cf. i. 1. *λογικῶν λειμώνων* i. 2. *λογικῆς καὶ ἀθανάτου στρατιᾶς* ibid. *λογικὰ — τῆς ἀνθρώπων ψυχῆς σπέρματα* i. q. *λογισμοί* ibid. Euseb. V. C. iii. 51. *λογικωτέραν—διδασκαλίαν* i. e. *plenam sapientiæ.* Contra Euseb. H. E. iv. 7. p. 303. *λογικώτερον—ὑπερμαχούντων* est: cum *disertius* scil.: quam antea vel quam hæretici pro doctrina sua—decertarent, et rectius certe Valesius vertit: *disertissime* quam Stroth. *mit vieler Gründlichkeit.* Cf. Chrysost. t. xii. p. 344. A. Xenoph. Mem. iv. 3. 11. Contra apud Philon. de legg. speciall. tom. ii. p. 346. *ἄθεοι τῆς ψυχῆς λογισμοὶ* commemorantur cf. 2 Cor. x. 5. Eus. H. E. iii. 10. viii. 13. *λογικῶν Χριστοῦ θρεμμάτων.* Hoc autem sensu, quo *λογικὸς* est *rationalis*, nunquam in Eusebio certe legitur *λόγιος* (cf. iii. 36. pag. 192. sq. Passow. s. v. *λογικὸς*) et neque hoc ipso capite ubi Eusebius *τὸ λόγιον* prædicat Pinyti. Statim enim sequitur: *ἡ περὶ τὰ θεῖα σύνεσις* et illud *λόγιον* nihil est nisi *scientia* Pinyti, neque vero *prudentia*, ut Strothius censuit. Rectius certe Val. *eloquentia* vertit. cf. Actor. xviii. 24. HEIN.

24, 1. Πρὸς τὴν αἵρεσιν Ἑρμογένους] De Hermogene ejusque hæresi vide Baronium ad annum Christi 170. Cui tamen assentiri non possum in eo quod dicit Hermogenem docuisse in Africa: quod nescio undenam hausit Baronius. Nam si ex eo quod Tertullianus adversus illum scripsit, eum in Africa vixisse putandum est, pari jure eum Syrum esse credemus, eo quod Theophilus Antiochenus in eum scripsit. De eodem Hermogene loquitur Clemens Alexandrinus in lib. hypotyposeon, sive in excerptis Theodoti: ubi exponens hæc Davidis verba: *In sole posuit tabernaculum suum: Quidam*, inquit, *aiunt Christum in sole corpus suum deposuisse, ut Hermogenes.* Idem certe de Hermogene tradit Theodoretus et Philastrius. VALES.

25, 1. Ὧν—εἰσέτι νῦν—διαφυλάττονται] Sequitur inde, quod tam diserte et accurate hoc observavit Eusebius (cf. c. 24. ὅς—εἰσέτι νῦν διασέσωσται), minime omnes libros ab ipso citatos ipsius tempore adhuc superfuisse. Unde vero quem librum ipse, et quem ex aliorum tantum relatione cognoverit Eusebius, possit judicari, κανόνα proposuit Kestner. p. 6. §. 6. hunc: "*Ipse* (Eusebius) *cognovisse atque etiam perlegisse videtur eos libros, quorum vel argumentum copiosa quadam adumbratione exponit, vel quos ita penitus perspectos habuit, ut singulas adeo notitias, quæ alioquin non tam facile in oculos incidant, v. c. librorum sacrorum citata passim obvia, excerperet. Ii vero, quos ab antiquioribus tantum laudari memorat vel quorum titulum solum citat, veri similius neque legisse neque cognovisse putandus est.*" Cf. quæ observavi ad v. 27. et vi. 32. HEIN.

26, 1. Μελίτπν] Hunc non tam Montanistarum adversarium, quam amicum fuisse satis probabile reddidit Danz. p. 128. not. 38. sqq. cf. Eus. v. 24. Cave *Hist.* t. i. p. 43. HEIN.

Ib. καὶ τὸ περὶ πολιτείας καὶ προφητῶν] Male Rufinus et Christophorsonus ex uno Melitonis libro duos fecerunt, alterum de recta conversatione, alterum de prophetis; quasi in Græco legeretur καὶ τὸ περὶ προφητῶν. Sed cum in omnibus scriptis codicibus et apud Nicephorum non alia lectio reperiatur quam ea quæ vulgata est, merito illorum sententiam et interpretationem rejicimus. Adde quod Hieronymus in lib. de scriptoribus ecclesiasticis, qui ex Eusebii historia totus

fere descriptus est, hunc Melitonis librum *de vita prophetarum* inscribi dicit. VALES. Ex hoc Hieronymi loco de vir. illustr. c. 24. eodem modo possit colligi, libri illius titulum fuisse potius περὶ τῆς πολιτείας τῶν προφητῶν quam περὶ τῆς πολιτείας vel πολιτείας simpliciter καὶ τῶν προφητῶν. Quanquam vocem πολιτεία nude positam stare non posse eo sensu, ut sit de (recta) agendi ratione, minus certum puto quam Danz. p. 102., neque hunc librum qui h. l. et eum qui infra commemoratur (λόγος περὶ προφητείας) sub una exiisse inscriptione: περὶ προφητείας καὶ προφητῶν, probari potest. Equidem aut τὰ περὶ τῆς πολιτείας (i. e. agendi ratione qualis esse debet περὶ τῆς κατὰ Θεὸν πολιτείας cf. v. procem. pag. 312.) καὶ προφητῶν aut καὶ τὰ περὶ πολιτείας τῶν προφητῶν præeunte Hieronymo h. l. scribendum puto, librum contra περὶ προφητείας inferius laudatum commode pro peculiari haberi posse. HEIN.

26, 2. ὁ περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθητηρίων] Apud Nicephorum legitur ὁ περὶ ὑπακοῆς πίστεως· καὶ ὁ περὶ αἰσθητηρίων, ut duo fuerint Melitonis libri: alter de obedientia fidei, alter de sensibus, idque confirmant Hieronymus et Rufinus. In omnibus tamen nostris codicibus legitur καὶ ὁ περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθητηρίων absque distinctione, quam Rob. Stephanus post vocem πίστεως adjecit. Fuit igitur hic Melitonis liber ita inscriptus: De obedientia sensuum fidei: seu quod idem est, de obedientia fidei quæ fit a sensibus. Quidam enim hæretici aiebant, animales quidem seu psychicos sensuum opera credere, spiritales vero per rationem. Ita Heracleo explicabat locum illum ex Joannis evangelio: *Nisi signa et prodigia videritis, non credetis.* Quæ Christi verba aiebat Heracleo dici proprie ad eos, qui per opera et sensus naturam habeant obediendi, non autem credendi per rationem. Refert hæc Origenes enarrationum in Joannis evangelium tomo xiii. ubi id refutat, docetque tam spiritales quam animales non posse nisi per sensum credere. VALES. Vid. Grabius *spicileg. P. P.* t. ii. p. 80. sqq. cf. Danz. p. 97. HEIN.

Ib. καὶ περὶ πίστεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ] In codice Maz. Med. et Fuk. et apud Nicephorum legitur περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ. Id est: *De creatione et generatione Christi.* Quam scripturam veram esse non ambigimus. Rufinus qui-

dem vulgatam lectionem secutus est, ut ex interpretatione ejus apparet. Hieronymus vero uno generationis vocabulo contentus, vocem κτίσεως utpote duriorem declinavit, propterea quod Christum in ordinem creaturarum cogere videretur. Verum antiqui patres qui ante concilium Nicænum vixere, per vocabulum κτίσεως, non eam solum creationem quæ ex nihilo fit, sed omne genus productionis intellexerunt, ipsamque adeo generationem verbi. Itaque id quod in proverbiis legitur: *Dominus creavit me principium viarum suarum*, de generatione illa æterna exposuerunt: itemque illud apostoli, *primogenitus omnis creaturæ*. Quæ omnia Marcellus quidem Ancyræ episcopus, de incarnatione Christi dicta esse contendebat, sed refutatur ab Eusebio in libro ii. contra Marcellum cap. 3. et in lib. iii. de ecclesiastica Theologia cap. 2. Porro in codice Mazarino ad vocem κτίσεως notatur in margine eadem manu Γρ. πίστεως. Quæ nota significat, in quibusdam exemplaribus pro κτίσεως scribi πίστεως. VALES. Κτίσεως habent etiam Venet. MSt. MG. Stroth.; quare non dubitavi ipse illud recipere. Ceterum cf. C. Chr. Woogii *diss. de Melitone Sardium in Asia episcopo*, Lips. 1744. et Pauli *Historia Cerinthi*, P. ii. p. 31., citante Danzio, p. 96. HEIN.

Ib. Καὶ λόγος αὐτοῦ περὶ προφητείας] Rufinus hæc cum verbis superioribus conjunxit hoc modo: *De fide et generatione Christi et de prophetis ejus*, cui tamen non assentior. Rectius Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis hunc locum ita vertit: *Item de prophetia sua librum unum.* Certe Melitonem prophetam a plerisque habitum fuisse docet Tertullianus. Hieronymus in Melitone: *Hujus*, inquit, *elegans et declamatorium ingenium laudans Tertullianus in septem libris quos scripsit adversus ecclesiam pro Montano, dicit a plerisque nostrorum prophetam putari*. VALES.

26, 3. Καὶ—Ἰωάννου duos diversos libros esse ex Rufino et Hieron. colligitur. HEIN.

Ib. περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ] Hoc in libro contendebat Melito, Deum corporalem esse, idque ex variis scripturæ locis comprobabat. Quem quidem Melitonis errorem merito reprehendit Origenes in expositione in Genesim his verbis: προδιαληπτέον πρότερον ποῦ συνίσταται τὸ κατ' εἰκόνα ἐν σώματι ἢ ἐν

ψυχῇ. Ἴδωμεν δὲ πρότερον οἷς χρῶνται οἱ τὸ πρῶτον λέγοντες· ὧν ἐστὶ καὶ Μελίτων, συγγράμματα καταλελοιπὼς περὶ τοῦ ἐνσώματον εἶναι τὸν Θεόν· μέλη γὰρ Θεοῦ ὀνομαζόμενα εὑρίσκοντες etc. quæ referuntur a Theodoreto in cap. 20. quæstionum in Genesim. Eundem Melitonis errorem observat Gennadius in libro de dogmatibus ecclesiasticis: *Nihil corporeum in Trinitate credamus, ut Melito et Tertullianus.* VALES. Eundem esse probare studet librum περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ Danz. *de Euseb.* p. 98. sq., quem commemoret Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ cap. 13. p. 258. sub nomine περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ, titulum obscuriorem clariore permutans. Sed sententiæ Danzii prorsus quantum video, refragatur locus Origenis, quem attulit Valesius, et ubi disertis verbis dicitur, scripta quædam reliquisse Melitonem quæ proprie de hac ipsa quæstione agebant, utrum Deus sit corporalis. Neque igitur recte Danzius l. l. inquit: "*Non enim video, quare in libro, qui proprie est de incarnatione Christi* (imo ex Origenis sententia de Dei natura, utrum corporea nec ne), *non et aliæ autoris opiniones, ut h. l. de imagine divina, occurrere possint.*" Multo autem minus equidem video, quod statim post scribit V. D. "*Certe, si de imagine divina omnis egisset liber, ejus titulus esse debuisset* περὶ τοῦ ἐν σώματι Θεοῦ. Ἐνσώματος *enim* Θεὸς *est Christus, quatenus humano indutus corpore inter homines apparuit.*" Christum enim vocari sæpe et sæpius ἐνσώματον Θεὸν quam Deum ipsum, illud facile largior, sed hoc vellem probasset Danzius, eum *solum* ita vocari, neque Deum ita *posse* vocari. Rem se habere aliter, ipse Origenis locus docet. Itaque non possum recedere a sententia Valesii, cui dudum suffragati sunt Ittigius *de hæresiarch. primi et secundi seculi*, p. 195. sq. et Cotelerius in *nott. ad scriptores apostoll.* p. 427. HEIN.

Ib. τὸ πρὸς Ἀντωνῖνον βιβλίδιον] Id est libellus supplex. Sic videtur inscripta fuisse Melitonis Apologia pro Christianis ad Imp. Antoninum Verum, eo quod proprie esset libellus supplex imperatori oblatus. Idem etiam fuit titulus Apologetici Justini, ut patet ex fine posterioris Apologetici, ubi Justinus ita loquitur: καὶ ὑμᾶς οὖν ἀξιοῦμαι ὑπογράψαντας τὸ ὑμῖν δοκοῦν, προθεῖναι τουτὶ βιβλίδιον. Certe orationem illam Melitonis nihil aliud fuisse quam libellum precum oblatum

imperatori, patet ex fragmento illo quod profert Eusebius ταύτην δέ σοι μόνην προσφέρομεν δέησιν, etc. VALES.

Ib. Ἐν μὲν οὖν τοῖς] Cf. Epiph. hær. l. i. Woog. l. l. p. 9. Tillemont. *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*, t. ii. p. 672. sqq. HEIN.

26, 6. ταύτης τῆς φιλονεικίας ἐργάτας] Male interpretes omnes hæc Melitonis verba accepere de calumniatoribus Christianorum, cum de Christianis intelligi debeant, quos Melito vocat ἐργάτας φιλονεικίας, id est ἀσκητάς. Profitebantur enim Christiani pertinaciam et constantiam in tormentis et calumniis perferendis. Certe non de aliis quam de Christianis ipsis hæc verba intelligenda esse, ex sequentibus apparet. Petit enim ab imperatore Melito, ut Christianorum causam prius ipse per se dispicere atque examinare velit, tum deinde statuat, utrum supplicio afficiendi sint, an potius conservandi. VALES. Addo cum Stroth. *Uebers.* t. i. p. 294. not. 9. *It is self evident that Melito thoughtlessly used the word in a good sense.* HEIN.

Ib. καινὸν διάταγμα] Cf. Moshem. *Commentt.* p. 242. sq. HEIN.

26, 7. ἐν βαρβάροις ἤκμασεν] Sic nominat Judæos, apud quos primum exorta est Christiana religio. Atque ita loquitur etiam Justinus in Apologetico ni fallor, et Clemens Romanus in libro i. Recognitionum. Hinc est, quod Porphyrius Christianorum sectam appellat βάρβαρον τόλμημα. Locus Porphyrii citatur ab Eusebio in libro vi. hujus operis. VALES.

26, 8. γέγονάς τε καὶ ἔσῃ μετὰ τοῦ παιδός] Ex hoc loco apparet Melitonem episcopum apologiam suam obtulisse M. Antonino post mortem Aurelii Veri. Nam si superstite adhuc Aurelio Vero orationem hanc scripsisset Melito, mentionem illius procul dubio fecisset hoc loco, et pro verbis illis μετὰ τοῦ παιδὸς, dixisset omnino μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ. Nam L. Aurelius frater fuit adoptivus d. Marci. Cum igitur solum Marci Antonini filium, Commodum videlicet hic commemoret Melito, optetque ut cum illo quam diutissime imperet Marcus, manifestum est ut dixi, hunc Apologeticum post mortem L. Veri Marco oblatum fuisse. Proinde in Eusebii Chronico recte id refertur anno 10. Marci Antonini, anno scilicet post

mortem L. Veri. *Antonino*, inquit, *Imp. Melito Asianus Sardiensis episcopus Apologeticum pro Christianis tradidit.* Cum Eusebii Chronico consentit auctor Chronici Alexandrini. Qui etiam hoc addit, Marcum Antoninum Melitonis aliorumque Christianorum antistitum supplicationibus permotum, scripsisse epistolam ad commune Asiæ, qua vetabat ne quis in-posterum Christianos religionis suæ causa calumniaretur. Exstat hæc epistola supra in cap. 13. hujus libri. Ac laudandus est quidem auctor illius Chronici, quippe qui recte animadverterit, epistolam illam non Antonino Pio, ut Eusebius crediderat, sed Marco potius esse tribuendam. In eo tamen fallitur, quod eandem epistolam anno decimo principatus M. Antonini scriptam esse existimavit. Scripta est enim anno primo ejus imperii, ut colligitur ex anno 15. tribuniciæ potestatis in eadem epistola prænotato. VALES. Valesium non animadvertisse, Armeniaci nomen Marco, dum tribunitiam potestatem xv. gereret, non datum esse, et scriptorem Chronici Alexandrini in eo tantum peccasse, quod numerum tribunitiæ potestatis xv. prorsus mendosum retineret, pro quo legendum sit *τὸ τρίτον καὶ εἰκοστὸν*, id est, tribunitiæ potestatis xxiii. monet Pagi *Crit.* t. i. p. 150. citante Readingo ad h. l. HEIN.

Ib. *ἣν—ἐτίμησαν* ad Tiberii decretum de Christo inter deos referendo respicere conjecit Lowthius. vid. Moshem. *dissert. de studio Ethnicorum Christianos imitandi* in Ejusd. *Dissertt. ad hist. eccl. pertt.* vol. i. p. 359. sq. HEIN.

26, 9. *Μόνοι πάντων—Νέρων καὶ Δομετιανός*] Idem scribit Tertullianus in Apologetico, cap. 5. *Reperietis*, inquit, *primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse.* Et paulo post: *Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate.* Quibus hæc subjungit: *Ceterum de tot exinde principibus ad hodiernum, edite aliquem debellatorem Christianorum. Quales ergo leges istæ, quas adversus nos soli exercent impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes? quas Trajanus ex parte frustratus est, quas nullus Hadrianus, nullus Pius, nullus Verus impressit.* VALES.

26, 10. *ὁ δὲ πατήρ σου*] Rescriptum quidem Antonini Pii pro Christianis hodie non exstat. Sed ejus mentio fit in re-

scripto M. Aurelii Antonini ad civitates Asiæ, quod supra retulit Eusebius cap. 13. hujus libri. Porro hunc locum ita scribi mallem: ὁ δὲ πατήρ σου, καὶ σοῦ τὰ πάντα συνδιοικοῦντος αὐτῷ. VALES. Confirmat hoc Nic. HEIN.

26, 11. Σὲ δὲ μᾶλλον περὶ τούτων τὴν αὐτὴν ἐκείνοις ἔχοντα γνώμην] His verbis Melito designare videtur epistolam M. Antonini, ad commune Asiæ datam pro Christianis, in qua inter cetera leguntur hæc verba: καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν· οἷς δὴ καὶ προέγραψα κατακολουθῶν τῇ τοῦ πατρός μου γνώμῃ. VALES.

26, 14. Δαυὶδ semper esse scribendum monuit Montefalconius in *biblioth. Coisl.* p. 50. cf. Suicer. *Thes.* t. i. p. 823. sq. Δαβίδης et Δαυΐδης legitur in Nicol. Damasc. Historiarum exceptt. et fragmm. p. 114. 134, ed. Orell. cf. Knapp. *Commentatio Isagogica præfixa editioni N. T. iii.* p. xliv. Gesenius *Lehrgebäude der hebräischen Sprache* p. 51. HEIN.

Ib. ἡ Σοφία] Hunc locum restituimus ex fide veterum codicum Regii, Maz. Med. Fuk. et Saviliani, quibus subscribit etiam Nicephorus Σολομῶνος παροιμίαι, ἣ καὶ σοφία. Sed et Rufinus hanc lectionem confirmat, ita vertens: *Salomonis proverbia, quæ et sapientia.* Certe veteres pæne omnes proverbia Salomonis sapientiam vocabant, interdum et sapientiam panareton. Vide quæ supra notavimus ad cap. 22. Dionysius Alexandrinus ὅτι κύριος δίδωσι σοφίαν, καὶ ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ γνῶσις καὶ σύνεσις, ὡς ἡ σοφὴ βίβλος ἐμήνυσε. Quæ Dionysii verba referuntur in cap. 28. catenæ in Job. Auctor itinerarii Hierosolymitani: *Ibi etiam constat cubiculus, in quo Salomon sedit et sapientiam descripsit.* VALES.

27, 1. Τοῦ δ' Ἀπολιναρίου] In manuscriptis codicibus Maz. Med. et Fuk. nulla hoc loco fit capitum distinctio. Sed caput hoc. 27. quod est de Apollinare, et sequens caput, quod est de Musano, attribuuntur capiti 26. cujus titulus est hic in manuscriptis codicibus: περὶ Μελίτωνος, καὶ ὧν αὐτὸς ἐμνημόνευσεν Ἀπολιναρίου καὶ Μουσανοῦ. Quam distinctionem secutus est etiam Rob. Stephanus in contextu hujus libri. Nam in indice quidem capitulorum qui præfixus est huic libro, Regium codicem secutus, tria hæc capita distinxerat, unum scilicet de Melitone, aliud de Apollinare, aliud de Musano.

In ipso autem corpore seu contextu libri, Medicæum secutus codicem, quem in capitulorum numeris ad marginem libri notandis semper sequi solet, nullam hoc loco capitum distinctionem apposuit, sed tria capita in unum contulit, quod est de Melitone. Nos Regii codicis auctoritatem secuti, tria hæc capita distinximus, quod etiam ante nos fecerant typographi Genevenses. Certe Regius codex non solum in indice capitulorum qui libro præfixus est, verum etiam in corpore tria hæc capita distinguit, modicis intervallis inter finem unius capituli et alterius initium relictis. Sed et Rufinus hæc tria capitula sejunxit. Ceterum etsi in codice Mazarino nulla sit hoc loco novi capitis distinctio, ad latus tamen adscripta sunt hæc verba eadem manu περὶ Ἀπολιναρίου. Et paulo post ad illa verba καὶ Μουσανοῦ δὲ, scriptum est in margine περὶ Μουσανοῦ. VALES.

Ib. μετ' οὐ πολὺν καινοτομηθείσης] Christophorsonus vertit: *Quæ non multo post tempore de integro renovata.* Quam interpretationem probare non possum. Langus vero et Musculus fere eundem sensum ambo secuti sunt. Sic enim Langus: *Et quæ præterea adversum Phrygum hæresim composuit quæ non multo post res novas in ecclesiam induxit.* Musculus vero in hunc modum: *Quæ non multo post tempore insolescere cœpit.* Possis etiam ita vertere: *Quæ non multo postea apertius publicata est.* VALES. Vertendum: *contra Cataphrygum hæresin, quæ nova dogmata—temere proposuit:* aoristo passivi posito pro medio cap. 7., ubi vid. (pag. 219.) cf. Eur. Troad. v. 484. ἐτμήθην pro ἔταμον aut ἐταμόμην. Vid. Matthiæ *ausf. gr. Gr.* p. 926. 493. p. 935. 6. Weiner. *neut. Gr.* p. 112. 2. Præterea Stroth. *deutsche Uebers.* t. i. p. 299. not. 4. hæc scripsit: *This* (καινοτομεῖν) *is the word generally opposed to* ὀρθοτομεῖν, *and the true and proper word, which signifies precisely the same as to raise up new and erroneous opinions——For the useful information of certain blockheads, that they may not, through ignorance of the custom of the language, make any other new word* σκολιοτομεῖν, *just as, not contented with the word "Heterodoxy," they wish to have sometimes "Scoliodoxy," and sometimes "Cacodoxy." A certain proof that they have never seen any of the oldest Church authors, who always use that word, and*

that moreover they do not understand the language. Puto tamen in his etiam nonnulla inesse, quæ sine illo impetu nescio quo circumspectius debebat disserere Strothius. Quamvis enim tum hoc loco tum supra eo, quem dixit V. D., sensu καινοτομεῖν legatur, tamen illud falsum est, quod contendit, *per se ac sua vi* oppositum esse καινοτομεῖν verbo ὀρθοτομεῖν (cf. 2 Tim. ii. 15. Vales. ad Euseb. H. E. iv. 3.), imo illud nonnisi inde solet in patrum ecclesiasticorum scriptis fieri, quia isti tam tenaciter et mordicus tenebant doctrinam ecclesiæ prisca quadam vetustate sacratam ut, si quis vel paucula innovare in illa cuperet, *eo ipso* falsa et detestanda dogmata effutire crederetur. Cf. Suicer. *Thes.* t. ii. p. 508. sq. s. v. ὀρθοτομεῖν. Hinc omnibus ac singulis locis facile docet ipsa contexta oratio, quo sensu illud verbum dictum sit. Cf. cap. 28. ξένην τε καὶ φθοριμαίαν ψευδοδοξίαν εἰσάγουσαν. Jam vero per se nihil potest esse voci καινοτομεῖν oppositum nisi: studiosiorem esse dogmatum et institutorum antiquorum, justo tenaciorem esse laudatorem temporis acti, et quamvis tum qui καιτονομεῖ tum qui (sit venia verbo!) παλαιοτομεῖ, semper justos rerum fines transiliet, ultra quos citraque rectum consistere nequit, tamen uterque falsa et perversa afferat per se non est necesse, cum usu sæpius evenerit, ut vel nimium antiquitatis studium meliora certe novis, vel novitatis pruritus meliora certe antiquis attulerit. Ceterum neque illud verum est, semper apud patres malo illo sensu et pejori etiam, ut vidimus, eo quem verbo illi tribuunt scriptores profani, legi καινοτομεῖν. Docere illud possum certe uno loco ipsius Euseb. H. E. ii. 2. in. ubi τὰ παρὰ σφίσι καινοτομούμενα ipse Strothius simpliciter vertit: *Das was bei ihnen Neues vorgefallen war.* Neque enim Romani provinciarum et ipsius Judææ præsides ex antiqua illa lege, cujus l. l. mentionem facit Eusebius, referre imperatoribus debebant falsas opiniones et dogmata, quas in provinciis invaluisse cognoverant, certe ante omnia quærendum iis erat, utrum aliquid inde detrimenti capere posset respublica Romana. Itaque τὰ παρὰ σφίσι καινοτομουμένα nihil esse potest, nisi quod ipse Stroth. vertendo expressit, et quod l. l. statim post legitur: ὡς ἂν μηδὲν αὐτῶν διαδιδράσκοι τῶν γινομένων i. e. omnium eorum, quæ recentius evenerant, et reipublicæ saluti vel prodesse vel obesse viderentur. Neque alia de re

ad Tiberium Pilatus retulit, si retulit, nisi ut Eusebius ipse testatur, de Christi miraculis, resurrectione, deque multorum in eum fide, quæ utrum vera an falsa, nihil pertinebat ad Pilatum, ex ipso Christo quærentem: τί ἐστιν ἀλήθεια; Joh. xviii. 38. HEIN.

28, 1. Ἐπιστρεπτικώτατος λόγος] Musculus et Christophorsonus Rufini interpretationem secuti verterunt *elegantissimus*. Mihi tamen magis placet interpretari *acerrimum, vehementissimum*. Possis etiam vertere *objurgatorium*. Idem enim est ἐπιστρεπτικὸς ac νουθετικός[g]. Nicephorus vero cum ea vox ipsi displiceret, ἀποτρεπτικὸς pro ea substituit minus recte. VALES.

Ib. ἧς παρεκτροπῆς] Ab his verbis in codice Mazarino incipit caput 29. Quod quidem caput non 29. sed 27. in illo codice nominatur, ob rationem quam supra dixi. VALES.

29, 2. Καὶ τοῦτο νῦν ἐξευρέθη] Jam supra monuimus, νῦν apud Græcos interdum idem valere ac *nuper*. Ita etiam hoc loco sumitur ab Irenæo. VALES.

Ib. οἰήματι διδασκάλου ἐπαρθείς] Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis vertit: *inflatus eloquentiæ tumore*. Itaque Hieronymus διδάσκαλον magistrum eloquentiæ hic intellexit, cujusmodi fuisse Tatianum, priusquam ad Christi fidem transiisset, supra ex Theodoreto et Eusebio notavimus[h]. Quibus etiam addi potest Victor Capuanus episcopus in præfatione ad harmoniam evangelicam Ammonii atque Tatiani. Verum hoc in loco doctorem ecclesiasticum intelligi malim. Quod confirmant sequentia Irenæi verba: ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο. VALES. Valesius teste Readingo in Corrigendis ad oram annotationum scripsit οἰδήματι. HEIN.

29, 3. μικρὸν δὲ ὕστερον Σεουῆρος] Epiphanius hunc Severum antiquiorem facit Tatiano, male, ut ex hoc Eusebii loco convincitur. Certe Irenæus nullam hujus Severi mentionem facit. Recte ergo Theodoretus in libro primo hæreticarum fabula-

[g] Neutram interpretationem esse veram, bene monet Danz. *de Euseb.* p. 100. qui potius ἐπιστρ. λόγον esse dicit vel *librum summa cura elaboratum* vel *convertendis aliter sentientibus utilissimum*. Illud teste Hesychio, qui ἐπιστρέφεσθαι esse dicit φροντίδα ποιεῖν, hoc quia ἐπιστρέφειν est quoque sæpissime *reducere in viam* Prius mihi magis placet. Similiter enim ἐπιστρέφεια dicitur *sollertia, industria* a Cyrill. Alex. in cap. xi. Hoseæ, p. 166. cf. Suicer. *Thes.* i. p. 1194. HEIN.

[h] Vid. Ittigius *de hæresiarch. primi et sec seculi*, p. 203—209. cf. Euseb. H. E. v. 13. HEIN.

rum, Severum Tatiano postposuit. VALES. Sua non Irenæi verba referre Eusebium, patet jam ex his ὃ καὶ—φέρεται. Perperam igitur ad Irenæum retulit Ruf. Cf. Ittig. l. l. p. 216. sq. xv. et p. 209. sq. HEIN.

29, 4. τὸ διὰ τεσσάρων] Exstare hodieque hoc opus Tatiani cum harmonia evangeliorum Ammonii Alexandrini in tomo 7. bibliothecæ patrum, observavit Baronius ad annum Christi 174. Epiphanius in hæresi 46. hoc opus Tatiani a quibusdam dicit vocari evangelium secundum Hebræos. Sed fallitur aut ipse Epiphanius, aut ii qui ita sentiebant. Etenim evangelium illud secundum Hebræos antiquius est Tatiano. Quippe Hegesippus, qui aliquot annis Tatianum antecessit, evangelii secundum Hebræos mentionem fecerat, ut scribit Eusebius supra cap. 22. Papias quoque historiam quandam ex eodem Hebræorum evangelio petitam, in suis libris narraverat, teste Eusebio in fine libri tertii. Denique multa citantur ab Hieronymo ex evangelio Hebræorum, quæ hodie non leguntur in illo evangelio Tatiani. In eo quidem consentiebant duo hæc evangelia, quod genealogiam Christi expunxerant. Nam de Hebræorum evangelio id diserte testatur Epiphanius in hæresi Nazaræorum. De Tatiani autem evangelio idem ait Theodoretus in libro primo hæreticarum fabularum, cap. 20. τάς τε γενεαλογίας περικόψας, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα γεγεννημένον τὸν κύριον δείκνυσιν. Porro quod scribit Hieronymus in epistola ad Algasiam, Theophilum Antiochenum episcopum quatuor evangelistarum dicta in unum corpus compegisse, vereor ne memoria lapsus sit, Theophilo tribuens quod Tatiano competebat. Potuit tamen etiam Theophilus ejusmodi opus elaborare. Nam et Ammonius Alexandrinus evangelium διὰ τεσσάρων composuit, insertis in Matthæi evangelium reliquorum trium evangelistarum excerptis, ut testatur Eusebius in epistola ad Carpianum, quam evangeliorum canonibus præfixit. De hoc Tatiani evangelio sensit b. Ambrosius in procemium Lucæ, cum ait de hæreticis: *Plerique etiam ex quatuor evangelii libris in unum ea quæ venenatis putaverunt assertionibus convenientia, referserunt.* Ceterum quod Baronius observavit, opus hoc Tatiani quod διὰ τεσσάρων vocabatur, hodie exstare in tomo vii. bibliothecæ patrum, diligentius inquirendum est. Ego certe re attentius

examinata tandem deprehendi, opus illud quod post Ammonii harmoniam editum esse dixi, longe differre ab evangelio Tatiani. Quippe opus illud, sicut lectio ipsa indicat, nihil aliud est quam paraphrasis quatuor evangeliorum, seu potius epitome eleganter conscripta ab homine catholico. At evangelium Tatiani ipsismet evangelistarum verbis contextum fuit, resectis duntaxat iis quæ ad Davidicam Christi genealogiam spectant. Præterea in opere illo quod editum est, Christus filius David dicitur non semel[i]. Denique tres anni prædicationis Christi in illo opere distinguuntur, cum veteres annum duntaxat unum prædicationi Christi tribuerint. Sed neque verius est, quod ibidem affirmat Baronius eumque secutus Bellarminus, harmoniam illam quatuor evangeliorum, quæ priore loco relata est a Victore Capuano, et in quam Zacharias Chrysopolitanus commentarios scripsit, opus esse Ammonii Alexandrini. Nam opus quidem Ammonii nihil aliud erat, quam evangelium Matthæi, cujus singulis capitulis adjuncta erant ad latus capitula aliorum trium evangelistarum, quæ cum Matthæi consentiebant evangelio. Itaque opus illud per columnas divisum erat, perinde ac Origenis tetrapla. Et interdum quidem unus duntaxat, interdum duo, interdum tres evangelistæ e regione Matthæi erant adpositi. Interdum vero neminem habebant adjunctum, in iis scilicet locis in quibus Matthæus proprie ac singulariter loquitur. Quæ res Eusebio Cæsariensi posthac causam dedit, ut canones suos excogitaret. Docet hoc Eusebius ipse in epistola ad Carpianum: *Ἀμμώνιος μὲν ὁ Ἀλεξανδρεὺς πολλὴν ὡς εἰκὸς φιλοπονίαν καὶ σπουδὴν εἰσαγηοχὼς, τὸ διὰ τεσσάρων ἡμῖν καταλέλοιπεν εὐαγγέλιον, τῷ κατὰ Ματθαῖον τὰς συμφωνοὺς τῶν λοιπῶν εὐαγγελιστῶν περικοπὰς παραθεὶς, ὡς ἐξ ἀνάγκης συμβῆναι τὸν τῆς ἀκολουθίας εἱρμὸν τῶν τριῶν διαφθαρῆναι, ὅσον ἐπὶ τῷ ὕφει τῆς ἀναγνώσεως.* Vides ut Eusebius diserte dicat, Ammonium in suo *διὰ τεσσάρων* evangelio, ex adverso Matthæi trium aliorum evangelistarum concordantia apposuisse capitula. Et aliorum quidem trium evangelistarum, hoc est, Marci, Lucæ et Joannis interruptam fuisse seriem dictionis, nec eo quo scripserunt ordine adscriptam, sed ad Matthæi evangelium accommodatam esse

[i] Hoc argumento Valesii solo, ut ei assentiretur, motus est Ittig. *de hæresiarchis prim. et sec. seculi*, p. 202. HEIN.

ab Ammonio, solum vero Matthæi evangelium continua serie positum illic fuisse, prout a Matthæo editum fuerat. Atqui in harmonia illa quæ a Victore Capuano prolata est, nihil hujusmodi cernitur. Alterius igitur sit auctoris oportet quam Ammonii Alexandrini. VALES. Vid. Hug. *Einleitung ins N. T.* t. i. p. 46. sqq. Paulus *Commentar über das N. T.* t. i. p. 109. sqq. p. 110. * p. 277. ** cf. Fabric. *Cod. Apocryph. N. T.* t. i. p. 346. sqq. p. 368. sqq. p. 377. * Augusti *Denkwürdigkeiten a. d. christl. Archaeol.* t. vi. p. 128. sqq. et quos laudat Stroth. *Uebers.* t. i. p. 303. sq., Cavei *Hist. litt.* t. i. p. 47. Rich. Simon *Hist. Crit. du N. T.* p. 74. 149. Tenzel. *dissert. select. part.* i. p. 244. Walch. *Ketzergeschichte* t. i. p. 429. Michaelis *Einleit. in die Schriften des N. T.* p. 1062. HEIN.

30, 1. Ἐπὶ τῆς μέσης τῶν ποταμῶν] Post hæc verba virgulam ponunt tum scripti codices omnes, tum Nic. ac Ruf. Sic enim vertit: *Per idem tempus innumeris hæresibus ubique pullulantibus et præcipue apud Mesopotamiam*, etc. Certe Tatianus a quo Encratitarum hæresis instituta est, vixit in Mesopotamia, ibique errorem suum disseminavit, ut testatur Epiphanius. Idque ex eo colligitur, quod scribit Theodoretus, se plusquam ducentos evangelii ab illo compositi codices in ecclesiis Osdroënæ reperisse. Potest tamen hic locus etiam aliter interpungi, apposita scilicet virgula post vocem αἱρέσεων, et expuncta altera quam diximus virgula. Quam interpunctionem secutus videtur Hieronymus in catalogo. Codex Regius utrobique virgulam habet. VALES.

Ib. Βαρδησάνης] De Bardesane maxime perspicue agit Orig. contra Marcion. p. 70. ed. Wetst. Sigillatim de eo scripserunt Fr. Strunzius in *Historia Bardesanis et Bardesanistarum* et Is. Beausobre *Historia Manichæorum*, vol. ii. p. 128. A. Hahn. *Bardesanes Syrorum primus hymnologus*, Lips. 1819. 8. HEIN.

30, 2. ὁ πρὸς Ἀντωνῖνον] Hieronymus in catalogo de Bardesane: *Scripsit infinita adversus omnes pæne hæreticos, qui ætate ejus pullulaverant. In quibus clarissimus ille est et fortissimus liber, quem M. Antonino de fato tradidit.* Dubitari tamen potest utrum Antoninus Imp. an potius aliquis ex Bardesanis sodalibus hic intelligatur. Neque enim verisimile est, Bardesanem libros suos Syro sermone scriptos imperatori Romano

nuncupasse. Adde quod Eus. in lib. vi. de præparatione Bardesanem dialogos suos sodalibus ac familiaribus nuncupasse significat. Ubi et luculentissimum affert fragmentum ex illo Bardesanis libro de fato, ex quo colligitur Bardesanem in eo libro cum Philippo quodam esse collocutum. VALES. Contra Abidem astrologum scriptum esse dialogum illum, observavit Stroth. *Uebers.* t. i. p. 305. not. 1. HEIN.

Ib. ἱκανώτατος διάλογος] Hieronymus *fortissimum* vertit: Ruf. *potentissimum*. Eodem modo vetus interpres Irenæi in lib. iii. contra hæreses, ubi de Clementis epistola ad Corinthios loquitur: ἐπέστειλεν ἡ ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησία ἱκανωτάτην γραφὴν, vertit *potentissimam epistolam*. VALES.

Ib. τελευτᾷ] Ad rem cf. Pears. *de annis episc. R.* p. 315. Pagi *Crit.* t. i. p. 175. citante Readingo ad h. l. HEIN.

LIB. V.

Procem. Ἔτος δ᾽ ἦν ἑπτακαιδέκατον] Nescio quis ad marginem editionis Genevensis annotavit, mendum esse in Eusebiano textu, hanc enim persecutionem factam esse anno 7. Antonini Veri, ut legitur in Chronico Eusebii. Quam opinionem secutus est Blondellus in apologia pro sententia Hieronymi de episcopis et presbyteris cap. 8. Verum longe fallitur Blondellus ipse, et quisquis auctor est hujus annotationis. Nam persecutio Christianorum, quæ imperante Marco grassata est, non eodem ubique tempore flagravit, nec unius anni spatio finita est. In Asia quidem primum cœpta est anno 7. Marci Antonini, idque non ex edicto imperatoris, sed tumultu et concitatione populari. Exinde usque ad finem ejus imperii producta est etiam in Asia, ut docet Melito Sardianus episcopus in libello ad M. Antoninum his verbis: τὸ Ῥωμαίων ηὐξήθη κράτος, οὗ σὺ διάδοχος εὐκταῖος γέγονάς τε καὶ ἔσῃ μετὰ σοῦ παιδὸς, etc. Id est: *Romanum crevit imperium, quod tu ex omnium voto successorio jure obtinuisti, obtinebisque deinceps cum filio tuo.* Jam ergo Commodus a patre adscitus fuerat in consortium regni, cum hunc pro Christianis libellum Melito imperatori porrigebat. Quod sub finem imperii Marci Antonini contigisse constat. Quare cum post Commodum consortem imperii factum, Melito libellum suum pro Christianis Antonino Imp. obtulerit, ad id usque temporis persecutio Christianorum in Asia duraverit necesse est. Ex quo apparet, ut id obiter moneam, male in Chronico Eusebii scribi, Melitonis apologeticum M. Antonino esse oblatum anno ejus imperii 10.[a] Ceterum et in Asia et in Galliis aliisque provinciis, persecutio illa anno ejusdem Antonini 17. vehementius exarsit, ut hic diserte refert Eusebius. In cujus textu numeros annorum non esse corruptos, vel hinc apparet, quod hoc eodem anno Eleutherum Romanæ urbis episcopum Soteri successisse scribit. Quod quidem in Chronico confert in annum 16. Antonini. Vide Baronium ad annum Christi 179. Certe auctor

a Hoc ipsum affirmare Valesium sibi repugnantem iv. 26., monet Pearson. *vind. Ign.* P. ii. p. 160. citante Read. HEIN.

Chronici Alexandrini, martyrium Pothini et reliquorum consignat anno 16. Antonini. VALES.

Ib. 2. τῇ τῶν μαρτύρων συναγωγῇ] Sic Eusebius vocare solet librum suum de martyribus, eo quod nihil aliud esset quam collectio actorum. Ita in libro iv. cap. 15. sub finem: ἐπὶ ταύτην παραπέμψωμεν, τοῖς τῶν ἀρχαίων συναχθεῖσιν ἡμῖν μαρτυρίοις ἐντεταγμένην. Supple γραφήν. Vide infra cap. 21. ex quo patet scribendum hic esse μαρτυρίων συναγωγῇ. VALES. Ita scripsi cum Cavio *hist. litt.* t. i. p. 182. et Strothio, cum ipse Rufinus non aliter legerit. Cf. Danz. p. 57. not. 19., qui tamen de veritate illius lectionis adhuc dubius. HEIN.

Ib. 3. τοῦ κατὰ Θεὸν πολιτεύματος] Nicephorus in cap. 16. lib. iv. pro his verbis habet: τῆς καθ' ἡμᾶς πολιτείας, id est: *reipublicæ Christianæ*, ut interpretati sumus. At Christophorsonus *divinam vivendi rationem* vertit, quod non placet. VALES. Imo Christophorsoni interpretationem veriorem puto. Quamvis enim sæpius et plerumque πολίτευμα dicatur de civitate (cf. Philipp. iii. 20.), tamen aperte h. l. opponitur τὸ κατὰ Θεὸν πολίτευμα præcedentibus στρατηγῶν ἀριστείαις, ὁπλιτῶν ἀνδραγαθίαις, ideoque de agendi ratione ad Dei præcepta composita qualis illa quamvis splendide facta non cogitantur, sermo est. Neque inusitatum esse patribus ecclesiasticis illum verbi πολίτευμα usum, satis docent exempla de voce πολιτεύεσθαι allata Suic. *Thes.* t. ii. p. 799. sqq. Frequentius etiam ita dicitur πολίτεια. Cf. iv. 26. (pag. 298.) Kuinoel. *Comm. ad Actor.* xxii. 30. p. 793. ed. ii. Sed ipse Str. vertit: *von der Republik Gottes.* HEIN.

1, 2. Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ] Duplex hic quæstio oritur. Prima, cur hæc epistola scripta sit conjunctim a duabus ecclesiis, Viennensi ac Lugdunensi. Altera, cur Galli Græce scribant ad ecclesias Asiæ et Phrygiæ, et ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum. Quod ad primam attinet, hoc idcirco factum existimo, quod ecclesiæ Viennensium ac Lugdunensium, non modo loci vicinitate, sed etiam mutui amoris vinculo conjunctæ erant. Et cum in eadem persecutione simul decertassent, epistolam de suis martyribus simul et conjunctim scripserunt. Ad hæc utraque provincia sub unius præsidis jurisdictione, tunc quidem temporis videtur fuisse; ut ex eo conjicitur, quod tam Viennenses quam Lugdunenses, ob fidem

Christi a præside comprehensi et damnati esse dicuntur in hac epistola. Hæ igitur causæ sunt, cur conjunctim scripserint Viennenses et Lugdunenses. Nam quod suspicati sunt quidam, unum tunc fuisse episcopum Viennæ atque Lugduni, id ex hac ipsa epistola facile refellitur, quæ Pothinum episcopum Lugduni fuisse dicit, non item Viennæ. Porro Lugdunenses honoris causa Viennensium nomen præponunt, cum tamen ipsi Lugdunenses epistolam scribant de iis quæ Lugduni gesta fuerant. Vetustati quoque et nobilitati coloniæ Viennensium id tributum videri potest. Quod vero ad secundam quæstionem attinet, ex ipsa epistola discimus plurimos fuisse Græcos in ecclesia Lugdunensi, cujusmodi fuit Attalus et Alexander Phryges, et Alcibiades oriundus item ex Phrygia, ut opinor: Irenæus quoque oriundus erat ex Asia, et Polycarpum Smyrnæ audierat una cum Florino admodum puer, ut ipse testatur. Pothini quoque episcopi vel nomen ipsum, Græcam originem designat. Proinde non mirum est, si qui ex Asia in Gallias venerant, fratribus suis in Asia constitutis de rebus suis Græce scribant, a quibus, ut credibile est, epistolam illam de martyrio Polycarpi et aliorum, prius accepissent. Hujus autem epistolæ auctorem fuisse arbitror Irenæum; qui quidem eo tempore ecclesiæ Lugdunensis erat presbyter. VALES. Assentiuntur Valesio Dodwellus *Diss. in Iren.* p. 477. sqq. Strothius ad h. l. et Danz. p. 133. not. 41. Præterea non cuncta quæ in hac epistola enarrantur, vere ita evenisse satis docere jam genus scribendi declamatorium exquisitis antithesibus et metaphoris pretiosis refertum, recte monuit Kestner. p. 34. not. 68. cf. Stroth. *Uebersetzung* t. i. p. 322. 324. 326. 327. infra not. 26. HEIN.

1, 3. *μὴ μόνον οἰκιῶν*] Christophorsonus *ædificia publica* interpretatur, quod non probo. Οἰκίαι enim nonnisi de privatis domibus dicuntur, a quibus tum arcebantur Christiani, id est, ab ædibus amicorum, propinquorum, opificum. Neque enim assentior Rufino, qui Christianos in suis ipsorum domibus habitare prohibitos existimavit. VALES.

1, 5. *συγκλείσεις*] Non possum probare interpretationem Langi et Christophorsoni qui *συγκλείσεις carceres* vertunt. Hic enim primo loco recensentur injuriæ et mala, quæ a conferta populi multitudine inferebantur Christianis. In quibus

carcer locum habere non potest. Judicum quippe, non populi erat, reos carceri mancipare. Rectius ergo Rufinus vertit: *concludi. Sed et verberari*, inquit, *se ab illis*, *ac lapidari*, *et concludi, patienter accipiebant.* Gentiles enim Christianos intra domos suas concludebant, dum a foro et balneis eos arcerent, nec in publicum prodire sinerent, ut supra dictum est. Infra tamen συγκλείσεις pro carcere sumuntur. VALES.

I, 6. προεστηκότων τῆς πόλεως ἐξουσιῶν] Magistratus municipales intelligit, qui etiam duumviri dicebantur. Quamvis autem ἐξουσίας seu potestatis vocabulum, fere de majoribus judicibus dici solet, qui habent jus gladii, ut docet Ulpianus in titulo de jurisdictione, et de verborum significationibus, tamen de magistratibus etiam municipalibus usurpatur, qui habebant modicam coercitionem, ut loquuntur jurisconsulti. Sic apud Juvenalem: *Gabiorumque esse potestas.* Infra ubi de Pothino, πολιτικαὶ ἐξουσίαι dicuntur. VALES.

Ib. τοῦ ἡγεμόνος] *Præsidem* vertit Rufinus, quæ vox generalem habet significationem, perinde ac Græca. Omnes enim provinciarum rectores ita appellantur, seu procuratores sint, seu proconsules, seu legati Cæsaris. Dubitari itaque merito potest, cujusmodi hic fuerit rector provinciæ Lugdunensis. Equidem existimo legatum Cæsaris fuisse. Movet me primo, quod hic mentio fit tribuni militum. Id enim optime convenit legato Cæsaris, qui rem militarem curabat. Deinde in veteri inscriptione quam refert Gruterus pag. 427. legatus Imp. Nervæ Trajani Cæsaris Aug. provinciæ Lugdunensis nominatur. Denique Spartianus in Severo, Lugdunensem provinciam per legatos Cæsaris administratam fuisse imperante M. Antonino testatur. Sic enim scribit de Severo: *Deinde provinciam Lugdunensem legatus accepit.* Ac fortasse in hac Lugdunensium epistola Severus intelligitur. Fuit enim legatus provinciæ Lugdunensis sub Marco. Sed et Junius Blæsus, quem rectorem Galliæ Lugdunensis vocat Tacitus in primo historiarum, legatus fuit. Argumento est legio Italica et ala Taurina Lugduni tendens, quas regebat Blæsus. Fuit etiam Vitrasius Pollio legatus provinciæ Lugdunensis temporibus imp. Hadriani, ut patet ex lege 15. D. de excusationibus. VALES.

Ib. Οὐέττιος Ἐπάγαθος] De quo Gregorius Turonensis in libro

primo historiæ ecclesiasticæ cap. 29. Et rursus cap. 31. de ecclesia Bituricensi loquens sic habet: *Leucadium quendam primum Galliarum senatorem, qui de stirpe Vetii Epagathi fuit, quem Lugduno passum pro Christi nomine superius memoravimus, repererunt.* Qui locus aperte ostendit, Epagathum nobilitate generis inter Lugdunenses eminuisse. Sed et epistola ipsa id satis superque testatur his verbis: καὶ γὰρ ἦν ἐπίσημος. VALES.

1, 8. εἰς τὸν κλῆρον τῶν μαρτύρων Valesius vertit: *in numerum martyrum.* Et hoc certe melius, quam Strothius: *in das Loos der Märtyrer.* Cf. iv. 15. ubi legitur ἐν ἀριθμῷ τῶν μαρτύρων. Sed haud scio an in illo κλήρῳ τῶν μαρτύρων insit plus, quam in simplici ἀριθμῷ τ. μ. Videtur enim κλῆρος quidam martyrum eodem sensu esse cogitatus, quo satis mature quamvis pluribus doctoribus ecclesiasticis refragantibus tota doctorum ecclesiæ universitas tanquam singularis quidam ultra λαικοὺς longissime evectus et haud contemnendis a Deo privilegiis et immunitatibus insignitus ordo spectatus est. Vid. quæ monui ad Eus. H. E. x. 7. HEIN.

Ib. παράκλητος Χριστιανῶν χρηματίσας] Male Christophorsonus hunc locum interpretatus est, quasi Epagathus exinde ab omnibus vocatus fuerit patronus Christianorum. Nostram autem versionem confirmat Rufinus, et quæ sequuntur verba, ἔχων δὲ παράκλητον, etc. quæ stare omnino non possunt, nisi ita interpreteris, ut fecimus. VALES.

Ib. πλεῖον τοῦ Ζαχαρίου] Jam supra Epagathum comparavit cum Zacharia sacerdote, de quo Lucas in evangelio cap. 10. Iterum nunc alludit ad verba quæ leguntur in fine dicti capitis: *Et Zacharias repletus est Spiritu sancto.* Porro Spiritus sanctus παράκλητος dicitur in evangelio, id est, *advocatus*, quia scilicet postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ut ait apostolus. Ita Tertullianus in libro de jejuniis, de Spiritu sancto loquens: *Qua paracletus, id est, advocatus, ad exorandum judicem, hujusmodi officiorum remedia mandabat.* At Rufinus cum hæc non intelligeret, ita vertit: *Ille vero habens in se advocatum pro nobis Jesum, hoc nomine meruit honorari: sancti presbyteri Zachariæ, qui erga sanctos plenitudinem charitatis ostenderat, secutus exemplum.* Quæ prava Rufini interpretatio, occasionem erroris præbuit Adoni Viennensi, et

Usuardo, et Notkero, qui in suis martyrologiis quadraginta et octo martyrum Lugdunensium nomina recensentes, Zachariam presbyterum secundo loco nominant, post Pothinum Lugdunensem episcopum. Qui si Græcum hujus epistolæ exemplar consuluissent, animadvertissent profecto, Ζαχαρίαν πρεσβύτερον hic dici, non Zachariam presbyterum Lugdunensis ecclesiæ, sed Zachariam sacerdotem, patrem Joannis baptistæ. Quem quidem Lugdunenses in hac epistola πρεσβύτερον, id est, seniorem appellant, Epagathum juvenem ei comparantes. Ceterum hic error Adonis et reliquorum in Zachariæ martyris nomine, facit ut dubitem de ceteris nominibus martyrum Lugdunensium, quæ ab illis ibidem relata sunt. VALES.

I, 9. τοῦ πληρώματος τῆς ἀγάπης] Alludit ad illud Servatoris nostri dictum in evangelio: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro fratribus suis.* VALES.

Ib. ἀκολουθῶν κ. λ. cf. Apoc. xiv. 4. HEIN.

Ib. διεκρίνοντο] Metaphora videtur esse ab athletis, qui antequam certamen inirent, examinari solebant ac *probari*, utrum ingenui, utrum ætatis athleticæ essent. Et ii quidem qui ad certamen admittebantur, dicebantur εἰσκρίνεσθαι. Qui autem repudiabantur, ἐκκρίνεσθαι. Examen autem ipsum vocabatur διάκρισις, ut ex hoc loco colligo. Plena certe est hæc epistola vocabulis a re athletica translatis. Quod et loci hujus lectio ipsa indicat, et nos infra ostendemus apertius. VALES.

I, II. ὥστε συλλεγῆναι ἐκ τῶν δύο ἐκκλησιῶν] Ex ecclesia scilicet Viennensi et Lugdunensi. Hæc autem verba inprimis notanda sunt, ex quibus manifeste apparet, Viennensem ecclesiam perinde ac Lugdunensem, suum tunc episcopum habuisse. Quippe ecclesia ab antiquis scriptoribus non dicitur, nisi matrix, quam Cathedralem vocamus. Ado Viennensis in Chronico, Justum tunc temporis Viennensem episcopum fuisse dicit, eundemque diuturno exsilio maceratum palmam martyrii retulisse. Porro verbum συλλεγῆναι Christophorsonus vertit, *eximerentur*, Langus: *deligerentur;* metaphora videtur esse a fructibus qui decerpuntur. VALES.

Ib. δι' ὧν—ἐνθάδε] Ostendunt hæc verba recentem fuisse ecclesiam Lugdunensem, cum illam vexationem sustineret.

Præterea calamitatem illam non ad annum CLXVII, sed a. CLXXVII referendam esse ostendere studuit Moshem. *Obss. sacr. et historico-critic.* i. 3. 10. p. 172. sq. cf. Ejusd. *Dissertt. ad Hist. Eccl. pertt.* vol. i. p. 317. HEIN.

1, 13. *δι' οἰκειότητα*] Hæc vox non solum propinquitatem generis designat, sed etiam amicitiam ac benevolentiam. Interpres Nicephori etiam *humanitatem* addidit, non contentus necessitudinis vocabulo. VALES. Val. vertit *cognationis causa.* cf. Suicer. t. ii. p. 455. HEIN.

Ib. *εἰρημένον*] Joh. xvi. 2. HEIN.

Ib. *τι τῶν βλασφήμων*] Recte Rufinus blasphemiam adversus Christianorum religionem intelligit. Quod plane confirmatur verbis proxime antecedentibus *καὶ δι' ἐκείνων.* Cum enim servi Christianorum metu cruciatuum perterriti, infanticidia et incestos concubitus de Christianis confessi essent, studebat satanas, ut Christiani qui comprehensi fuerant ejusmodi calumnias in religionem nostram jactarent. Quippe judices omni tormentorum genere Christianos urgebant, ut Thyesteas quasdam cœnas et incestos concubitus apud se peragi faterentur. Quo spectat illa vox Blandinæ, in mediis cruciatibus nihil aliud proloquentis quam Christiana sum: nihil apud nos mali geritur. Potest etiam illud *καὶ δι' ἐκείνων* referri ad decem illos, qui initio persecutionis capti animum desponderant. Christophorsonus blasphemiam contra nomen Christi intelligere maluit. VALES.

1, 14. *καὶ στρατιωτῶν*] Rufinus vertit: *officium, milites.* Nam Græca vox utrumque significat, tam officiales seu apparitores judicum, quam milites, ut fusius ostensuri sumus ad libros de vita Constantini. Hic vero milites malim intelligere, cum supra mentio fiat tribuni militum. VALES.

Ib. *Σάγκτον διάκονον ἀπὸ Βιέννης*] Rufinus Sanctum diaconum Viennensem interpretatur, quod est ambiguum. Neque enim Sanctus fuit diaconus Viennensis ecclesiæ, ut quidam hac Rufini versione inducti existimarunt. Certe Lugdunenses in hac epistola id non dicunt, sed tantum affirmant illum Vienna oriundum fuisse. Fuit igitur hic Sanctus patria quidem Viennensis, diaconus autem Lugdunensis ecclesiæ. VALES.

I, 15. *μαρτυρεῖν—τοσαῦτα*] Horum verborum sensum non assecutus est Valesius. Putavit enim *μαρτυρεῖν* pendere ex præcedenti *ὥστε* et vertit: "*testarenturque* (tortores, *βασανίζοντας*) *unicum tormenti genus ad illam enecandam suffecisse, nedum tot ac tanta tormenta.*" Quæ aperte repugnarent præcedentibus, ubi tortores illi dicuntur nullum tormenti genus habuisse reliquum, quo cruciarent Blandinam. Imo *μαρτυρεῖν* pendet ex *ἐπὶ* et sensus hic est: ut mirarentur tortores quod Blandina adhuc duceret spiritum et confiteretur unum genus tormenti ad ipsam enecandam suffecisse, nedum tot ac tanta, cum tamen ipsi omnibus illis, quos ei intulerant, cruciatibus non potuissent eam conficere. Ita sententia est apta et concinna. *Οὐχ ὅτι* autem optime explicuit Hermann. *ad Vig.* p. 790. cf. Euseb. H. E. iv. 8. p. 313. Lennep. *ad Phalar.* p. 235. HEIN.

I, 16. *ὥστε—ὄνομα*] Lowth. conferri jubet infra de martyr. Palæst. c. 11. et similia in passione Felicis ad calcem Lactantii de mortt. persecutorum et in passione Tharaci, Probi et Andronici apud Baronium ad a. 290. n. 2. 7. 9. HEIN.

I, 18. *ἐκ τῆς νηδύος*] Alludit ad cap. 7. ex Joannis evangelio, in quo legitur: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* VALES. Facile autem animadvertent lectores, imagines hoc toto capite legi satis insolentes et tumidiori orationis genere expressas. Cf. infra verba *ὡς νύμφη κεκοσμημένη ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς πεποικιλμένοις τὴν εὐωδίαν κ. λ.* et paulo post *ἐκ διαφόρων ἀνθῶν κ. λ.* Neque vere Danz. *de Eus.* p. 17. num. 9. Nostrum *ab omni tumore et κακοζηλίᾳ in hyperbolis cæterisque vocum translationibus, quas tropos appellant, nec non intempestivo figurarum usu* liberare studuit. Cf. ibid. p. 28. not. 12. *Nemo unquam (?) conquestus est, scriptoris nostri orationem——alienam esse ab historiæ simplicitate. Quæ de vita Constantini M. dicta sunt, huc non pertinent.* Vid. quæ annotavi ad ii. 14. (pag. 91.) cf. Euseb. V. C. iii. 6. *μέγιστον ἱερέων στέφανον, ἐξ ὡραίων ἀνθέων καταπεποικιλμένον* et testimonium Theodori Metochitæ inter *veterum pro Eusebio testimonia*, quæ editioni nostræ præmisimus. HEIN.

Ib. *συνεσπασμένον*] *Contractum et incurvum* malim vertere, quam *distractum et divulsum*, ut initio verteram. Hoc enim

esset διεσπασμένον. Contractum autem intelligo præ magnitudine tormentorum. Nam qui in eculeo torquebantur vehementius, caput incurvare cogebantur, ut docet Amm. Marcellinus, cum ait: *vel sub eculeo caput incurvos, aut ictu carnificis torvi substravit.* Inepte Christophorsonus *contractum in rugas corpus* interpretatus est. VALES. Cf. Xen. Anab. i. 5. 10. τὰς διφθέρας—συνῆγον καὶ συνέσπων, i. e. constrinxerunt. HEIN.

1, 20. διὰ βλασφημίας] Christophorsonus blasphemiam adversus Christum intellexit. Videndum tamen est, ne hic quoque blasphemia adversus religionem Christianorum intelligatur. Certe quæ sequuntur verba, id penitus evincunt. Sequitur enim ἀναγκάζων εἰπεῖν τὰ ἄθεα περὶ ἡμῶν. Rufinus hanc cum Blandina videtur confudisse gravi errore. VALES. De Bibliade tacet plane Rufinus, qui Blandinam potius iterum commemorat, et quæ de defectu a religione dicuntur h. l., non tradit. Vertit enim: "*Sed et Blandina, quam paulo ante memoravimus, simili exemplo ad supplicia secunda revocatur. Quæ cum semiviva pæne, et in mortis quodam confinio posita, iteratis fuisset pulsata cruciatibus, velut e somno quodam subito evigilans, in memoriam futuræ beatitudinis venit, et voce constanti, tanquam de excelso et edito concionaretur apud populum: Multum, inquit, erratis, o viri, quod putatis infantum visceribus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus utuntur. Et sic in confessione perdurans, iterum numero martyrum sociata retruditur.*" Strothius, *deutsche Uebers.* p. 317. hæc affert: *A strange instance of wanton interpolation in the text, or rather of unrestrained license of translation. Probably there is concealed here a legend, that, in order to save Biblias, her name was left out, and the whole affair disfigured.* HEIN.

1, 21. τοῖς βλασφήμοις] Sic vocantur a Lugdunensibus gentiles, qui Christianam religionem calumniabantur: vel certe lapsi, qui præ cruciatuum violentia infanticidia et incestus a Christianis admitti fassi erant. VALES.

Ib. πῶς παιδία φάγοιεν] Plane cum his consentit Tert. Apol. c. 9. Orig. contra Cels. lib. viii. med. Clem. Alex. Pædag. i. 3. extr. citante Readingo, qui tamen simul opportune monet, Augustinum non accedere, quod pertinet ad verba οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν. vid. August. contra Faust.

xxxii. 13. *Et ubi ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus carnalis Israëlita appareat? quis jam hoc observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? Aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte adhuc pauci tangere ista formidant, a ceteris irridentur.* De illa ipsa satis nota et a gentilibus in Christianos conjecta calumnia qua isti infantes edere ab illis dicebantur, conferantur verba quæ leguntur supra: κατεψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα καὶ Οἰδιποδείους μίξεις, καὶ ὅσα——ἐγένετο. Præterea vid. Kortholt. *Pagan. obtrectat.* iii. 9. p. 544. sqq. Tzschirner. *Geschichte der Apologetik* t. i. p. 215. sqq. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archæologie* t. viii. p. 82—85. Scelestissimi autem et quos vere horret dicere animus, ritus ac ceremoniæ, quibus cœnæ sacræ celebrationem esse defœdatam et inquinatam a nonnullis Gnosticorum sectis, lubentius vellemus, quam possumus negare, non plane certe fictas fuisse illas paganorum criminationes, profecto non possunt non satis probare. cf. Euseb. vii. 9. Nulli pejus et constantius vesani hoc in genere fuerunt quam Carpocratiani (vid. Fuldner. *de Carpocratianis* in: *Dritte Denkschrift der hist. theol. Gesellschaft zu Leipsig*, p. 286. sqq. cf. ibid. p. 296. sqq. p. 260. Augusti l. l. p. 314. sq. 5.), quorum similes Ophitæ (vid. Moshem. *Versuch einer Ketzergeschichte* p. 108. sqq.), et Cataphryges. vid. Philastr. hæres. 49. cf. Augusti l. l. p. 494. sqq. Vix superantur illa flagitia ab impia vita paganorum, quam descripsit Tholuck. *das Wesen und die sittlichen Einflüsse des Heidenthums* in: Neander. *Denkwürdigkeiten* tom. i. p. 129. sqq. p. 133. sqq. Quocirca semper cogitandum est, omnia illa quæ unquam patrarunt Christiani, flagitia minime fluxisse ex nativa religionis Christianæ indole, contra quæ pagani, ex paganæ superstitionis natura. Vid. Tholuck. l. l. p. 3. sqq. Lactant. Instit. i. 20, 16. *Quid mirum, si ab hac gente universa flagitia manarunt, apud quam ipsa vitia religiosa sunt, eaque non modo non vitantur, verum etiam coluntur?* HEIN.

1, 22. καὶ τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν] Superiore libro ubi de Justini martyrio dictum est, observavimus ξύλον a Græcis dici, quem Latini appellant *nervum.* Id plane confirmat Rufinus qui hunc locum ita interpretatur: *Ac septimo*

(*ut dicunt*) *puncto in nervo pedes, contra quam credi fas est, distenti, in intimo pœnarum loco deperirent.* Has διατάσεις τῶν ποδῶν optime expressit Prudentius in versibus quos supra[b] citavimus:

Lignoque plantas inserit,
Divaricatis cruribus.

Porro hujus supplicii hæc videtur fuisse forma. Truncus fuit ligneus, quinis hinc et inde foraminibus certo invicem spatio divisis excavatus. In hæc foramina tanquam in ocreas quasdam, pedes inserebantur noxiorum et vinculis seu nervis astringebantur, ut ex Aratoris versibus colligitur, quos supra retulimus in annotationibus ad librum iv. Et Rufinus quidem hæc foramina vulgo puncta appellata esse testatur, quod confirmat locus ex passione Chrysanti et Dariæ, quem ibidem adduxi. Sed quod Rufinus septimum punctum dixit, vix credibile mihi videtur. Certe Eusebius hoc loco quintum duntaxat foramen dixit, et aliis in locis hunc numerum foraminum nunquam supergressus est. De his punctis intelligendus est locus in actis Græcis passionis Tarachi, Probi et Andronici: Μάξιμος ἡγεμὼν εἶπε· βαλόντες αὐτῷ σίδηρα, εἰς τέσσαρα κεντήματα διατείνατε, quod vetus interpres pessime vertit hoc modo: *Mittite illi ferrum per quatuor loca nervorum et confringite.* VALES.

1, 24. διὰ τὴν προκειμένην] Hoc loco verba videntur esse transposita. Sic igitur legendum puto: διὰ τὴν ἐγκειμένην σωματικὴν ἀσθένειαν. Et paulo post ubi legitur: διὰ τὴν ἐγκειμένην τῆς μαρτυρίας ἐπιθυμίαν, scribo προκειμένην. Porro hoc Pothini martyrium elegantissime describit Eucherius Lugdunensis episcopus in sermone de S. Blandina: *Præstitit inter ista Divina Providentia, ut in tantis patriæ sacrificiis, etiam pontifex non deesset. Rapitur ad impiam quæstionem grandævus et plenus dierum b. pater noster Pothinus, ecclesiæ hujus antistes, et pro eruditionis, ut credimus, merito, gregi suo jungitur. Ac post dominici corporis sacrificium, profanis tribunalibus novam de se hostiam Christo oblaturus infertur. Senilis infirmitas per injurias et afflictiones furentium ministrorum ita celerem sortitur exitum, ut intelligeres ad tempus illud soli martyrio reservatum.* VALES.

[b] iv. 16. (pag. 272) cf. Kuinoel. *Commentar. ad Act.* xvi. 24. p. 557. HEIN.

I, 27. *σπανίως μὲν γεγονός*] Notandum est quod aiunt Lugdunenses, rarum adhuc in ecclesia ejusmodi indulgentiæ usum fuisse erga lapsos. Nempe quia ad hoc usque tempus pauci admodum lapsi fuerant. Itaque cessante morbo, nihil opus erat hujusmodi medicina. Subsecutis autem persecutionibus, hoc remedium crebrius usitatum est. VALES. Male intellexisse patet Valesium hujus loci paulo impeditioris sententiam. De indulgentia Christianorum erga lapsos ne verbum quidem hoc loco legitur, imo dicitur hoc: Hic singularis quædam apparuit Dei procuratio et inexhausta Christi misericordia, *hoc quidem in genere* raro Christianis contingens: neque vero illi misericordiæ deerat sollers et prudens Jesu cura, qua effectum est, ut nihil prodesset Christianis sua fidei abnegatio, imo qui ita agerent, a *gentilibus* pariter conjicerentur in vincula, quam qui se Christianos esse profiterentur. Qua enim in re divina providentia et prudens Christi misericordia, ut brevius dicam, quod exprimitur illis *μὴ ἀπολειπόμενον—Χριστοῦ,* fuerit conspicua, luculenter apparet ex sequentibus: *οἱ δεινῶν.* Quid igitur hoc loco dicatur, patet, et *obscuritatem* ego non potui invenire cum Strothio, quamquam ei longe *simplicius* potuisse et debuisse illam sententiam exprimi largior. Loci autem vim ac naturam non magis quam Valesius perspexerunt Rufinus, Musculus et Christophorsonus. Melius Stroth. vertit: "*Bei allem diesem zeigte sich die grosse Waltung Gottes und die unermessliche Erbarmung Jesu, so wie sie sich wohl selten in der Brüderschaft* (Gemeinde) *gezeigt hat, doch der weisen Lenkung Christi angemessen.*" Sed quid falso dicat Stroth. *Uebers.* t. i. p. 320. not. 10., ex iis quæ ego proposui, facile animadvertent lectores. Ille commentatur ibi hæc: *The obscurity of the passage* (?) *arises partly from the awkward expression τεχνὴ, which should not have been used of Christ, partly from the ambiguity of the word ἀπολειπόμενον, which, as is known, admits of many meanings* (?), *and lastly, from the circumstance that we cannot see for certain on what this ἔλεος depends, and what properly is to be understood by it. Does the author of the passage call it the mercy of Christ, that those who denied him did not profit by their denial, and that the Church therefore was relieved from the fear, and individual members from the danger, of further apostasy?* (Ita est.) *Or, which would be much more appro-*

priate, does he place the mercy of Christ in the detention of those who denied him in prison, where they had time and opportunity to return back again into the bosom of the Church? as is related at some distance below. (Ob hanc ipsam causam, quia hoc inferius demum dicitur, et ille ἔλεος Christi nostro loco accuratius jam explicatur, non potest illo de eo cogitari.) *At all events, we must conclude from this, that, whatever it means, this kind of mercy of Christ has hitherto seldom displayed itself in the Church.* Hoc nihil aliud significatur, nisi quod supra jam monui, raro Dei et Christi cura et misericordia evenisse, ut vel qui Christum abnegarent, a gentilibus in vincula conjicerentur, conjectique retinerentur. Et tamen hoc ipsum Christianis iis, qui constantes manserunt, mirum in modum profuit. In eo igitur Dei et Christi misericordia egregie eluxit. Monendum denique puto, male nostrum locum perspexisse videri ipsum Ittigium *de hæresiarchis*, p. 226., ubi in ea causa ad illum provocat, qua recte locum interpretatus neque *de Christianorum indulgentia erga lapsos* cogitans, minime poterat. HEIN.

1, 30. ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς περιπεποικιλμένοις] Alludit ad locum qui est in Psalmo xliv. et paulo aliter hodie legitur, περιπεποικιλμένη scilicet. Sed melius est περιπεποικιλμένοις. Mos enim erat, tunicarum fimbrias variegare, ut testatur Amm. Marcellinus in lib. xiv. *ut longiores fimbriæ tunicæ perspicue luceant, varietate liciorum effigiata in species animalium multiformes.* VALES.

Ib. εὐωδίαν ὀδωδότες τὴν Χριστοῦ] Alludit ad verba Pauli apostoli, *Christi bonus odor sumus.* VALES. 2 Cor. ii. 15. cf. Psalm. xlv. 7. HEIN.

1, 32. τὰ μαρτύρια τῆς ἐξόδου] Verba hic videntur esse transposita, quæ sic construo: εἰς πᾶν εἶδος διῃρεῖτο τῆς ἐξόδου τὰ μαρτύρια αὐτῶν. VALES. Recte quidem. Sed in eo falsum puto Val., quod ἔξοδος h. l. de morte accipit, quo sensu quamvis hæc vox legatur (cf. infra cap. viii.), tamen h. l. illa aliter explicanda est. Μαρτυρίοις enim non potest mors tribui. Sensus potius hic est: martyria eorum consecuta sunt varia *felicia eventa* i. e. præmia. Nam qui in Dei honorem varia subierant mortis genera (ἐκ διαφόρων—πατρὶ) et fortiter sustinuerant certamen, eos par erat immortalitatis corona donari. Nobis

assentiri videtur Strothius vertendo: *Uebrigens war das Ende der Märtyrerthümer von allerley verschiedener Art.* In N. T. ita sæpius usurpatur τέλος de malo vel bono evento, unde vertendum est vel *pœna* vel *præmium*. Vid. Wahl. *Clav. N. T.* s. h. v. cf. Loesner. *Observv. Philonn.* p. 486. Joseph. Antiqq. x. 9. 7. Hebr. xiii. 7. ubi similiter legitur ἔκβασις, quod Heinrichsius perperam de fine vitæ interpretatur. Cf. *Excursus* v. HEIN.

I, 33. εἰς τὸ δημόσιον] Hoc nomine amphitheatrum videtur intelligi. Neque enim referri potest ad θέαμα. Primo quia repetitur præpositio εἰς τὸ δημόσιον καὶ εἰς τὸ κοινὸν, etc. Ita enim legitur in codice Med. Maz. Fuk. Quod si δημόσιον referretur ad vocem θέαμα, dixissent εἰς τὸ δημόσιον καὶ κοινὸν, etc. Porro eleganter amphitheatrale munus in hac epistola vocatur publicum gentilium inhumanitatis spectaculum. In eo siquidem loco gentiles suam tum in Christianos, tum in reliquos bestiarios, belluinam sævitiam publice spectandam exhibebant. VALES.

Ib. τῶν θηριομαχιῶν ἡμέρας διδομένης] Hujus loci sensum non assecuti sunt interpretes. Sensus autem est, præsidem seu legatum provinciæ Lugdunensis, spectaculum ferarum extra ordinem populo præbuisse, constituta ad id die, propter Christianos quos ad bestias damnaverat. Erant enim apud Romanos ordinarii ac solemnes munerum dies, qui in mensem Decembrem incidebant, ut est in Calendario Heruvartii. Extra hos dies non licebat munerariis ac duumviris quibus hujusmodi editionum onus erat impositum, spectacula ferarum populo exhibere, ut docet epistola ecclesiæ Smyrnensis de martyrio Polycarpi, quæ superius relata est in libro iv. Verum majores judices qui jus gladii et ad bestias damnandi habebant, hujusmodi meridiana spectacula, quoties ipsis libitum erat, exhibebant, ut cum populi voluptate noxios e medio tollerent. Cujus rei exemplum illustre est in actis martyrum Tarachi, Probi et Andronici. Nam cum Maximus proconsul Ciliciæ eos ad bestias damnasset, advocans Terentianum sacerdotalem Ciliciæ, jussit ei sequenti die munera edenda curare, ut legitur in cap. 10. eorundem actorum. VALES. Eodem modo quo Valesius et recte definivit loci sententiam Stroth. *deutsche Uebersetz.* t. i. p. 323. not. 5. Idem vero male

mutavit sententiam in editione Græca, ubi ad ἐπίτηδες refert voces διὰ τοὺς ἡμετέρους, et sensum loci ita constituit: *Cum nostrorum causa opportune adessent dies, quibus dari solerent spectacula.* Non enim extra ordinem data esse tunc spectacula, sed affuisse dies, quibus darentur, et cum Christiani, quorum mentio facta sit, in carcere tenerentur ad mortem damnati, etiam propter hos opportune illos affuisse. HEIN.

1, 34. διὰ πλειόνων ἤδη κλήρων] Jam supra monuimus multas hic translationes esse a re athletica. Inter has numeranda est vox κλῆροι.[c] Solebant enim athletæ qui in ludis certaturi erant, sortito educi. Quod quomodo fieret, docet nos Lucianus in Hermotimo. Cistella erat argentea, deo certaminum præsidi sacra, in quam conjiciebantur sortes seu tesseræ breves. In duabus inscripta erat littera A, in aliis duabus B, in aliis item duabus Γ, et sic deinceps. Tum athletæ sortes e cista educebant. Quibus A obvenisset, ii inter se committebantur primo loco pugnaturi. Eratque hic πρῶτος κλῆρος. Similiter qui literam B eduxissent, secundo loco inter se certabant. Ita sors et urna suum cuique adversarium adsignabat. Is qui adversarium suum vicerat, non statim coronabatur, sed cum aliis qui adversarios item suos vicerant, iterum pugnaturus componebatur, donec unus omnium victor superesset. Quam in rem pluribus opus erat sortitionibus. Hinc est quod in inscriptione Farnesiana, quam refert Gruterus pag. 314., Asclepiades quidam Pancratiasta, in multis certaminibus victoriam retulisse dicitur, τὸ δεύτερον καὶ τρίτον μετὰ πρῶτον ἢ δεύτερον κλῆρον στήσας τοὺς ἀνταγωνιστάς. Id est: *post primam aut post secundam sortitionem, secundo vel tertio superatis adversariis.* Id enim usu veniebat, ob eam rationem quam dixi, quoties plura erant paria athletarum. Quippe victores inter se componebantur, et secunda inter eos fiebat sortitio, ac rursus tertia, donec victoria ad unum rediisset. Et hoc est, quod in hac epistola dicitur διὰ πλειόνων κλήρων. Ad hanc athletarum sortem referenda sunt ea, quæ habes in principio hujus epistolæ de Epagatho: ἀνελήφθη καὶ αὐτὸς εἰς τὸν κλῆρον τῶν μαρτύρων. VALES.

Ib. τὰς διεξόδους τῶν μαστίγων] Musculus vertit *verberum*

c Cf. Fabric. *bibliogr.* p. 460. Kuinoel. *Commentar. ad Actor.* i. 26. p. 26. sq. ed. ii. Plutarch. Timoleon c. xxxi. ext. HEIN.

illationes. Christophorsonus *trajectiones.* Dictum videtur pro τὰς ἐν τοῖς διεξόδοις μάστιγας, id est, verbera illata dum traducerentur in pompa. Moris autem erat, ut bestiarii, antequam pugnarent cum bestiis, flagris verberarentur, ut docet Tertull. in lib. i. ad nationes c. 18. et in lib. ad martyres c. 5. Sic in passione Perpetuæ et Felicitatis scriptum legimus: *Ad hoc populus exasperatus flagellis eos vexari pro ordine venatorum postulavit.* Ubi vide quæ notat Lucas Holstenius. Itaque hoc loco διεξόδους verto *transcursiones flagrorum.* Omnium enim venatorum flagra per ordinem excipiebant bestiarii, ut ex actis illis et ex Tertulliano discimus, qui et *transcurrendi* verbo in ea re utitur. VALES.

1, 36. τοῖς ἔξωθεν ὀφθαλμοῖς, i. q. σαρκικοῖς, ut nos: *mit leiblichen Augen*, Locus dignus qui conferatur, est apud Cyrill. Alex. lib. x. in Joh. p. 838. quem affert Suicer. *Thes.* t. ii. p. 530. i. σαρκικοῖς οὐκέτι φαινόμενος ὀφθαλμοῖς, τοῖς γε μὴν νοητοῖς τοῖς καρδίας ὄμμασι θεωρούμενος. cf. Chrysost. de sacerd. vi. 12. 581. ed. Tauchn. Opp. t. xii. p. 393. B. ed. Montf. τοὺς ἔξωθεν ὀφθαλμοὺς—τὰ ἔνδοθεν ὄμματα. Aliter autem supra initio hujus capitis legitur: σαρκίνη δέσποινα, i. e. terrestris. Cf. Ephes. vi. 5. Coloss. ii. 22. Hebr. xii. 9. HEIN.

1, 37. διὰ πολλῶν κλήρων ἐκβιβάσασα] Scribendum est ἐκβιάσασα, ut supra. Atque ita legitur in codice Medicæo et apud Nicephorum. Vide Petrum Fabrum in libro primo Agonistici cap. 24. Porro notandum est Blandinam, utpote servam, cruci affixam fuisse, quod erat supplicium servorum. VALES.

1, 39. Καὶ περιαχθεὶς κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου] Solebant olim gladiatores et bestiarii, antequam certamen obirent, per ora populi circumduci. De qua pompa loquitur Lucianus in Toxari, ut notavit Salmasius in notis ad Julium Capitolinum pag. 91. et Casaubonus, post Lipsium in Saturnalibus, qui locum Quintiliani ex declamatione nona eo spectantem primus adduxit. Id autem fiebat non solum in iis qui se ipsos ad ludum auctoraverant, sed in reis qui ad ferrum aut bestias damnati erant. Martialis:

Traducta est gyris, nec cepit arena nocentes. VALES.

vid. quæ monui viii. 14. HEIN.

1, 40. μάρτυρες ἐχαρίζοντο] Id est, dextram lapsis porrexerunt, et medicinam adhibuerunt, et pro iis intercesserunt. Id enim solebant martyres, ut ex Cypriano didicimus. VALES.

1, 41. ἀνεμετροῦντο] Dudum conjeceram scribendum esse ἀνεμητροῦντο. Postea vero in codice Regio ita superscriptum inveni eadem manu. Quin etiam Christophorsonum ita legisse apparet. Hieronymus in cap. 4. ep. ad Gal. *Sed et illud est intuendum, quod qui per peccatum quodammodo homo esse desierat, per pœnitentiam concipitur a magistro, et rursum in eo Christi reformatio repromittitur.* VALES.

Ib. ἐγγλυκαίνοντος] Hoc verbum tam active, quam passive sumi potest. Et Nicephorus quidem active dictum intellexit. Sic enim hunc locum interpolavit: καὶ ἐγγλυκαίνοντο ὑπὸ τοῦ μὴ θέλοντος τὸν θάνατον. Metaphora est ab oleastro, qui insitus dulcescit, de quo Paulus apostolus. Sed et passive sumi potest, et quidem commode, ut mihi videtur. Id enim sibi volunt Lugdunenses, nomen Christi, quem lapsi negaverant, dulce de cetero ipsis fuisse.[d] Paulo post pro ἐρωτηθῶσι, codex Medicæus ac Mazarinus ἐπερωτηθῶσι habent. Sic etiam codex Fuk. et Savilii. VALES.

1, 42. ἀποτυμπανισθῆναι[e]] Hanc vocem non intellexit Christophorsonus, qui *tympanis torqueri* vertit. Quid hoc verbum significet, jampridem docuit Villiomarus in libris adversus Robertum Titium. VALES. Val. vertit: *gladio cæderentur* Stroth. *hinrichten* vid. Suicer. s. ἀποτυμπανίζω et τυμπανίζω. Hebr. xi. 35. De sententia imperatoris cf. Moshem. *Commentt.* p. 247. sq. HEIN.

Ib. τῆς ἐνθάδε πανηγύρεως ἀρχομένης συνεστάναι] Celebris ex omni Gallia conventus ludorum causa fiebat Lugduni, ad aram Augusto sacratam. Dicata autem fuerat hæc ara Iulo Antonino et Fabio Africano Coss. Calendis Augusti, ut scribit

d Recte vertit Val. "*Deo mitiorem succum eis infundente.*" Mire Strothius: "*gestärkt durch den süssen Einfluss Gottes.*" HEIN.

e Ante ἀποτυμπανισθῆναι et post τοὺς μὲν Cph. addit ὁμολογοῦντας idque ipse Zimmermannus in textum recepit. Et sane rectius esset istud additum. Rufinus quoque habet *persistentes.* Sed h. l. non tam necessarium mihi visum est illud additamentum quam i. 7. ἐκ μνήμης ubi vid. (pag. 341.) HEIN.

Suetonius in Claudio. Eos ludos adhuc sua ætate mansisse scribit Dio. Ex his colligitur martyres Lugdunenses mense Augusto passos esse. Quod autem Hieronymus, Ado, Usuardus, Beda, Nothkerus aliique natalem Lugdunensium martyrum conferunt in diem quartum Nonas Junii, nihil me movet. Diu enim post illorum necem, cum illorum reliquiæ inventæ fuissent, hic dies potissimum electus est, quod omnium simul memoria celebraretur; cum tamen non uno eodemque die omnes passi sint, ut ex hac epistola constat. VALES. Vid. Marca *dissert. de primatu Lugdun.* Num. C., Pagi ad a. C. 177. M. Aurelii 17. citante Read. HEIN.

1, 44. *μηδὲ—νυμφικοῦ* quid sit, præcedentia et sequentia satis significant. Debet enim profecto certe simile quid fidei et timori Dei eo exprimi, neque hoc non vidit Stroth. *Uebersetzung*, t. i. p. 326. not. 10. ubi "*i. e.*, inquit, *of purity of heart*." Jam vero quomodo illud possit esse *ἔνδυμα νυμφικὸν*, hoc sane non statim pateat, neque Strothius indicavit. Itaque hoc erit exponendum, et quidem eo magis, quo minus quisquam illius locutionis vim intellexerit ex falsa interpretatione Valesii: *quorum animis——nec reverentia vestis nuptialis* et Strothii: *noch eine Empfindung vom hochzeitlichen Kleide.* Jam vero *νυμφικὸν* minime est nuptialis, sed idem quod *νυμφίδιος* et aut quod est sponsi aut quod sponsæ. His præmissis addenda sunt hæc, Primum patres ecclesiam Christi tum *παρθένον* (cf. supra *καὶ——τῇ παρθένῳ μητρὶ* Suicer. *Thes.* t. ii. p. 596. ii. 1.) tum *νύμφην* appellare amant. vid. Ammonius in catena in cap. 3. Joh. p. 108. *Διὰ τοῦ βαπτίσματος νυμφεύεται ὁ Χριστὸς τὴν ἐκκλησίαν ἀγαγεννηθεῖσαν. Ἡ συζυγία αὕτη πνευματικὴ διὰ τοῦ διδασκαλικοῦ λόγου συνάπτει Θεῷ. Παρθένος δ' ἐστὶ καὶ ἁγνὴ ἡ νύμφη, διὰ τὴν τῶν δογμάτων ὀρθότητα· ἡ αὐτὴ καὶ γυνὴ ἐστὶ τοῦ Χριστοῦ, ὡς ἀγαθὰς γεννῶσα πράξεις, οὐκ ἀφ' ἑαυτῆς, ἀλλὰ διὰ τοῦ ἐνσπείροντος ἐν αὐτῇ Χριστοῦ. Ἧς οὐδεὶς γεννητῶν δύναται εἶναι νύμφιος, ἐπείπερ πρωτοτύπως οὐδεὶς αὐτῶν ἐστι δότηρ ἀγαθῶν· πᾶσα οὖν λογικὴ φύσις, ἀγγέλων τε καὶ ἀνθρώπων, νύμφη ἐστί· νύμφιός ἐστιν ὁ Χριστός· καὶ ἡ ἐκκλησία νύμφη, καὶ ὁ νυμφὼν ὁ τόπος τοῦ βαπτίσματος, ἔνθα γίνεται ἡ πνευματικὴ συνάφεια, ἐπειδὴ πάντα φαιδρὰ καὶ χαρᾶς ἀνάμεστα καὶ εὐφροσύνης.* Itaque *ἔνδυμα νυμφικὸν* certe esse poterit

vestitus sponsæ, i. e. ecclesiæ. Sed hoc illis verbis debere etiam significari præterea ostendendum est. Quidni enim vel vestitus sponsi, i. e. Christi significetur? Per se illud non minus possit illis verbis exprimi. Sed vetat hoc alius dicendi usus, ex quo solo plena locutionis illius vis, quæ adhuc sive νυμφικοῦ de Christo sive de ecclesia dictum velimus, omni commodo sensu caret, potest cognosci. Dicuntur enim quoque Christiani a patribus sæpius ἐνδύεσθαι Χριστὸν eodem modo quo a Paulo apostolo. vid. Rom. xiii. 14. Galat. iii. 27. Teller. *Wörterbuch des N. T.* p. 20. sq. ed. iii. s. v. *Anziehen.* Ita supra in hoc ipso capite legitur: μέγαν καὶ ἀκαταγώνιστον ἀθλητὴν Χριστὸν ἐνδεδυμένη, i. e. *magni et invicti athletæ Christi fortitudine* (de hac enim haud dubie sola h. l. cogitandum) *armata.* cf. Ephes. vi. 13. sqq. Hinc patres Christum quoque vocant ἱμάτιον. Adscribere juvat certe locum Theophylacti ad Rom. xiii. 14. p. 133. laudatum cum aliis a Suicer. t. i. p. 1114. 1453. quem cf. Ita autem Theophylactus: Ἀποδύσας, inquit, ἡμᾶς τῶν πονηρῶν ἱματίων, καλλωπίζει λοιπὸν, οὐκέτι ὅπλα φωτὸς ἡμᾶς ἐνδύων, ἀλλ' ὃ πολλῷ φρικοδέστερον, τὸν αὐτὸν δεσπότην διδοὺς ἱμάτιον ὑμῖν. Simul addit: Ὁ γὰρ τοῦτον περιβεβλημένος, πᾶσαν ἔχει τὴν ἀρετήν. Quæ si ad nostrum locum transferas, sententiam ejus esse intelliget nullam nisi hanc: *Martyrum vero clero non sunt adscripti* (ἔμειναν δὲ ἔξω) *ii, quorum animis nec vestigium ullum fidei neque sensus illius vestis quam induere debeat ecclesia,* i. e. *Christi, nec notitia timoris Dei impressa erat.* Ita puto omnia esse plana et nostram explicationem simul oratione contexta egregie confirmari. Remota imagine dicitur hoc: qui ne leviter quidem suspicati erant, Christianos et Christianam ecclesiam quanti quanti sint, totos sese tradere ac consecrare debere Christo, summo ecclesiæ regi ac quasi capiti. Longe languidior fieret oratio, si quis ἔνδυμα ut sane alibi dicitur, interpretari vellet de baptismo (cf. Suicer. t. i. p. 1112. ii.), relato νυμφικοῦ ad Christum et sensu loci ita constituto: nec leviter sentiunt quid sit baptisma sponsi sui, i. e. Christi, et qualis ejus esse debeat efficacia. Accedit quod vix illæ imagines de ecclesia et Christo usurpantur, nisi facilius possis eas ex orationis tenore perspicere, id quod, si ita velimus ἔνδυμα νυμφικὸν h. l. interpretari,

minime posset fieri. Contra adscita priori explicatione, modo quis orationis nexum consideret et *νύμφην* sæpe vocari ecclesiam, *νυμφικὸν* igitur quod ad eam pertineat, cogitet, reliqua facile et sua sponte sequuntur, præsertim cum supra jam legeretur formula Χριστὸν ἐνδύεσθαι. cf. verba *ὡς νύμφῃ κεκοσμημένῃ κ. λ.* Quamquam illud ante omnia tenendum fuerit his ac similibus imaginibus patres uti sæpius *ἀτοπῶς* et adeo *μυστικῶς*. Cf. locus superius laudatus ex Ammonio, et supra verba *τὴν εὐωδίαν ὀδωδότες ἅμα τὴν τοῦ* Χριστοῦ, *ὥστε ἐνίους δόξαι καὶ μύρῳ κοσμικῷ κεχρίσθαι αὐτούς.* iv. 15. p. 355. *καὶ γὰρ εὐωδίας τοσαύτης ἀντελαβόμεθα κ. λ.* Nominatim vero in illa de Christo et ecclesia cum sponso ac sponsa comparatione, quam non minus ex locis Matth. ix. 15. xxv. 5. xxii. 2. sqq. Marc. ii. 19. Luc. v. 34. sq. Joh. iii. 29. quam 2 Corinth. xi. 1. Ephes. v. 25. sqq. 32. sq. patres ecclesiastici duxisse videntur, magnam adhibendam esse cautionem, verissime jam monuit Teller. l. l. p. 34. *We should not introduce Christ into the play which we sometimes carry on with the Church as his bride. He himself has never called her his bride, and least of all an individual member, which is yet more offensive . . . . . . I intend this remark especially for teachers of the common people, who ought to contend against such trifling with conscientious earnestness, and not to fill the imaginations of their hearers with ideas, which may too easily be enlarged upon by them in an offensive manner, and very often have been even, by whole communities.* Et idem V. D. l. l. p. 177. Eph. 5. 32. *The mystery means the doctrine of the union of Christ with his Church, which the apostle calls great, in order to make it a serious duty in every one not to extend the comparison which he has introduced to an improper length, and to the representation of gross and sensual ideas.* Tschirner, *Briefe über Gegenstände der Religion und Politik herausgegeben von Krug, p.* 15. "*Yet have the mystics of all ages represented the relation of the soul to God under the idea of the bride and bridegroom, and spoken of the kiss and the embrace, so that they only fed the flame which they wished to extinguish, because it had not ceased to burn in their own hearts.*" Cf. quæ monui v. 18. x. 4. Neque igitur quidquam homines hæc præcepta negligentes juvat exemplum Pauli, qui ipse

sane duobus locis superius laudatis certe simili imagine utitur, sed *apte* et *sapienter*. Vid. Iaspis. *ad Ephes.* v. 32. not. hh. HEIN.

1, 44. βλασφημοῦντες τὴν ὁδὸν] Hoc loco βλασφημοῦντες idem valet ac βλασφημεῖσθαι ποιοῦντες. Quæ loquendi forma usitata est in sacris libris, ut cum dicitur in evangelio: Viri Ninivitæ surgent et condemnabunt vos in judicio. Id est, condemnari facient. Et Musculus quidem vertit hoc modo: *per vitæ suæ conversationem viam Dei blasphemantes.* Christophorsonus vero interpretatur: *viam veritatis contumeliis afficientes.* Ad Nicephorus cum hæc non intelligeret, locum interpolavit. VALES. Cf. Rom. ii. 24. ibique Iaspis. not. v. p. 16. HEIN.

1, 45. ὠδίνων eodem plane modo legitur ut Gal. iv. 19. τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, i. e. ut recte interpretatur Theophylactus et Œcumenius, ἀναγεννῶ, ad religionem Christi adduco et hoc modo vera vita animo. Præterea vid. 1 Cor. iv. 15. ix. 1. Philem. v. 10. Jacob. i. 18. cf. Ephes. ii. 10. Similiter supra legebatur ἀνεμητροῦντο, ἀνεκυίσκοντο, ἀνεζωπυροῦντο cf. Senec. epist. 34. Paulus, *Commentar über das N. T.* tom. iii. p. 409. HEIN.

1, 46. ἐπιστήσαντος τοῦ ἡγεμόνος] Rufinus vertit: *qui a præside in medium statui jussus.* Musculus autem ita vertit: *Urgente vero præside*, etc. quem secutus est Christophorsonus. Possis etiam ita vertere: *Quod cum animadvertisset præses*, etc. Mihi tamen magis arridet Rufini versio. Ἐπιστῆσαι enim proprie est sistere coram judice, quod etiam παραστῆσαι dicitur. VALES.

1, 47. τοὔσχατον ἐτύθησαν] Eodem verbo superius usi sunt Lugdunenses, ubi de Sancto, Maturo et Blandina loquuntur. Ac Rufinus quidem hoc loco vertit *jugulati sunt.* Musculus *cæsi sunt.* Christophorsonus *gladio feriuntur.* Rufini versionem confirmat Tertulliani locus in Apolog. c. 30. *Sic itaque nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent.* Ego vero malim vertere *gladio confossi sunt.* Mos enim erat, ut bestiarii a confectore trucidarentur, quemadmodum notavi supra ad martyrium Polycarpi. Eusebius in libro de martyribus Palæstinæ cap. 11. de Hadriano martyre loquens, qui ad bestias damnatus fuerat: Λέοντι παραβληθεὶς, καὶ μετὰ τοῦτον ξίφει κατασφαγεὶς,

ἐτελειώθη, et paulo post de Eubulo scribens commartyre: *μετὰ τοὺς θῆρας ὁμοίως τῷ προτέρῳ θῦμα γενόμενος*. Ex quibus verbis plane conficitur, *ἐτύθησαν* idem esse quod *κατεσφάγησαν*. Sic in actis passionis Tharachi, Probi et Andronici: *Maximus autem ira repletus vocavit Terentianum sacerdotem, et jussit gladiatores introduci, ut sanctos Dei martyres interficerent. Statim præceptum Maximi impletum est. Consumpti autem sunt gladio.* Ita codex MS. quem vidi. Acta vero Græca sic habent: *τότε οὖν ἀγανακτήσας ὁ Μάξιμος, καὶ τὸν Τερεντιανὸν αἰτιασάμενος, ἐκέλευσε μαχαιροφόρους τινὰς τῶν λουδαρίων εἰσελθεῖν, καὶ κατασφάττειν τοὺς ἁγίους ἐν τῷ θεάτρῳ*. Et in passione SS. Perpetuæ et Felicitatis ita scriptum est: *Exinde jam exanimis prosternitur cum ceteris ad jugulationem solito loco.* Et paulo post: *Cæteri quidem immobiles et cum silentio ferrum receperunt. Perpetua vero, ut aliquid doloris gustaret, inter ossa compuncta ejulavit: et errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in jugulum suum transtulit.* VALES.

Ib. *κατὰ καρδίαν ὁμιλοῦντος τῷ Θεῷ*] Rufinus hunc locum longa circuitione verborum exposuit hoc modo: *Intra se ipsum semper cum Deo loquente, et in laudibus ejus ac precibus permanente.* Optime. Nam oratio nihil aliud est quam *ὁμιλία πρὸς τὸν Θεόν*. Et ita eam definit Clemens Alexandrinus, cui consentit Proclus philosophus in libro ii. Commentariorum in Timæum Platonis pagina 64. ubi de precatione elegantissime disserit ex Porphyrio. VALES.

1, 49. *ὄνομα οὐκ ἔχει*, i. e. Numen supremum, quamvis ipsum illo Dei nomine soleamus appellare, tamen minime eget nomine, ut homines, neque ejus vis ac natura hac aliave appellatione potest plane et vere exprimi. Hanc enim esse illius responsionis Attali sententiam, non solum inde patet, quia si numen summum nullo plane nomine appellari posse et debere eum dixisse crederemus, sibimet ipsi illo repugnasset, ut qui cur ipse illud Deum vocaret, deinde nullam habuisset causam, sed etiam inde maxime intelligitur, quod plerique veteris ecclesiæ Christianæ doctores recte nulla neque ipsa Dei appellatione infinitam Numinis supremi naturam plane describi ac quasi hauriri, imo aut nonnisi quæ sit Dei ad homines relatio ejusdemque beneficiorum in nos collatorum copia, aut ut Origenes et Augustinus, solam numinis summi cogitationem in hominum

animis excitari ejusmodi appellationibus, statuunt. Vid. Clement. Alex. Strom. v. 12. Minuc. Fel. Octav. c. 18. extr. Münscher. *Handbuch der Dogmengeschichte,* tom. iii. p. 278. sq. Similiter Pseudo-Dionysius Areopagita summam Dei perfectionem in eo quæsivit, quod ille non esset, i. e. non eo modo, quo homines. Neque aliam de Numinis supremi nominibus sententiam habuit Lactant. Instit. div. i. 6. 5. *Deo igitur nomen non est, quia solus est: nec opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo, ut unamquamque personam sua nota et appellatione designes.* Neque his repugnant verba statim sequentia: *Deo autem quia semper unus est, proprium nomen est Deus.* His enim nihil aliud haud dubie dicere voluit Lactantius, nisi Deum, *quia ejus unitas semper accuratius sit designanda,* proprio nomine vocari a Christianis Deum. cf. Lactant. Inst. ii. 16. 6. Ut aliter sentiret, nihil movit Lactantium nisi cupidius gentiles depugnandi studium, quod sæpius malas adeo sophistarum artes ipsum docuit. Ita enim l. l. i. 11. 40. sqq. Jovis nomen in Deum minime congruere quamvis a *juvando* illum dici velit Cicero (de nat. deor. ii. 25, 26.), defendit hac de causa, quod *illud levius est, quam ut eo verbo magnitudo paterni beneficii exprimatur.* Quin etiam: *impius,* inquit, *est, qui nomine Jovis virtutem summæ potestatis imminuit.* Cui, quæso, opinioni quomodo convenit ipsius Lactantii sententia, Deum non indigere nomine? Non recte poterant respondere gentiles, neque Dei appellatione, quamvis illa sit ut est, longe aptior, magnitudinem Numinis supremi *plane* designari? Et quis solam iram et studium movere Lactantium, ut verbum juvandi angustiori sensu a nobis dici velit, non videat? cf. Lactant. Inst. iii. 28. 5. et i. 5. 21. sqq. Huc accedit, quod gentiles etiam nullo nomine absolutam Dei vim posse exprimi recte statuisse, concedere videtur ipse Tholuckius in commentatione: *Das Wesen und die sittlichen Einflüsse des Heidenthums* in: Neander. *Denkwürdigkeiten,* tom. i. p. 19. sq. p. 26. cf. Neander. l. l. p. 284. 415. not. 12. Eurip. Bacch. v. 257. Γῆ δ' ἐστὶν, ὄνομα δ' ὁπότερον βούλει, κάλει et quæ monui ad vii. 18. Denique adscribere ad h. l. mihi liceat, quæ similiter de toto hoc genere disseruit Ienisch. *über Grund und Werth der Entdeckungen des Herrn Professor Kant in der Methaphysik, Moral und Aesthetik,* p. 233. sq. *The mind*

of man has ever felt itself, and still feels itself, so immeasurably small, as compared with that incomprehensible Being who called the nature of things into existence, that, in order to approximate to the comprehension of his nature—it thought that it could do nothing better than combine as it were in one radiant bond the highest degrees of greatness, glory, majesty, and perfection, which it could conceive or lay hold of, and appropriate them to Him, the Uncomprehensible. The genuine philosophical Anthropomorphism—had never any other meaning, and could have no other. A Plato, a Cicero, a Seneca, among the ancients, among the fathers of the Church, an Augustin, a Lactantius, and a Chrysostom, and among the moderns, a Bacon, a Spinoza, and a Leibnitz, held all the attributes and perfections with which the human mind invests the Deity to be nothing more or less than necessary aids of our weak understanding, by which the real essence of the Deity is not at all as it were positively determined, but only illustrated and practically applied to the wants of our Nature. And they were therefore far from wishing to predicate of the Deity (as of a thing by itself) every thing which the narrowness of the human understanding compelled them to attribute to him. Cf. Cicero de legg. i. 7. Dasne igitur hoc nobis, Pomponi,—*deorum immortalium vi, ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum, quo planius significem quod volo, naturam omnem regi?* Keil. *Opusc.* p. 472. sq. ed. Goldhorn. Quod si hoc valet de ipsis Dei attributis, quanto magis de nomine ei imponendo et imposito? Eadem sententia haud scio an subsit verbis Pauli 2 Thess. ii. 4. ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα, ita ut simul significet Numen supremum vel Θεὸν vel σέβασμα dicere, non esse rei caput, modo recta illius impressa sit animo notio, neque illum υἱὸν ἀπωλείας de quo ipse loquatur, minus peccaturum si se supra omne quod dicatur σέβασμα quam si se supra omne quod dicatur Θεὸς, aliquando sit elaturus. HEIN.

Ib. τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῶν μονομαχιῶν] Ex his patet munus gladiatorum per aliquot dies præberi solitum esse Lugduni in illo celebri mercatu et conventu totius Galliæ ad aram Augusti. Hinc est quod supra dixit de Maturo et Sancto: ἀντὶ πάσης τῆς ἐν τοῖς μονομαχίοις ποικιλίας αὐτοὶ θέαμα γενόμενοι τῷ κόσμῳ. Præter hæc munera gladiatoria, datus præterea fuerat a præside dies spectaculi ferarum propter Christianos, ut

nominatim dicitur in hac epistola, τῆς τῶν θηριομαχιῶν ἡμέρας διὰ τοὺς ἡμετέρους διδομένης. Neque enim hæc inter se confundenda esse existimo, μονομαχίας scilicet et θηριομαχίας, quamvis Latini uno muneris vocabulo utrumque spectaculum comprehendant. Si quis tamen μονομαχίας et θηριομαχίας hic pro eodem sumi contendat, equidem non magnopere repugnabo. Certe in gestis præsidialibus sanctorum martyrum Tarachi, Probi et Andronici, gladiatores sumuntur pro bestiariis. Sic enim scribitur cap. 10. *In prima muneris editione, cum multæ feræ immissæ essent, multorum gladiatorum corpora qui multis horis cum bestiis pugnaverant, devorata sunt.* Paulo post tamen gladiatorum munus a munere ferarum ibidem distinguitur his verbis: *Maximus proconsul indignans jubet edi gladiatorum munus, quibus mandaretur inprimis Christianos martyres gladiis confodi.* Sed et Cyrillus Hierosolymitanus in prima catechesi mystagogica, μονομαχεῖν dicit de bestiariis, et Chrysostomus in homilia de Jona pag. 661. οἱ θηρίοις πυκτεύειν μέλλοντες. Quod idem est, ac si dixisset θηρίοις μονομαχεῖν. VALES.

1, 52. μετὰ τὸ τήγανον, *craticulam* vertit Rufinus. Idem plane est quod supra vocavit ferream cathedram, cui impositi martyres, tanquam in sartagine torrebantur. Sic enim supra dictum est de Maturo: ἐπὶ πᾶσι τὴν σιδηρᾶν καθέδραν, ἐφ' ἧς τηγανιζόμενα τὰ σώματα, etc.[f] Mos enim erat, ut Christiani antequam bestiis objicerentur, in hujusmodi cathedra suppositis prunis ardentibus sederent, ut paulo ante legitur de Attalo. VALES. Γύργαθος contra significat reticulum, quo inclusi damnati tauris irritatis objiciebantur, ut monuit Strothius ad h. l. Observanda autem præterea est βραχυλογία quædam in illis μετὰ τὰς μάστιγας, μετὰ τὰ θηρία, μετὰ τὸ τήγανον conspicua. Plene enim dicendum erat: μετὰ τὸ τὰς μάστ. παθεῖν, μετὰ τὸ πρὸς τὰ θηρία βεβλῆσθαι, vel simile quid. Exemplum vero plane simile inveni apud Plat. Phæd. c. 4. πρῶτον μὲν εἰς τὸν Θεὸν ἐποίησα (ποιήματα), μετὰ δὲ τὸν Θεὸν pro μετὰ δὲ τὸ εἰς τὸν Θεὸν ποιῆσαι. HEIN.

Ib. ἱκανῶς ἀναβληθεῖσα] Inter voluptates amphitheatralis spectaculi hæc est, ut taurus in arenam produceretur, cui in

[f] Cf. Chrysost. homm. Opp. t. xii. p. 342. B. p. 369. A. 2 Maccab. vii. 3. 5. Matthæi *ad Luc.* xvi. 24. lxx. ad Jerem. xxxvi. 22. οὓς ἀπετηγάνισε—ἐν πυρί. HEIN.

furorem concitato noxios homines reticulo inclusos objiciebant, quos ille velut pilas in altum jactabat. Notissimi sunt hac de re Martialis versus:

Taurus ut impositas jactat ad astra pilas. VALES.

I, 53. Ὑπὸ γὰρ ἀγρίου θηρός] *Antiquum serpentem* vertit Rufinus, dæmonem scilicet rectius hoc modo designari existimans. Certe Græca vox etiam serpentem significat. Unde et theriace dicitur. Sic paulo infra ὁ θὴρ pro diabolo sumitur, ubi Musculus *viperam* vertit. VALES. Cf. Suicer. *Thes.* tom. i. p. 850. Simul observandus est lusus quidam verborum. Paulo enim post ipse præses ac plebs vocatur θηρίον. Vid. Chrysost. tom. xii. p. 392. D. ubi magus quem convenit Paulus (Act. xiii. 8.), vocatur μιαρὸν καὶ ἀναίσχυντον θηρίον. Euseb. de martyr. Pal. xi. ὁ δὲ οὐκ ἄνθρωπος, ἀλλὰ θὴρ καὶ εἴ τι θηρὸς ἀγριώτερον. Xen. Memorr. iii. 11. 11. πολὺ διαφέρει τὸ κατὰ φύσιν τε καὶ ὀρθῶς ἀνθρώπῳ προσφέρεσθαι——εὐεργεσίᾳ δὲ—τὸ θηρίον τοῦτο ἁλώσιμον κ. λ. ibid. i. 4. 13. ἐνίησι γάρ τι τὰ φαλάγγια κατὰ τὸ δῆγμα——τοὺς δὲ καλοὺς οὐκ οἴει φιλοῦντας ἐνιέναι τι, ὅ τι σὺ οὐχ ὁρᾷς; οὐκ οἶσθ' ὅτι τοῦτο τὸ θηρίον, ὃ καλοῦσι καλὸν καὶ ὡραῖον, τοσούτῳ δεινότερόν ἐστι τῶν φαλαγγίων, ὅσῳ ἐκεῖνα μὲν ἁψάμενα, τοῦτο δὲ οὐδ' ἁπτόμενον, ἐάν τις αὐτὸ θεᾶται κ. λ. ibid. ii. 1. 4. 5. Tit. i. 12., ubi Cretenses appellari constat in versu incerti poëtæ a Paulo laudato κακὰ θηρία. Diogen. Laert. vi. 51. ubi συκοφάντης inter ἀγρία, κόλαξ inter ἥμερα θηρία refertur. Neque 2 Timoth. iv. 17. aut diabolum omnis calamitatis auctorem aut Neronem a Paulo voce λέων significari, incredibile est. Vid. Suicer. *Thes.* t. ii. p. 232. 2. a. b., 1 Petr. v. 8. Euseb. H. E. ii. 22. p. 162. iii. 36. p. 273. Philipp. iii. 2. Themist. orat. v. Ezech. xix. Quamquam rectius fortasse in loco illo epistolæ ad Timotheum nonnisi locutio proverbialis agnoscatur. Cf. Psalm. xxii. 21. 22. Sed apud Euripid. Orest. v. 1386. Orestes ac Pylades minime bono sensu dicuntur λέοντες Ἕλλανες δύο διδύμω. ibid. v. 1549. sq. ubi Menelaus inquit:

ἥκω κλύων τὰ δεινὰ καὶ δραστήρια
διssοῖν λεοντοῖν· οὐ γὰρ ἄνδρ' αὐτὼ καλῶ.

Med. v. 1332. λέαιναν, οὐ γυναῖκα ibid. v. 1348. Et Phœn. v. 1297. διδύμοι θῆρες, φόνιαι ψυχαί. Euseb. V. C. i. 35. iii. 3. 66. init. cf. Ernesti *Clav. Cic.* s. v. *equus.* Ceterum θὴρ et

θηρίον ita usurpata neque in patrum scriptis differunt, et utrumque non minus contemtum exprimit. Cf. Thiersch. *Grammatik, vorzüglich des homerischen Dialekts*, p. 291.*

Ita quem Eusebius *ἄγριον θῆρα* vocat diabolum, a Chrysost. Strom. iv. p. 503. *ἄγριον θηρίον* dicitur. Cf. index verbor. s. v. *σωμάτιον* et Suicer. l. l. p. 1399. ii. sq. Hinc *θηριάλωτοι* vocantur, qui capti et irretiti tenentur laqueis diaboli apud Chrysost. tom. vi. p. 276. B. Bono contra sensu homo dicitur *ζῶον* apud eundem Chrysost. t. xii. p. 389. A. *τὸ περισπούδαστον τῷ θεῷ ζῶον*. cf. ibid. tom. i. p. 774. C. Suicer. l. l. t. i. p. 1313. ii. HEIN.

Ib. *ἀδικῶς—μῖσος*] De injusto erga se gentium odio passim querebantur Christiani. Tatianus adversus Græcos, pagina 149. *καὶ μὴ διὰ τὸ μισεῖν ἀδίκως, παρανομήσητε.* Tertull. in Apol. c. 1. VALES.

Ib. *Ὁ ἄνομος ἀνομησάτω ἔτι*] Ex capite ultimo Apocalypseos versu 11. ubi pro *ἄνομος ἀνομησάτω* hodie legitur *ἄδικος ἀδικησάτω.* Simile quid legitur in cap. 12. Danielis. Citatur hic locus a Fausto Reiensi, qui vulgo Eusebius Emissenus inscribitur, in sermone tertio ad monachos: *Et ejusmodi animæ eveniet illa sententia: peccator adjiciet ad peccandum. Quam nos carissimi refugientes, illam potius teneamus quæ dicit: et sanctus adhuc sanctificetur.* VALES.

1, 57. *κατερράνθη εἰς τὸν Ῥοδανὸν*] Hæc est codicis Regii scriptura, cui consentit Nicephorus. Sed reliqui codices Maz. Med. Fuk. et Sav. ita præferunt: *κατεσαρώθη εἰς τὸν Ῥοδανόν.* Quam lectionem vulgatæ longe præferendam duco. Certe Rufinus non aliter videtur legisse, ut ex interpretatione ejus apparet. Sic enim vertit: *Incensa ossa martyrum et in favillam redacta, cum reliquo terræ pulvere in Rhodanum fluvium dispersere.* VALES.

2, 1. *Τὸν δεδηλ. αὐτοκράτορα*] Stroth. *Uebersetzung.* t. i. p. 331. not. 6. conjicit, Eusebium h. l. adhuc loqui de Lucio Vero, cujus mortem nondum commemoraverit. Cf. cap. iv. extr. et cap. v. init. HEIN.

2, 2. *καὶ ἐκ θηρίων αὖθις ἀναληφθέντες*] Henricus Savilius ad oram sui codicis hunc locum ita emendavit: *καὶ τοῖς θηρίοις παραβληθέντες, καὶ ἐξ αὐτῶν αὖθις ἀναληφθέντες.* Quæ emendatio in Genevensi quoque editione apposita est ad marginem

ex libro Christophorsoni. Sane Christophorsonus locum hunc ita legit, ut ex versione ejus apparet. Sed utrum ex conjectura, an ex fide veterum codicum ita legerit, incertum est. Nostri certe codices nihil mutant. Porro ἀναληφθῆναι hoc loco significat, in carcerem iterum contrudi. Sic supra de Blandina: καθαιρεθεῖσα ἀπὸ τοῦ ξύλου, ἀνελήφθη πάλιν εἰς τὴν εἱρκτήν. Et paulo post de Attalo, μαθὼν ὁ ἡγεμὼν ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀναληφθῆναι. VALES.

2, 6. πᾶσι μὲν ἀπελογοῦντο.] Rufinus hunc locum ita vertit: *Placabant omnes, neminem accusabant.* Christophorsonus vero et ante illum Langus sic interpretari maluit: *defendere omnes, neminem accusare.* Quam interpretationem probare non possum. Neque enim in Græco dicitur ὑπὲρ πάντων ἀπελογοῦντο, sed πᾶσιν ἀπ. Sed neque martyres illi cunctos sine discrimine defendebant, hæreticos scilicet, Judæos et gentiles. Rectius itaque Musculus vertit: *omnibus rationem fidei suæ reddebant.* Possis etiam vertere *omnibus se excusabant.* Id enim proprie est ἀπολογεῖσθαι. Unde apologiæ sacerdotum, de quibus Gregorius Magnus in sacramentario. VALES. Christoph. interpretationem esse veram, quivis videt. Cf. iv. 15. HEIN.

3, 7. πρὸς αὐτὸν sc. διάβολον, qui statim significatur voce sequenti θήρ. HEIN.

3, 9. τῶν μετὰ ταῦτα ἀφειδῶς] Novatianos intelligit, qui lapsis omnem spem indulgentiæ postea præcluserunt. VALES.

3, 1. Μαρτύρων] De narratione quæ sequitur, cf. Neander. *Denkwürdigkeiten*, tom. i. p. 332—336. HEIN.

Ib. ἀλλ' ἤ cum significet *præterquam, nisi*, debebit h. l. ante ἀλλ' ἤ suppleri μηδενὶ ex præcedenti μηδενὸς, ut sit: *nulla re, nisi* etc. Fortasse excidit μηδενὶ ante ἀλλ' ἤ. Quamquam cf. Plut. Coriol. c. vi. πλέον οὐδὲν—ὑπάρχειν αὐτοῖς, ἀλλ' ἢ—στρατευομένοις. vid. Valcken. *ad Eurip. Hipp.* v. 932. Herm. *ad Vig.* p. 812. cf. Chrys de sacerd. 1. 5, 64. οὐκ ἴσχυσεν ἂν ἑτέρως ἐξελέσθαι τὸν ἄνδρα τὸν αὐτῆς ἀλλ' ἢ κ. λ. Luc. xii. 51. Euseb. H. E. iii. 8. Ἀλλ' οὐχ ἁπάσης γε οὗτος, ἢ μόνης κ. λ. Schütz. *ad Hoogeven. de particulis Græc.* 29. Nr. 13. Matthiæ *ausführliche griech. Grammatik*, p. 1240 et not. i. HEIN.

3, 3. Τῶν δ' ἀμφὶ Μοντανὸν καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ Θεόδοτον] Hic Alcibiades distinguendus est ab Alcibiade illo martyrum

Lugdunensium collega, de quo supra. Nam hic quidem sanctissimus martyr fuit, ut apparet ex iis quæ de illo referunt Lugdunenses. Alter vero cum Montano ac Theodoto, signifer fuit sectæ Cataphrygarum. De quo vide caput 16. et 17. hujus libri. VALES. Contrariam Valesii sententiæ opinionem argumentis mihi haud probabilibus defendit ad h. l. Stroth. in edit. Græca, p. 272. sq. not. 28. qui etiam *τὸν* non habet ante *Μοντανόν*. HEIN.

3, 4. *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἐλευθέρῳ*] Eleutherus Romanæ urbis episcopus, a Montanistis primum deceptus fuerat, qui falsæ pietatis imagine errorem suum callide obtegebant. Adhæc literis atque exhortationibus Lugdunensium martyrum impulsus ad ecclesias Asiæ atque Phrygiæ epistolam scripserat de recipiendis in ecclesiam Montanistis. Sed statim admonitus a Praxea quodam Asiano, pacificas quas emiserat literas revocavit, et Aniceti decessoris sui auctoritatem secutus, novam prophetiam admittere recusavit, ut scribit Tertullianus in libro adversus Praxeam : *Nam idem tunc episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiæ et Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis et ecclesiis eorum asseverando, et præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit et literas pacis revocare jam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare.* Baronius quidem, in hoc Tertulliani loco per episcopum Romanum Anicetum intellexit. Verum ego Eleutherum intelligi potius crediderim, tum ob ea quæ hic refert Eusebius de litteris Lugdunensium martyrum ad Eleutherum datis de pace ecclesiarum, tum ob id quod Tertullianus subnectit de præcessorum auctoritate. Quo nomine Soterem et Anicetum procul dubio designat, qui Montani prophetiam repudiaverant. Hic certe Tertulliani locus valde illustris est, et ex verbis Eusebii quæ nunc præ manibus habemus, maximam lucem accipit. VALES.

Ib. *τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἕνεκα πρεσβεύοντες*] Christophorsonus quidem hæc verba retulit ad solum Eleutherum Romanæ urbis episcopum. Ego vero ad utrosque referri puto, tum ad Eleutherum, tum ad fratres in Asia et Phrygia constitutos. Consulti enim fuerant Lugdunenses et Viennenses a fratribus in Asia et Phrygia consistentibus, quid sentiendum

esset de pseudoprophetia illa quæ apud ipsos exorta fuerat, quidve agendum foret Montano, Theodoto aliisque, qui per Spiritus Sancti gratiam futura se prædicere jactabant. De his igitur Lugdunenses ac Viennenses presbyteri, ad Asianos sententiam suam perscripserunt peculiari epistola, quam utinam hic quoque apposuisset Eusebius. Epistolas quoque martyrum ea de re ad Asianos scriptas, suis literis adjecerant presbyteri Lugdunenses, ut sententiam suam auctoritate martyrum confirmarent. Quod si conjicere licet, hæc illorum videtur fuisse sententia, prophetas illos benigne tractandos esse, et ad pœnitentiam provocandos, ac si quidem resipiscerent, ad ecclesiam admittendos esse, ut pax inter fratres solidetur. Si vero pertinaces in errore suo permanerent, nec post frequentes admonitiones obtemperare sacerdotibus vellent, ab ecclesiæ corpore abscindendos. Porro ab iisdem Lugdunensibus presbyteris Irenæus Romam directus est ad Eleutherum papam, cum epistolis tam martyrum quam Lugdunensis cleri, ut cum Eleuthero de iisdem rebus communicaret. Cum enim in omnibus ecclesiasticis negotiis primæ essent partes episcopi Romani, merito Lugdunenses hanc controversiam ad eum detulerunt, id agentes et omnibus modis studentes, ut episcopi Romani auctoritate quæ semper summa fuit in ecclesia, hæc apud Asiam orta dissensio sedaretur, et pax in ecclesia restitueretur. VALES.

4, 1. Οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες] Blondellus in apologia pro sententia Hieronymi cap. 8. pag. 26. negat martyres Lugdunenses dedisse literas ad Eleutherum papam. Nam martyrium Pothini ac Lugdunensium contigisse affirmat anno 7. imp. Marci, Christi 167. quo tempore Soter Rom. ecclesiam administrabat. Martyres igitur Lugdunenses non potuerunt ad Eleutherum scribere, qui nondum Soteri successerat. Proinde Blondellus hanc epistolam a clero Lugdunensis ecclesiæ scriptam esse contendit. Sed Blondelli vanitatem refellit Eusebius. Quid enim apertius his verbis: *οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον πρεσβύτερον τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας τῷ δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων*? Jam ergo ruit tota Blondelli argumentatio. Cum enim martyres Lugdunenses adhuc in carcere positi scripserint ad Eleutherum papam, qui teste Blondello pontificatum iniit anno Christi 170., falsum

est, quod ait Blondellus, illos anno Christi 167. passos esse martyrium. VALES.

Ib. μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον] Baronius quidem ad annum Christi 179. cap. 53. ait Irenæum a martyribus Romam missum esse ad Eleutherum papam. Idemque scribit Hieronymus in catalogo. Verum ego non dubito, quin Irenæus Romam directus fuerit ab omni clero Lugdunensis ecclesiæ. Proficiscentem vero martyres commendarunt Eleuthero. Adstipulatur nobis etiam Feuardentius, qui in vita b. Irenæi quam operibus ejus præfixit, Irenæum a Pothino et reliquis martyribus Lugdunensibus adhuc in carcere constitutis, ad Eleutherum papam et in Asiam missum esse scribit. Certe has martyrum epistolas de quibus hic loquitur Eusebius, vivente adhuc Pothino scriptas fuisse pro certo habeo. Neque enim credibile est, post mortem Pothini episcopi, destituta suo pastore Lugdunensium ecclesia, confessores illos et martyres Christi Irenæum presbyterum tam procul amandasse, idque in ipso persecutionis ardore. Erat enim Irenæus præcipuum lumen et decus Lugdunensis ecclesiæ, quemadmodum ex epistola martyrum discimus, et quo uno maxime universa loci hujus ecclesia sustentabatur. Quare non possum assentiri Baronio nec Feuardentio, quorum hic quidem asserit Irenæum Romam ad Eleutherum papam, atque inde in Asiam ac Phrygiam literas martyrum pertulisse, Baronius vero sola ad Eleutherum papam legatione perfunctum esse contendit. Rogatus quidem fuerat Irenæus a martyribus et ab omni clero Lugdunensis ecclesiæ, ut literas ipsorum ad Eleutherum deferret, idque ipse se facturum promiserat, ut testatur epistola martyrum hic ab Eusebio relata. Verum cum Pothini mors subsecuta esset, Irenæus id præstare non potuit. Auctorem hujus sententiæ ac subscriptorem habeo Eusebium ipsum. Is enim scribit, statim post Pothini necem Irenæum in ejus locum subrogatum fuisse. Verba Eusebii sunt: Ποθεινοῦ δὲ σὺν τοῖς ἐπὶ Γαλλίας μαρτυρήσασι τελειωθέντος, Εἰρηναῖος τῆς ἐν Λουγδούνῳ, ἧς ὁ Ποθεινὸς ἡγεῖτο παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται. Quare non potuit Irenæus martyrum literas ad Eleutherum perferre post obitum Pothini. Tunc enim Irenæus erat episcopus, cum martyres in suis illis ad Eleutherum

literis quas Irenæo tradiderant, illum duntaxat presbyterum appellent. Dicet hic aliquis Irenæum ante mortem Pothini eas literas pertulisse. Verum Eusebius hanc opinionem prorsus refellit. Nam in fine superioris capitis diserte testatur, Lugdunenses epistolæ suæ, quam ad ecclesias Asiæ et Phrygiæ de martyrum suorum glorioso certamine conscripserant, subjecisse alias epistolas, quas iidem martyres adhuc in carcere constituti, partim ad ecclesias Asiæ et Phrygiæ, partim ad Eleutherum papam exaraverant. Has autem Lugdunensium literas finita demum persecutione scriptas fuisse, certissimum est. Contra vero martyrum literæ, ad Eleutherum papam et ad Asianos, in ipso persecutionis æstu, et in carceris claustris exaratæ sunt, et testatur Eusebius. Quas Lugdunenses cum aliquanto temporis spatio retinuissent, opportunum videlicet tempus ad eam legationem opperientes, tandem sedata persecutione et pace ecclesiæ suæ restituta, ad Eleutherum papam et ad Asianos adjuncta epistola sua direxerunt. Ex quo apparet, diu post mortem Pothini illas martyrum epistolas Romam atque in Asiam perlatas fuisse. VALES. Hanc Valesii disputationem non esse omni dubitatione majorem, recte judicat du Pin in Irenæo cit. Read., qui fieri potuisse dicit, ut Irenæus initio persecutionis Romam missus sit, atque inde Pothino adhuc vivo redierit. Quocum non pugnant, sed conveniunt verba Hieronymi in catal. script. eccl.: *Irenæus, Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat ecclesiam, presbyter a martyribus ejusdem loci, ob quasdam ecclesiæ quæstiones, legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherium perfert literas. Postea, jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur.* HEIN.

Ib. πάτερ Ἐλευθέριε] Codex Reg. Maz. et Fuk. habent Ἐλεύθερε, quibus consentit Nicephorus et Rufinus. Sunt tamen qui hunc pontificem Romanum Eleutherium nominant, inter quos est Nicephorus patriarcha CP. in Chronographia tripertita, quam Anastasius bibliothecarius Latine vertit, et Georgius Syncellus, et vetus interpres Irenæi in lib. iii. contra hæreses. VALES.

4, 4. ἐπ' Ἀντωνίνου] Stroth. ad h. l. commentatur hæc:

"*Per Antoninum intelligendus est h. l. L. Verus, sed Eusebium errasse, sive has res præpostere, nec ordine quo debuerit, narrasse omnia clamant. Ipse quoque in chronico persecutionem illam Lugdunensem ad annum Aurelii VII. hoc loco vero ad ejusdem annum XVII. refert. Certe et eam quæ sequitur jam Cap. V. historiam in Chronico ad annum XIV. M. Aurelii refert.*" Cf. Ejusd. *deutsche Uebersetzung*, t. i. p. 337, sq. not. 5. Accedit Blondellus. Cum vero Eleutherus in epistola martyrum commemoretur, conjicit Strothius, illud nomen esse infersum. Cf. Anacr. Od. ix. 31. HEIN.

5, 1. Τούτου δὴ ἀδελφὸν Μάρκον Αὐρήλιον] Graviter hic fallitur Eusebius, qui M. Aurelium fratrem fuisse ait imp. Antonini, cum tamen unus idemque fuerit M. Aurelius Antoninus. Hujus autem adoptivus frater, non Marcus, sed Lucius Ælius Verus dictus est, ut cuncti sciunt. Verum is qui contra Germanos et Sarmatas pugnavit, et cui pugnanti repentinum imbrem ad sedandam militum sitim Deus indulsit, non est Lucius Ælius Verus, sed M. Aurelius Antoninus, ut omnes historici testantur, et ipse Eusebius in chronico, qui id factum refert anno 14. Antonini, id est, quatuor aut quinque annis post obitum L. Ælii Veri. VALES.

Ib. τοὺς ἐπὶ τῆς Μελιτίνης] Xiphilinus τοὺς ἀπὸ Μελιτινῆς habet, quasi Melitina nomen fuerit non legionis ipsius ut vult Eusebius, sed potius regionis ex qua primum conscripti fuerant milites. Est autem Melitina regio Cappadociæ, inter Commagenem et Cataoniam sita, teste Strabone in lib. xii. qui eam nullas habuisse urbes dicit. Postea tamen Melitina urbs exstitit satis nobilis, quæ nova provinciarum divisione facta, minori Armeniæ attributa est, ut docet Amm. Marcellinus, qui quidem eam semper Melitinam nominat. VALES. Ad verba, quæ statim post sequuntur γόνυ θέντας——ἔθος cf. ii. 23. *Augusti Denkwürdigkeiten*, t. v. p. 395. sq. HEIN.

5, 3. οὐ μὴν καὶ ταῖς τῶν ἡμετέρων εὐχαῖς] Gentiles scriptores qui hujus rei meminerunt, alii quidem, magorum incantationibus pluviam impetratam esse dixerunt, alii vero precibus imp. Marci. Ita Capitolinus in Marco, et Claudianus in 6. consulatu Honorii. Quin etiam precationis ipsius verba referunt, quibus usus est Marcus. Hanc, inquit, dextram ad te

Jupiter tendo, quæ nullius unquam sanguinem fudit. Themistius in oratione nondum edita ad imperatorem Theodosium, quæ inscribitur: *τίς ἡ βασιλικωτάτη τῶν ἀρετῶν, Ἀντωνίνῳ τῷ Ῥωμαίων αὐτοκράτορι, ᾧ τοῦτο αὐτὸ ἐπώνυμον ὁ Εὐσεβὴς ἦν, τοῦ στρατεύματος ὑπὸ δίψους αὐτῷ πιεζομένου, ἀνασχὼν τὼ χεῖρε ὁ βασιλεὺς πρὸς τὸν οὐρανόν· ταύτῃ, ἔφη, τῇ χειρὶ προὐτρεψάμην σε καὶ ἱκέτευσα τὸν ζωῆς δοτῆρα, ᾗ ζωὴν οὐκ ἀφειλόμην. Καὶ οὕτω κατῄδεσε τὸν θεὸν τῇ εὐχῇ, ὥστε ἐξ αἰθρίας ἦλθον νεφέλαι ὑδροφοροῦσαι τοῖς στρατιώταις.* Addit Themistius vidisse se pictam in tabula hujus rei imaginem, imperatorem quidem in acie deos precantem, milites vero galeis imbrem excipientes, et aquam cælitus missam bibentes. VALES.

5, 4. Κεραυνοβόλον.] Jam dudum monuit Scaliger in animadversionibus Eusebianis, legionem fulminatricem ab hoc miraculo cognominatam non fuisse, quippe quæ diu ante tempora M. Antonini ita vocata fuerit. Docet id manifeste Dio Cassius in libro lv. ubi legiones omnes enumerat. Vetus quoque inscriptio a Scaligero prolata, id ipsum confirmat. Quamobrem de ipso quidem miraculo pluviæ a Christianis militibus impetratæ, et Apollinari et Tertulliano testantibus facile credimus, legionem vero Melitinam ob id fulminatricem esse dictam a M. Antonino imp., nondum mihi persuasit Apollinaris. Dicet forte aliquis, fulminatricem quidem legionem fuisse ante tempora M. Antonini, sed Marcum ob acceptum a Melitina legione beneficium, ei quoque fulminatricis cognomen indidisse. Verum si ita esset, secunda fulminatrix dici debuerat. Dio tamen nullam ejus mentionem facit, quamvis omnes legiones a superioribus principibus conscriptas accurate recenseat. Sed et fulminatricem illam in Cappadocia sedes habuisse dicit, quod Melitinæ legioni apte convenit. In notitia Imperii Romani, sub dispositione ducis Armeniæ recensetur præfectura legionis 12. fulmineæ Melitinæ, id est, apud oppidum Melitinam constitutæ. Ex quo colligitur Melitinam nomen legionis non fuisse, sed oppidi, in quo legio 12. fulminea consistebat. Legiones vero a locis in quibus præsidium agebant, denominare moris non fuit, sed a regionibus in quibus erant conscriptæ. Itaque quod de legione Melitina tradit Eusebius, parum mihi probabile videtur. Adde quod

Rufinus hoc legionis nomen consulto, ut arbitror, prætermisit, quippe qui nosset, Melitinam nomen esse oppidi minoris Armeniæ in quo legio 12. fulminea adhuc sua ætate prætenderet. Recte etiam idem Rufinus κεραυνοβόλον *fulmineam* vertit, non *fulminatricem*, ut Onuphrius et Scaliger aliique appellant. Quos refellit notitia imperii in loco quem superius adduxi. Ceterum ut ingenue dicam quod sentio, parum mihi probabile videtur, totam legionem militum Romanorum eo tempore Christianam fuisse, quod tamen affirmare videtur Eusebius. Qui et in eo peccat, quod Apollinaris locum non protulit, nec librum ipsum, in quo hæc Apollinaris scripserat, indicavit. Sed et verba quibus totam hanc narrationem concludit, satis indicant ipsum de veritate rei dubitasse. Sic enim ait: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπη τις ἐθέλει, τιθέσθω. Id est: sed de his quisque pro arbitrio suo judicet. VALES. Præter scriptores quos laudat Moshem. *de rebus Christ. a. C. M.* p. 249, quem de tota hac re maxime conferas, vid. Frickius *Diss. hist. de legione fulminatrice*, Lips. 1696. 4. recus. in Ejusd. *Melett. var.* p. 539. sqq. et Baumgarten. *Examen mirac. leg. fulm. contra Woolstonum*, Hal. 1740. 4. quos commemoravit Danz. *de Eus.* p. 134. cf. Schröckh. *christl. K. G.* t. iii. p. 151. Reuterdahl. *de fontt.* p. 47. Neander. *Denkwürdigkk.* tom. i. p. 378. Memorabile illud est, quod de hoc miraculo dicit Eusebius, his verbis: τοῖς μὲν ἔξωθεν——παραδέδοται. Quamquam ipse se quasi corrigit illis: λόγος ἔχει et ἀλλὰ ταῦτα—τιθέσθω. Sed recte vituperat Eusebium Möllerus *de fide Eus.* p. 114. sq. Præterea cf. Dio Cassius in excerpt. Xiphilini 71. 8. Suidas s. v. Ἰουλιανός. Capitol. in Marc. Aurel. c. 24. Similes narrationes leguntur apud Curt. iv. 7. 13. Oros. hist. v. 15. Dio Cass. lx. 9. Alludere ad illam narrationem Cyprian. in tractatu ad Demetriadem, p. 193. ed. Oxon. cum ait Christianos *pro arcendis hostibus et imbribus impetrandis* preces fundere, monuit Lowth. Præterea Pagi ad a. C. 174. testatur, exstare nummum argenteum in gaza regia, inscriptum: M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXVIII. Videri ibi caput Antonini laureatum. In postica esse: RELIG. AUG. IMP. VI. COSS. III. id est, *Religio Augusti*. Mercurium cerni stantem, qui dextra pateram et sinistra caduceum teneat. Tribunitiam pot. 28. cur-

renti anno iniisse M. Aurelium. Quare cum Xiphilinus scribat, Dionem dicere, Marcum hanc pluviam Mercurio, cujus cultus esset studiosus, attribuisse, esse illum nummum testem fidei Dionis, assentiente Andrea Morellio. Hoc excerpsit Read. HEIN.

Ib. τῇ Ῥωμαϊκῇ συγκλήτῳ προσφωνήσας] Quamquam apologeticus Tertulliani proprie non senatui Romano, sed præsidibus provinciarum, cunctisque magistratibus imperii Romani est nuncupatus. Qui quoniam e senatu ut plurimum eligebantur, ideo dici potest, Apologeticum illum senatui Romano dicatum esse. VALES.

5, 5. Μάρκου—ἐπιστολάς] Ævo seriori tribuendam esse ut M. Aurelii exstantem in apolog. Justini M. et scriptis M. Aur., epistolam docuit Scaliger. cf. Tert. Apol. v. Euseb. in Chron. ad annum Marci xiii. Oros. vii. 15. Xiphil. Hist. Dion. Cass. lib. 71. HEIN.

5, 6. καὶ θάνατον ἀπειλῆσαι. Verba Tertulliani sunt hæc in apologetici cap. 5. *Qui sicut non palam ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione et tetriore.*[h] In edicto M. Aurelii quod supra retulit Eusebius, lib. iv. cap. 13. pœna accusatoribus Christianorum proponitur his verbis: ὁ δὲ καταφέρων ἔνοχος ἔσται δίκης. Id est, delator vero pœnæ subjaceat. Ubi notandum est, imperatorem pœnæ genus non definiisse, sed eam judicantis arbitrio permisisse, ut habita ratione dignitatis ejus qui delatus fuisset, et ejus qui reum detulisset, accusator a judice puniretur. Ejusdem legis meminit Eusebius infra cap. 21. hujus libri ubi de Apollonio. VALES.

Ib. Οἷς——ἀσεβεῖς] Ita scribendum puto. Sic enim ait Tertullianus: *Quales ergo leges istæ, quas adversus nos soli exercent impii.* In codice Med. Fuk. et Saviliano scribitur: οἳ καθ' ἡμῶν μόνων ἔσονται ἀσεβεῖς. Quæ lectio et a verbis et a sensu Tertulliani longius recedit. VALES.

h Ante hæc verba leguntur apud Tertullianum: *At nos e contrario edimus protectorem, si litteræ M. Aurelii, gravissimi imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.* Deinde scribit Tertull.: *Quales ergo leges istæ, quas adversus nos soli exercent impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes? Quas Trajanus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus quanquam curiositatum omnium explorator, nullus Vespasianus, quanquam Judæorum debellator, nullus Pius, nullus Verus impressit.* HEIN.

5, 7. Εἰρηναῖος τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας] Baronius quidem anno Christi 180. electionem Irenæi collocavit. Nam post mortem Pothini quæ contigit anno Christi 179. cessavisse ait episcopatum Lugduni, donec persecutionis furor deferbuisset, et Irenæus qui Romam a Pothino et a Lugdunensi ecclesia missus fuerat, domum reversus esset. Sed nos supra non infirmis rationibus demonstravimus, Irenæum legationem illam non obiisse. Itaque nihil jam vetat, quominus Irenæi ordinatio, in eundem annum quo Pothinus est mortuus, conferatur. VALES.

5, 8. Οὗτος—ὧδε ut male cohæreant cum præcedentibus et consequentibus, ita non alienum esse a more Eusebii hoc modo quædam inserere, monet ad h. l. Strothius. HEIN.

6, 2. Ἱκανωτάτην Val. vertit: *luculentissimam*. Convenit potius verbum ἱκανὸς nostro: *tüchtig*, Latinorum *probus*, *justus*, *cui nihil deest*. Melius igitur vertit Stroth. *einen sehr gründlichen Brief* eodem modo quo supra iv. 30. ubi cf. (pag. 310.) Similiter Clemens Alexandrinus apud Euseb. H. E. iii. 23. ἱκανὸν τῷ σώματι dicit quod Stroth. vertit: *von starker Leibes-Constitution*. Cf. iii. 24. ἱκανώτατος νοήμασιν. Passow. s. v. HEIN.

7, 1. Ὑπογράψας ἱστορίαις] Hujus verbi vim ac proprietatem non satis expresserunt interpretes. Musculus enim vertit *subjecit*, quod est ineptissimum. Christophorsonus pro simplici verbo accepit. Verum ὑπογράφειν aliquid amplius significat, nempe *delineare* et *adumbrare*, metaphora ducta a pictoribus. Possis etiam interpretari *subscribere*, quod idem est ac *consentire* et *suffragari*. VALES.

Ib. ἐλέγχου ita intelligendum est, ut idem sit ac τὰ τοῦ ἐλέγχου κ. λ. neque subaudiendum περί. Vid Herm. *ad Vig.* p. 880. Buttmann. *ad Soph. Philoct.* v. 439. Matthiæ *ausf. Gramm.* p. 650. cf. Xen. Cyr. vi. 3. 10. ὧν νῦν λόγος ἐστί. Thucyd. i. 61. Plat. Apol. 14. init. ubi jam Fischerus τούτου recte defendit. Soph. Aj. v. 998. Pind. Pyth. vii. 8. Eodem modo infra πολλῶν ἀκούομεν κ. λ. Hinc male Valesium ad iii. 28. (pag. 181.) ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν ἐπαγγελιῶν scribi voluisse puto, quamvis sane paulo insolentius ibi locutus sit Eusebius. cf. Marc. i. 28. Luc. iv. 37. Hebr. vi. 2. βαπτισμῶν διδαχῆς ubi male nonnulli comma ponere voluerunt inter βαπ. et διδαχῆς.

Ad verba τῆς ψευδωνύμου γνώσεως cf. i. 1. (pag. 4.) iii. 32. *Moshem. dissert. de caussis suppositorum librorum inter Christianos sæculi primi et secundi* in Ejusd. *dissertt. ad hist. eccl. pertt.* vol. i. p. 244. sq. §. xi. "*Quare Gnosticorum appellationem——hi homines nacti sint, evidens est, de quo vocabulo alioquin multa viri docti confuse disputarunt. Ideo nimirum hoc nomen acceperunt, quoniam præter γνῶσιν seu cognitionem Dei illius, qui cunctis diis et geniis longe superior esset, nihil ad salutem impetrandam requiri, statuebant.*" Cf. Ittig. *de hæresiarchis*, p. 164. sqq. 1 Timoth. vi. 20. Clemens Alex. Strom. vi. p. 645. γνῶσις παρὰ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ παραδοθεῖσα. Lactant. Institt. div. iii. 16. 10. *philosophiam* tollimus, quia humanæ cogitationis inventio est, *sophiam* defendimus, quia divina traditio est. HEIN.

Ib. λέγων] Iren. adv. hær. ii. 57. Ad rem vid. quæ monui supra ad iii. 37. (pag. 198.) cf. v. 3. ext. πλεῖσται——παρεῖχον. HEIN.

7, 4. τοὺς καθαρισθέντας] Verbum καθαρίζεσθαι eodem sensu usurpat Athanasius in vita Antonii: καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸν Χριστὸν ἀπῆλθεν, ἔχων τὴν θυγατέρα καθαρισθεῖσαν ἀπὸ τοῦ δαίμονος. Et paulo post: πιστεύοντες καὶ εὐχόμενοι γνησίως, ἐκαθαρίζοντο. Sic apud Gregor. Nyss. libro de vita sanctæ Macrinæ sub finem: δαιμονώντων καθάρσεις. Sic etiam Latini purgari dicebant eos, qui immundis spiritibus liberabantur. Hieronymus in vita b. Hilarionis: *Noluit autem Sanctus antequam purgaret virginem, signa jubere perquiri.* Et iterum: *Nec multo post purgatus est puer, patre fidem dante, et ceteris qui aderant.*[1] Ambrosius in lib. vii. epistolarum, epist. 2. Paulinus in vita Ambrosii. Occurrit ea vox et in can. 14. concilii Arausicani. Severus in dialogo primo de vita Martini, cap. 14. *Quinto demum mense purgatus est non solum dæmone, sed quod illi erat utilius et optatius, vanitate.* Sed et in lib. i. de vita Martini, titulus capitis 17. in MS. codice hic est: *Ubi dæmoniaco furenti digitos in os intulit, et confestim purgavit.* Eucherius in passione sancti Mauricii: *Hæc duo*, inquit, *miracula passioni martyrum inserenda. Ceterum satis multa sunt, quæ vel in purgatione dæmonum, vel in restauratione claudorum*, etc. Ita legitur in vetustissimo codice

[1] Cf. Lactant. Institt. div. ii. 14. 15. 16. Euseb. H. E. iv. 7. (pag. 218.) HEIN.

Mosciacensi, non ut Surius edidit: *expugnatione dæmonum.* VALES.

7, 6. ἐν ἑτέρῳ δὲ τόπῳ] Iren. v. 3. HEIN.

Ib. προφητικὰ χαρίσματα] Vid. (Elend) *de prophetis ecclesiæ apostolicæ dissertatio* in Moshem. *dissertt. ad hist. eccles. pertt.* vol. i. p. 206. sqq. § xvii. "*Restat, ut, quemadmodum stricte sic dictæ Prophetiæ notionem, ita et generalem antiquioris ecclesiæ doctoribus usitatam fuisse testimoniis eorum nonnullis comprobemus.*" Koppe *Excurs. iii. in Epist. ad Ephes.* p. 151. sq. cf. Ephes. ii. 20. iii. 5. iv. 11. 1 Cor. xii. 3. 10. 29. xiii. 2. 8. 9. xiv. 1—7. 25. 26. 30. 31. 34. quo versu caute scripsit Paulus λαλεῖν, ne repugnaret locus xi. 1. Teller. *Wörterbuch des N. T.* s. v. *Prophet* et p. 316. sq. ed. iii. *The words adduced here have generally been connected with the idea of an especial, extraordinary communication of the wisdom or power of God, or of both together, unto men, and for the performance of a specific object. From this therefore we may best understand different degrees of the power of prediction, different orders of the Prophets, and the numerous collateral significations of these words.* Cf. quæ observavi ad Euseb. H. E. iii. 37. (pag. 198.) HEIN.

8, 1. Οὕτως ἐχούσας] Iren. iii. 1. HEIN.

8, 2. τοῦ Πέτρου—εὐαγγελ.] Cf. supra ii. 15. iii. 39. HEIN.

Ib. Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον] Nescio qua ratione Christophorsonus hunc Irenæi locum interpolarit, et pro vulgata lectione, quam omnium codicum consensus, et Rufini auctoritas vetusque interpres Irenæi confirmant, hanc maluerit substituere μετὰ δὲ τοῦτον τὴν ἔκδοσιν. An fortasse timuit, ne hæc Irenæi ratio parum consentiret cum illis, quæ supra retulit Eusebius in libro ii. ex Papia et Clemente Alexandrino, qui evangelium Marci vivente adhuc Petro, Romæ editum esse et ab eodem confirmatum tradiderunt? Quibus plane refragatur Irenæus hoc loco, dum evangelium Marci post interitum Pauli ac Petri scriptum esse affirmat. Sed quid mirum, si hac in re antiqui patres inter se dissentiunt, cum de sacrorum evangeliorum scriptione nihil fere certi habeamus, nisi quatuor tantum esse, et a quatuor auctoribus scripta? Quo autem tempore, et quam ob causam scripta sint, et an Matthæi evangelium Hebraico primum sermone fuerit exaratum, parum

constat. VALES. Oratio liberalis et ingenua a Catholicis profecto non sæpe audita. Temere Grabius ad l. l. Irenæi ἔξοδον interpretatur de excessu apostolorum ex Roma, non de excessu e vita. vid. Hug. *Einleitung ins N. T.* t. ii. p. 65. sq. 2 Petr. i. 14. 15. Luc. ix. 31. Euseb. H. E. iv. 14. Suicer. *Thes.* t. i. p. 1142. s. v. ἔξοδος. Loesner. *Observv. Phil.* p. 486. Joseph. Archæol. iv. 8. 2. ἐπ' ἐξόδου τοῦ ζῆν. cf. Valer. Max. iii. 2. 4. Tui clarissimi *excessus*, Cato! Utica monumentum est. Lactant. Institt. div. ii. 4. 36. 37. ante suam *mortem* crudelissimam *exitum*—audivit. Locum Irenæi interpolatum legi quoque in Catena P. P. a Possevino edita, ad evang. Marci, observavit Stroth. ad h. l. HEIN.

8, 7. μονονουχὶ φάσκων] Locus Irenæi exstat in libro iv. contra hæreses cap. 37. sed paulo aliter conceptus. Nec enim Irenæus Salomonis locum nominatim citat ex capite 6. Sapientiæ, sed tantum ad eum alludit. Quare Eusebius non sine causa addidit μονονουχὶ, id est, tantum non ita dicens. Ceterum præter Irenæum etiam Hegesippus utitur testimoniis ex libro Sapientiæ Salomonis, ut videre est in cap. 23. lib. ii. ubi martyrium Jacobi refertur ex Hegesippo.[k] Neuter tamen, nec Hegesippus nec Irenæus, librum illum vocat Sapientiam Salomonis. Quippe veteres omnes ecclesiastici scriptores, Sapientiam Salomonis appellant librum illum qui hodie Proverbia inscribitur. Liber autem ille qui titulum Sapientiæ Salomonis hodie præfert, ψευδεπίγραφος est teste Hieronymo, quamvis Eusebii ætate ita appellaretur, ut ex hoc loco discimus, et ex capite 26. infra, ubi Eusebius ait, Irenæum in dialogis proferre testimonia ex libro qui dicitur Sapientia Salomonis. VALES. Cf. Euseb. H. E. iv. 22. (pag. 290.) HEIN.

Ib. ἀπομνημονευμάτων] In hujus vocis interpretatione ambo lapsi interpretes. Nam Musculus quidem *commentarios* vertit, Christophorsonus autem *libros*, neuter bene. Atqui Rufinus recte ipsis præiverat, et quasi facem accenderat ita vertens: *Sed et apostolici cujusdam viri sermonum quasi memoriter meminit.* Ἀπομνημονεύματα sunt dicta sapientum quæ memoria repetuntur. Sic Xenophon libros scripsit τῶν Σωκράτους ἀπο-

[k] Contendere l. l. Valesium potius adversus Scaligerum, locum ex capite Jesaiæ tertio laudari, monuit Lowth. teste Readingo in Corrigendis. HEIN.

μνημονευμάτων, id est, dictorum Socratis quæ memoria recolebat. Si quis in eo loco Socratis libros interpretaretur, erraret procul dubio, cum Socrates nullos libros scripserit, ut satis constat. Eo sensu *ἀπομνημονεύειν* sumit Papias apud Eusebium supra, in fine libri tertii. VALES. Cf. vi. 25. Valcken. *Annott. ad Xenoph. Mem.* p. 238. ed. Ernest. HEIN.

Ib. *μνημονεύει*] Iren. iv. 5. HEIN.

8, 8. *Ἐπήγγελται*] Iren. ii. 23. HEIN.

Ib. *γράφει*] Ibid. iii. 24. HEIN.

8, 9. *ὡς Θεοδοτίων*] Ex scriptoribus qui Theodotionis mentionem fecere, nullus exstat antiquior Irenæo. Quare videndum est, an ex eo Theodotionis ætas elici possit. Epiphanius in libro de ponderibus, auctor est Theodotionem sub Commodo floruisse, et interpretationem suam edidisse. Epiphanii sententiam secutus est auctor chronici Alexandrini, qui anno sexto imperatoris Commodi Theodotionem opus suum edidisse prodit. Mihi tamen videtur paulo antiquior esse Theodotio. Nam cum Irenæus eum nominet in libris contra hæreses, quos quidem libros ab Irenæo scriptos esse constat pontificatu Eleutheri (id enim ipse testatur in libro iii. illius operis), prorsus necesse est, ut Theodotionem ante pontificatum Eleutheri floruisse dicamus. Ceterum in codice Mazarino vox *νεᾶνις* circumflectitur. VALES. De Theodotione cf. Cave *hist.* t. i. p. 48. Dodwell. *dissert. in Iren.* §. 39. de Aquila Cave l. l. p. 32. laudante Readingo ad h. l. Præterea vid. Epiphan. de mensur. et pond. p. 170—172. ed. Petav. HEIN.

8, 10. *Πτολεμαῖος ὁ Λάγου*] Sacrorum librorum Græcam interpretationem, sub Ptolemæo Lagi filio factam fuisse, nonnulli ex veteribus prodiderunt, ut testatur Clemens Alexandrinus in libro i. Stromatei, et Anatolius in computo paschali, et Theodoretus in præfatione Commentariorum in psalmos. Alii sub Ptolemæo Philadelpho id factum esse memorant. Quæ quidem opinio, cum plurium scriptorum auctoritate firmetur, tandem prævaluit. Anatolius interpretationem illam septuaginta seniorum, tam sub Ptolemæo Lagi filio, quam sub ejus successore Philadelpho factam esse confirmat. Quod certe mihi videtur admodum probabile. Nam cum Aristobulus, Josephus ac Tertullianus diserte scribant, Demetrium

Phalereum auctorem hujus rei fuisse Ptolemæo, constetque eundem Demetrium Phalereum in summa gratia et auctoritate fuisse apud Ptolemæum Lagi filium, et paulo post ejus interitum e vita migrasse, omnino necesse est ut interpretationem illam, si quidem curante Demetrio facta est, sub Ptolemæo Lagi filio inchoatam fuisse dicamus. Cumque Philadelphus biennio circiter una cum patre regnaverit, adscitus ab eo in consortium regni, ideo fortasse interpretatio illa sub utroque principe facta esse memoratur. Hæc cum scripsissem, postea comperi D. Petavium eadem fere sensisse in animadversionibus ad Epiphanium. VALES.

Ib. *μεταβεβλημένας τὰς γραφάς*] Sic etiam Clemens Alexandrinus ait libros omnes, tam legis quam prophetarum, a 70. senioribus in Græcum sermonem conversos fuisse, cui subscribit Theodoretus in loco supra citato, et Olympiodorus in Commentariis ad librum Job, et reliqui fere omnes. Aristobulus tamen et Josephus, ambo Judæi scriptores, legem duntaxat ab illis Græce interpretatam fuisse innuunt. Aristobuli quidem hæc verba sunt apud Eusebium in lib. xiii. præparationis: *ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου*, etc. Josephus vero in prooemio librorum de antiquitate Judaica ita scribit: *εὗρον τοίνυν ὅτι Πτολεμαῖος μὲν ὁ δεύτερος βασιλεὺς περὶ παιδείαν καὶ βίβλων συναγωγὴν σπουδάσας, ἐξαιρέτως ἐφιλοτιμήθη τὸν ἡμέτερον νόμον καὶ τὴν κατ' αὐτὸν διάταξιν τῆς πολιτείας εἰς τὴν Ἑλλάδα μεταβαλεῖν.* Et paulo post id ipsum declarat apertius his verbis: *οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφὴν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν πρὸς τὴν Ἀλεξάνδρειαν.* Idem scribit in lib. xii. antiquitatum cap. 2. et in lib. ii. contra Apionem non procul ab initio. Sed responderi potest, Judæos legis nomine prophetas interdum comprehendere, ut notat Drusius in cap. 11. responsionis ad Minerval Serarii. Cui explicationi favere videtur Josephus in lib. ii. contra Apionem, ita scribens de Ptolemæo Philadelpho: *ἐπιθυμητὴς ἐγένετο τοῦ γνῶναι τοὺς ἡμετέρους νόμους, καὶ ταῖς τῶν ἱερῶν γραφῶν βίβλοις ἐντυχεῖν. Ἔπεμψε γοῦν ἀξιῶν ἄνδρας ἀποσταλῆναι τοὺς ἑρμηνεύσοντας αὐτῷ τὸν νόμον.* Vide præfationem Masii in Græcam editionem Josuæ. VALES.

8, 11. χωρίσας αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων] Justinus quidem 70. seniores singulos seorsum in singulis cellis a Ptolemæo collocatos esse scribit. Epiphanius vero in libro de ponderibus et mensuris ait binos in singulis cellis constitutos fuisse. Sed Irenæi verba propius ad Justini narrationem accedere videntur. Alii totam hanc de septuaginta cellis narrationem irrident, quarum nec apud Josephum et Aristeam, nec apud Philonem ulla fit mentio. VALES.

8, 12. ἀναγορευσάντων] *Recitare* vertit vetus interpres Irenæi. Aristeas tamen et Josephus non ipsos 70. seniores, sed Demetrium Phalereum interpretationem illam pro concione recitasse scribunt. Verum liber ille Aristeæ, a Judæo quodam Alexandrino confictus est, ut recte observavit Scaliger in animadversionibus Eusebianis. Certe epistola Demetrii Phalerei ad Ptolemæum Philadelphum falsitatem suam satis prodit. In ea quippe laudatur Hecatæus Abderites, ejusque testimonium tanquam vetusti scriptoris adducitur, cum tamen constet eum Demetrio Phalereo haudquaquam antiquiorem esse. Vixit enim Hecatæus ille sub Alexandri Magni successoribus, ut testatur Suidas aliique. Josephus quidem in libro primo contra Apionem, ait Hecatæum Abderitam cum Ptolemæo Lagi filio familiariter esse versatum. Æquales igitur fuerunt Hecatæus, et Demetrius Phalereus. Adde quod epistola illa Demetrii Phalerei quam adducit Aristeas, plane insulsa est et barbaris vocibus plena, cum tamen constet Demetrium, utpote Atheniensem, eloquentissimum fuisse. Quid quod idem Aristeas heptastadii meminit, quod tamen post Philadelphi tempora a regibus Ægypti ædificatum est, ut notavi in Commentariis ad Amm. Marcellinum. VALES.

8, 14. Ἔσδρᾳ] Hanc sententiam constat plures patres fuisse amplexos. vid. Tertull. de habit. mulier. iii. Clem. Al. Strom. i. Hieronym. adv. Helvid., Isidor. Etymol. iv. De Aristea et origine interpretationis LXX. interpp. vid. Hodei *dissert. contra historiam Aristeæ* LXX. *interpp.*, Londin. 1685. 8. aucta in Ejusd. *de textibus bibliorum originall. eorumque versionibus*, Oxon. 1705. Fol. Eichhorn. in: *Repertorium für bibl. und morgenländische Literatur*, tom. i. HEIN.

9, 1. Ἐννέα—ἔτεσι] vid. Pagi *Crit.* ad a C. 180. HEIN.

Ib. Ἀγριππίνου] vid. Dodwell. *additam. ad Pearson. de prim. Rom. ep. succ.* p. 62. cit. Readingo. HEIN.

10, 1. Διδασκαλείου—συνεστῶτος] Vid. I. A. Flessa *de seminariis theolog. priscæ eccl. Christ.*, Alton. 1745. 4. p. 23. sqq. Hilscher. *de schola Alexand.* Lips. 1776. 4. Dietelmaier. *progr. de vett. in schola Alex. doctorum serie,* Weickmann. *de schola Origenis sacra,* Vitemb. 1744. 4. Feuerlin. *progr. de ratione docendi theologiam in schola Alex.*, Gotting. 1756. 4. quos laudat Danz. p. 142. sq. Præterea vid. I. G. Michaelis de scholæ Alexandrinæ sic dictæ catecheticæ origine, progressu ac præcipuis doctoribus in *Symboll. litt.* t. iii. p. i. cf. Euseb. vi. 3. 26. τὸ τῆς κατηχήσεως διδασκαλεῖον Sozom. H. E. iii. 15. τὸ ἱερὸν διδασκαλεῖον τῶν ἱερῶν μαθημάτων. Hieronym. catal. c. 38. *schola ecclesiastica.* HEIN.

Ib. ὃ καὶ εἰς ἡμᾶς παρατείνεται] Non dubito quin Eusebius scripserit: ὃ καὶ εἰς ἡμᾶς παρατεῖναί τε καὶ πρὸς τῶν ἐν λόγῳ καὶ τῇ περὶ τὰ θεῖα σπουδῇ δυνατῶν συγκροτεῖσθαι, παρειλήφαμεν. VALES.

10, 2. ἀπὸ—Στωϊκῶν] Pythagoræum fuisse potius Pantænum, testatur Sidetas loco mox laudando. Sed hæc nonnisi ita intelligi posse, ut in aliis rebus Stoicam, in aliis Pythagoræam disciplinam Pantænus maxime secutus credatur, et ut Christianus ita Eclecticus philosophus fuisse censeatur, recte monuit Moshem. *dissertt. ad hist. eccl. pertt.* vol. i. p. 95. cf. Godofred. Olearius *dissert. de philosophia Eclectica,* p. 1217. HEIN.

Ib. εὐαγγελισταὶ τοῦ λόγου i. e. *doctores evangelii.* Neque enim h. l. εὐαγγελισταὶ ita dicti sunt, ut differant ab aliis doctoribus v. c. eo modo, quo Theodoretus ad Ephes. iv. 11. εὐαγγελιστὰς non singulis cœtibus adstrictos fuisse, διδασκάλους fuisse contendit. Imo ut Act. xxi. 8. 2 Tim. iv. 5. de doctore religionis Christianæ in universum vox illa h. l. dicta est. Hinc nollem retinuissent ipsum verbum in vertendo Valesius ac Strothius, ut nec Lutherus retinuit ad 2 Timoth. iv. 5. ubi bene vertit: *eines evangelischen Predigers;* contra Act. xxi. minus recte: *des Evangelisten.* Ceterum cf. Vitringa *de synagoga veteri* iii. 2. Mori *acroass. in epistoll. Pauli ad Galat. et*

Ephesios. pag. 233. Quanquam iii. 37. ita disjungere videtur ipse Eusebius *εὐαγγελιστὰς* et *ποιμένας* (vide ad finem cap. *ποιμένες ἢ καὶ εὐαγγελιστὰς*), ut illos dicat discipulos proximos apostolorum, doctrinæ evangelicæ propagationem ab illis inceptam docendo ubivis continuantes (vide ab initio capitis *οἳ καὶ ἅτε —— οἰκουμένην* et paulo post: *Ἔπειτα — Χριστὸν φιλοτιμούμενοι*) et libros sacros ubi nondum habebantur, dividendo *καὶ τὴν τῶν θείων—γραφὴν* quod vix verti potest cum Paulo *das Leben Jesu*, t. i. p. i. p. 70: "*Eben das, was wir jetzt in den Evangelien schriftlich haben, erst noch mündlich zu überliefern*, obstante tum usu loquendi, tum præcedentibus quibus idem fere significaretur), contra hos ab *εὐαγγελισταῖς* eo consilio constitutos proponat, ut curam recens conditorum cœtuum agerent. Vide verba. *Οὗτοι δὲ —— γεωργίαν*. Cf. v. 10. *ἔνθα λόγος εὑρεῖν αὐτὸν προφθάσαν τὴν αὐτοῦ παρουσίαν —— ἐπεγνωκόσιν*. Moshem. *institt. histor. Christ. major. sec. i.* p. 156. HEIN.

10, 3. *αὐτοῖς τε Ἑβραίων γράμμασι τὴν τοῦ Ματθαίου καταλεῖψαι γραφὴν*] Rufinus et Hieronymus in Catalogo ait Pantænum ab India redeuntem Alexandriam, evangelium illud Matthæi Hebraicis literis scriptum secum detulisse. Verum Eusebius id non dicit. Quod enim addit Eusebius: *ἣν καὶ σώζεσθαι εἰς τὸν δηλούμενον χρόνον*, hoc tantum sibi vult, exemplar illud Bartholomæi ad Pantæni usque adventum in Indiam, servatum fuisse. Ita Nicephorus in lib. iv. cap. 32. hæc Eusebii verba recte exposuit. Cui tamen non assentior in eo quod dicit, evangelium illud Matthæi quod apud Indos reperit Pantænus, a Bartholomæo ibi dictatum fuisse. Crediderim potius, codicem illum evangelii a Bartholomæo illuc e Judæa delatum fuisse.[1] Porro evangelium Matthæi Hebraico sermone scriptum, in Cæsariensi bibliotheca a Pamphilo martyre collecta servatum fuisse adhuc sua ætate, testatur Hieronymus in Catalogo. Vereor tamen, ne id potius fuerit evangelium secundum Hebræos, quo utebantur Nazaræi. Hoc enim Hebræorum evangelium, quidam Matthæi authen-

1 Vid. Fabric. *cod. apocryph. N. T.* t. i. p. 341. sq. Kleuker. *über die Apocryphen des N. T.* p. 82. sqq. cf. Niemeyer. *Charakteristik der Bibel*, t. i. p. 103. sqq. HEIN.

ticum esse existimarunt, licet falso, ut scribit idem Hieronymus in Commentariis in Matthæum. VALES. Ab Eusebio, qui Pantænum sua sponte ad populos Orientales profectum esse et in hoc itinere ad Indos quoque pervenisse scribit, dissentire videri possit Hieronymus qui in Catal. script. eccles. cap. 36. Epist. 83. Indorum potius a Demetrio Alexandriæ episcopo, religionis Christianæ doctorem petentium impulsu Pantænum a Demetrio illuc missum esse refert. Facili autem ratione utrumque inter se conciliavit Moshem. *Commentt.* p. 206. cf. p. 207. Cave *hist.* t. ii. p. 37. Du Pin. in Pantæno. Præterea notandum est, ex aliorum patrum sententia, ut Ambrosii, Hieronymi, Gregorii Naz., non tam Bartholomæum et post hunc Pantænum, sed potius Thomam religionem Christianam in India docuisse. vid. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archæologie*, tom. iii. p. 224. 234. sqq. cf. Euseb. iii. 1. Stark. *Geschichte der christlichen Kirche des ersten Jahrhunderts*, t. ii. p. 141. sqq. HEIN.

10, 4. ἐπὶ πολλοῖς κατορθώμασι] Non probo interpretationem Christophorsoni qui vertit: *propter multa recte facta.* Rectius Musculus interpretatus est hoc modo: *Hic igitur Pantænus postquam multa recte fecisset, Alexandrinæ scholæ præficitur.* VALES.

11, 1. Κατὰ τοῦτον] Non Clementem Pantæno, sed Pantænum Clementi successisse in moderanda schola Alexandrina, tradit Phil. Sideta in fragmento de Catechetis Alexandr., quod Dodwellus *dissertationibus in Irenæum* subjecit subjectumque illustravit p. 429. HEIN.

Ib. ἐν αἷς συνέταξεν ὑποτυπώσεσιν] *Dispositionum libros* vertit Rufinus et Hieronymus, quos deinde ceteri fere omnes secuti sunt. Ego tamen *institutiones* sive *informationes* malim vertere. Ita Sextus Empiricus libros Pyrrhoniarum hypotyposeon inscripsit, id est, institutionum Pyrrhonicæ sectæ: ὑποτύπωσις pro instructione seu institutione sumitur in Concilio Nicæno secundo, ubi patres de quibusdam sententiis sacræ scripturæ pronuntiant eas esse scriptas εἰς ἡμετέραν ὑποτύπωσιν. Recte ergo Rufinus in lib. vi. c. 11. hos Clementis ὑποτυπώσεων libros, Latine informationum dici posse scribit. Porro ii Clementis libri continebant brevem et compendia-

riam utriusque testamenti expositionem, ut testatur Photius in bibliotheca. Ob errores autem quibus scatebant, negligentius habiti, tandem perierunt. Nec alia meo quidem judicio causa est, cur Papiæ et Hegesippi aliorumque veterum libri interciderint. Excerpta tamen ex Theodoto quæ post *στρωματέας* leguntur, descripta videntur ex libris hypotyposeon, quod miror a nemine adhuc animadversum fuisse. Id autem colligitur, tum quod in illis Theodoti excerptis eadem traduntur de Christo, quæ Photius in libris hypotyposeon a se lecta esse testatur, tum quod auctor eorum excerptorum sub finem Pantænum magistrum suum appellat. Sic enim ait: *ὁ Πάνταινος δὲ ἡμῶν ἔλεγεν*, etc. Fuit autem Pantænus Clementis Alexandrini præceptor, ut scribit Eusebius, quem Clemens in illis hypotyposeon libris idemtidem laudabat, sicut Photius refert. Porro Theodoti excerpta laudat etiam Victorinus Petabionensis episcopus in Commentario ad Joannis Apocalypsim. VALES.

11, 3. *τῆς Κοίλης ἅτερος αὐτῶν Συρίας*] Ex duobus viris a Clemente memoratis, male interpretes hoc loco quatuor fecerunt. Duos enim sacrarum literarum doctores a se auditos hic memorat Clemens, alterum in Achaia, qui Ionicus dicebatur, alterum vero in Italia, et horum quidem alterum e Cœlesyria oriundum fuisse, alterum autem Ægyptium. Præter hos duos, alios quoque in Orientis partibus ab se auditos esse subjungit, alterum Assyrium genere, quem Tatianum esse suspicor, alterum Hebræum ex Palæstina, quem Theophilum esse Cæsariensem episcopum credidit Baronius ad annum Christi 185. Assyrium vero illum idem Baronius Bardesanem esse opinatur. Ego vero Hebræum illum ex Palæstina oriundum, potius Theodotum esse crediderim, idque ex eo conjicio, quod epitome hypotyposeon Clementis inscribitur: *ἐκ τῶν Θεοδότου ἀνατολικῆς διδασκαλίας*. Clemens enim ea quæ a magistris in Oriente didicerat, vocat *ἀνατολικὴν διδασκαλίαν*. Theophilum vero Cæsariensem hic a Clemente non designari, duo mihi argumenta persuadent. Primum, quod Theophilus æqualis fuit Clementis. Floruit enim temporibus Victoris papæ, ut ex Eusebio discimus. Deinde Theophilum hunc, Hebræum, aut quod idem est Judæum fuisse, nemo

veterum dixit. Jam vero quod spectat ad Bardesanem, neque hic a Clemente intelligi potest. Non enim Assyrius fuit Bardesanes, sed Osdroënus, oriundus Edessa, quæ caput est Osdroënæ. VALES.

Ib. θηράσας λεληθότα] Post hæc verba sequuntur quædam apud Clementem, quæ Eusebius omittere non debuerat. Ex his enim colligi videtur, Pantænum ex Sicilia oriundum fuisse. Annon id aperte innuunt Clementis hæc verba: Σικελικὴ τῷ ὄντι ἡ μέλιττα, etc.? Cum enim præcedentibus verbis Clemens Pantænum designet, ut testatur Eusebius, hæc quoque ad eundem Pantænum referantur necesse est. Siculam igitur apem eum nominat Clemens, eo quod e Sicilia esset oriundus. Cur enim Siculam potius apem eum vocaret, quam Atticam? Petrus Halloixius in vita Pantæni, ait illum fuisse genere Hebræum, idque ex Clementis verbis colligit. Verum Clemens plane contrarium innuit. Nam Hebræum quidem illum ait a se auditum esse in oriente, Pantænum vero in Ægypto. VALES. Valesio assentitur contrariam sententiam cum illius concilians Le Moyne. *varr. sacr.* tom. ii. p. 207. sq. "*Sed revera potuit esse Siculus* (Pantænus), *licet genere et origine Hebræus. Nam cum Hebræi sub Claudio Roma pulsi fuissent, et cum sub Hadriano, ipsius Hierosolymæ aditu prohibito, extorres vagarentur, multi in maris mediterranei insulas suas sedes collocarunt, et forsan Pantæni prædecessores vel Roma, vel Hierosolymis in Siciliam pervenerunt, unde et patria Siculus et genere potuit Hebræus esse.*" Ut autem *Siculæ apis* appellationem Pantæno Clemens simul tribuit, ad ejus honorem ac laudem augendam *qui*, ut verbis utar Le Moynei l. l., *instar apum, florum apostolicorum rorem avidissimis labris exugebat, et illum veluti in alveariis recondebat, unde mella doctrinæ orthodoxæ pararet, et discipulis suis propinaret* (cf. Euseb. H. E. vi. 15. vii. 32.), simili certe modo, quo Xenophon *Attica apis* solet vocari, ita antiquis ecclesiæ doctoribus haud inusitatum erat, *ejusmodi nominum in contrariam significationem flexorum allusionibus hæreticos perstringere*, quæ sunt verba Ittigii in *appendice ad dissertat. de hæresiarchis*, p. 427., ubi non solum Photinum interdum *Scotinum* per ludibrium appellari, sed etiam Meletianos seu Melitianos cum ἀπὸ τοῦ μέλιτος

quasi mellei dicti *viderentur*, ab Athanasio in epistola ad Solitarios, p. 864. *Epicritianos*, seu potius, ut Cotelerius *eccles. Græc. monumentt.* tom. iii. p. 636. bene emendat, Πικριτιανοὺς ἀπὸ τῆς πικρείας i. e. amaros et felleos dici, V. D. observat. HEIN.

11, 4. ὀλίγοι] vid. Hom. Od. ii. 276. παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται. cf. Eurip. Heracl. v. 326. sqq. Spartianus adeo: "*Neminem*, inquit, *prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse, satis claret.*" HEIN.

12, 2. Αἱ τῶν αὐτόθι διαδοχαί][m] Nobiles ecclesiæ, et præsertim quæ ab apostolis institutæ fuerant, episcoporum suorum successionem in archivis reconditam diligentissime servabant, eorum nomina et obitus diem in diptychis perscribentes. Hujusmodi libros accurate excusserat Eusebius noster, sicuti ex hoc loco apparet, qui præcipuarum sedium episcopos non aliunde quam ex hujusmodi tabulis digessit. Quamobrem successiones episcoporum quæ in historia et in chronico Eusebii recensentur, maximi faciendæ sunt, utpote omnium vetustissimæ ac certissimæ. VALES. Temere Pearson. *de succ. pr. Rom. episc.* p. 8. (cf. p. 17.) dubitat, an ex h. l. colligi possit, quod collegit recte Valesius. Locus enim a Pearson. laudatus ex H. E. iv. 5. τῶν γε μὴν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐπισκόπων——διαδοχαί, nihil docet, nisi quam tuto possit Eusebio hac in re credi, qui, ubi non reperit scripto conservatas διαδοχὰς, illud minime tacuit. Cf. Danz. *de Euseb.* p. 82. 135. not. 44. Kestner. p. 33. sq. vid. Reuterdahl. *de fontt. hist. eccles. Eus.* p. 54—56. ubi certe Hierosolymitanorum antistitum priorum indicem affuisse Eusebio, magis etiam evincitur. Aliorum episcoporum nomina et res vel e traditione v. c. de Jacobo Justo ii. 1. 23. iv. 5. vel certe magis auctoritate librorum sacrorum, iii. 2. 4. 15. vel testibus doctoribus ecclesiasticis iii. 36. sqq. iv. 10. sqq. 22. sqq. vel ex notitia quam de scriptis in lite de paschate divulgatis sibi de episcopis illius temporis comparaverat, Eusebius retulit. vid. Reuterdahl. l. l. p. 51—53. cf. Valesii *dissert. de martyrologio Romano*, p. 315. HEIN.

m Bene vertit Valesius: *Episcoporum series, quæ in Archivis illius ecclesiæ servantur.* cf. H. E. iii. 25. (pag. 175.) iv. 22. (pag. 283.) HEIN.

Ib. καὶ Οὐάλεντα] Ante hunc Valentem desunt nomina duorum episcoporum, Maximi scilicet et Antonini, quæ per negligentiam librariorum omissa sunt. Nam cum Eusebius Narcissum Hierosolymorum episcopum quintum decimum a Marco, et tricesimum ab apostolis fuisse affirmet, id omnino stare non potest, nisi duos hic episcopos addideris. Certe Eusebius in chronico, post Capitonem vicesimo sexto ab apostolis loco recenset Maximum ac deinde Antoninum, posthæc Valentem ac Dolichianum, tum deinde Narcissum. Cum Eusebio consentiunt Georgius Syncellus et Nicephorus, nisi quod inter Julianum et Capitonem Heliam quendam interserunt, quem Eusebius non agnoscit. VALES.

13, 2. Ἀπέλλης ὁ τῇ πολιτείᾳ σεμνυνόμενος] Rufinus vertit: *Qui abstinentiæ et senectutis prærogativa usus*, etc. Recte: nam πολιτεία simpliciter et absolute poni solet pro abstinentia et strictiore quadam disciplina. Ita Clemens Alexandrinus in exordio libri primi Stromat. bis usurpat. Sed non video, quomodo Apelles jactare se ob continentiam potuerit, qui a Marcione ob stuprum ejectus, Alexandriam secessit, ut auctor est Tertullianus in libro de præscriptionibus. Quocirca[n] videndum, ne vox πολιτεία hoc loco aliud quidpiam significet, et pro decurionatu sumatur. Nam decuriones πολιτευόμενοι seu πολιτευταὶ dicebantur a Græcis, ut pluribus notavi ad Amm. Marcellinum. Posset etiam quis suspicari, scribendum hic esse τῇ πολιᾷ σεμ. καὶ τῷ γήρᾳ. Nam senex Apelles vulgo dicebatur. Sic eum nominat Rhodon infra, et Hieronymus in Catalogo. Confirmat hanc emendationem Eusebius in lib. vi. cap. 39. ubi de Alexandro episcopo: λιπαρῷ γήρει καὶ σεμνῇ πολιᾷ κατεστεμμένος. Sed et Symeon Metaphr. in Actis Phileæ ita loquitur: καὶ πῶς τοιαύτῃ φησὶν γήρᾳ καὶ πολιᾷ σεμνυνόμενος, etc. Verba sunt judicis apud Phileam. VALES. De Apelle vid. quæ accurate disputavit Ittigius *de hæresiarch.* p. 157. sqq. cf. Ejusd. *appendix dissert. de hæresiarch.* p. 67. sqq. Tertullian. de præscript. c. 6. 30. de carne Christi c. 6. adv. Marc. iii. 11. Scriptor appendicis ad Tertull. de præsc. c. 51. Hieronymus in proœmio commentarii in Matthæum

[n] ? HEIN.

et epist. ad Galat. c. i. Augustin. de hæres. c. 23. Origen. Opp. tom. i. p. 858. 881. Theodoret. fab. hæret. i. 25. Coteler. *Græc. eccl. monumm.* tom. iii. p. 470. HEIN.

13, 2. ὁ ναύτης Μαρκίων] Hæc est codicis Regii lectio quam confirmat interpretatio Rufini. Sic enim ille: *Alii autem, sicut ipse nauta Marcion, duo esse principia introducunt.* Certe Tertullianus in libro de præscriptionibus, testatur Marcionem initio navicularium fuisse. *Ubi tunc*, inquit, *Marcion Ponticus nauclerus, Stoicæ studiosus?* Et in lib. i. adv. Marc. c. 18. *Nos Marcionem nauclerum novimus, non regem non imp.* Et iii. 6. iv. 9. v. init.[o] In reliquis tamen exemplaribus Maz. Med. et Fuk., nec non apud Nicephorum desunt hæ voces ὁ ναύτης. VALES.

13, 7. οὕτω—μόνον recte vertit Val.: "*Sed tamen moveri atque impelli, ut ita sentiret.*" HEIN.

Ib. λέγων μὴ ἐπίστασθαι] In eo quidem non valde reprehendendus erat Apelles, quod diceret nescire se quomodo unus esset ingenitus Deus, se tamen ita credere. Verum in eo aberrabat, quod prophetias quibus ea de uno et ingenito Deo doctrina traditur, prorsus repudiabat, et quod philosophiæ imperitissimus, aliorum se doctorem profitebatur. Hac de causa merito a Rhodone sugillatur. VALES.

15, 1. Παραπλησίῳ πτώματι] Duplici modo explicari potest vox πτῶμα. Rufinus quidem et Christophorsonus pro errore sumpsit. Et ita Eusebius hanc vocem alicubi usurpavit, ut memini. Nicephorus vero pro exauctoratione sumpsit, et Blastum gradu presbyterii pulsum, perinde ac Florinum, intellexit. VALES. Valesius consentit cum Ruf. et Cph. Vertit enim: et *Blastus simili errore implicatus.* Contra Nicephori interpretationem tanquam unice veram probant Dodwellus *diss. in Iren.* vi. §. 3. Massuetus *dissert. in Iren.* ii. Art. iii. §. 39. p. 105. et ipse Fuldnerus *de Carpocratianis* in: *Dritte Denkschrift der hist. theol. Gesellschaft zu Leipzig*, p. 219. sq. Sed falso, ut equidem puto. Quod enim dicit Fuldnerus,

[o] Hinc non opus videtur conjectura Walchii, qui ob Pontum patriam, rei nauticæ deditam Marcionem ita appellatum putat. Quamquam cf. Massuet. *dissert. in Irenæum*, p. 68. Rhodonem, qui idem *nautam* vocat Marcionem, et Tertullianum ludentes in voce *Pontus*, patriæ Marcionis nomine, quasi marinum hominem, in mari natum simul Marcionem appellasse conjiciens. Petav. *animadvv. Epiph.* p. 77. HEIN.

omnem rationem grammaticam et potissimum verba ἀποπεσὼν et σὺν τούτῳ παραπλησίῳ contrariam flagitare explicationem, illud mihi nullo modo potui persuadere, imo contexta oratio Valesii et nostram postulat. Eusebius ab initio capitis dicit, alios hæreticos viguisse Romæ, quorum dux fuerit Florinus. Quid igitur rei est convenientius, quam statim addere Blastum simili errore fuisse cum illo implicatum? Neque obstant, sed unice favent sequentia οἳ καὶ—βούλημα. Fraudem fecisse videtur VV. DD., quod non solum πτώματι sensu proprio, sed etiam παραπλησίῳ pro æquali acceperunt. At πτῶμα de errore potius usurpatum esse docet adjectum κατεσχήμενος, quod minus apte cum πτῶμα proprie usurpato conjungitur, παραπλησίῳ autem non necessario est *æqualis*, *idem*, sed multo sæpius: *simili*. Hac autem significatione vocis admissa, omnia sunt expeditissima. Blastus enim, ut ipse Fuldnerus ostendere studuit l. l. p. 220—225., non tam Florini sectator fuit, quam proprio Marte sibi effinxit suas opiniones et schismaticis in universum rectius quam hæreticis annumeratur. Neque tamen Fuldnerus ostendere potuit, Florinum neque in sententia de celebrando paschate consensisse cum Blasto (p. 225. sq.) et idem concessit, vel hunc vel illum eodem jure quo alios ex Valentini disciplina quidem profectos Gnosticos, sed novorum decretorum auctores, v. c. Ptolemæum, Marcum, Valentinianis posse adscribi. Hinc igitur παραπλησίῳ *simili* errore Blastum quo Florinum irretitum fuisse tradit Eusebius, hinc ad finem capitis: θάτερος, inquit, ἰδίως—πειρώμενος i. e. alter eorum, scilicet Blastus, peculiari et singulari ratione novaturiendi quodam quasi pruritu laborabat. Quod enim præterea dicit Fuldnerus, nesciri, quo referas vocem θάτερος, ita ut adeo ἑκάτερος legendum putet, inductus, ut videtur, falsa interpretatione Valesii, qui θάτερος vertit: *uterque*, illud fateor me satis mirari. Verba θάτερος κ. λ. optime explanant illa σὺν—κατεσχημένος et cum ante dixisset Eusebius, tum Florentinum tum Blastum plures opinionum suarum nactos esse asseclas, bene memor illius σὺν—κατεσχημένος, statim addit θάτερος—πειρώμενος, ut quos antea conjunxerat similitudine fortunæ, eosdem iterum disjungeret, quia errorum similitudo inter eos intercedebat nonnisi levior. Cf. Theodoret. hæret. fab. i. 23. scriptor additamenti ad Tertull. de

præscript. c. 53. Ittig. *de hæresiarchis* p. 131. sqq. vii. viii. et Ejusd. *appendix ad dissert. de hæresiarch.* p. 44. sqq. HEIN.

16, 1. Τῶν εἰρημένων δή τις] Quisnam sit iste ex cujus libro adversus Cataphrygas testimonium hic adfert Eusebius, variæ sunt scriptorum opiniones. Rufinus quidem et Nicephorus in lib. iv. cap. 23. eosque secutus Baronius, hunc Apollinarem Hierapolitanum esse existimarunt, quem paulo ante nominavit Eusebius. Hieronymus vero in libro de scriptoribus ecclesiasticis Apollonium esse credidit, graviori errore. Idem tamen de Miltiade loquens, Rhodonem hujus libri auctorem videtur facere. Nam in Apollonio quidem hæc dicit: *Apollonius vir disertissimus scripsit adversum Montanum, Priscillam et Maximillam insigne et longum volumen, in quo asserit Montanum et insanas vates periisse suspendio.* In Miltiade vero sic ait: *Miltiades cujus Rhodon in opere quod adversus Montanum, Priscillam, Maximillamque composuit, recordatur*, etc. Sed utrobique memoria labitur Hieronymus, dum Apollonio et Rhodoni tribuit, quæ dicta sunt a scriptore innominato, cujus hic fragmenta refert Eusebius. Hunc porro non esse Apollinarem Hierapolitanum, ex eo patet, quod Apollinaris quidem adversus Cataphrygarum hæresim adhuc nascentem libros scripsit, ut testatur Eusebius in fine lib. iv., hic autem ignotus auctor, post Montani et Maximillæ ac Theodoti mortem libros suos exaravit, ut ex fragmentis liquet. Plura vide apud Halloixium in notationibus ad vitam S. Apollinaris cap. 3. Qui tamen in eo fallitur, quod dicit librum Miltiadis ab hoc scriptore redactum esse in compendium. Quem quidem errorem abunde refellimus in capite sequenti. VALES. De Rhodone esse cogitandum, demonstrare studuit Chr. Godof. Derlingius *de Miltiade*, Helmst. 1740. 4. p. 17. 18. Alii et ipse Valesius (cf. inf. in hoc cap.), Asterium Urbanum putant illum scriptorem esse. At ne constat quidem, ut animadvertit Danz. p. 103. cf. p. 135. not. 46., utrum iste contra Montanistas, an pro illis scripserit. vid. Gottl. Wernsdorfius *Comment. de Montanistis*, p. 4. not. 8. cf. Ittig. *de hæresiarchis*, p. 240. sq. HEIN.

16, 2. τῶν κατὰ Μιλτιάδην] Nicephorus addit ἴσον δ' εἰπεῖν Μοντανὸν, quod scholii vice a Nicephoro additum esse non

dubito. Sed cur hic quisquis est innominatus auctor, hæresim Cataphrygarum, Miltiadis potius quam Montani sectam appellaverit, obscurum est. Non enim hic Miltiadem illum intelligit, de quo Eusebius in sequenti capite loquitur. Is enim pro Catholica veritate adversus Cataphrygas scripsit. Itaque Joannes Langus, vir doctissimus qui Nicephorum interpretatus est, hoc loco *Alcibiadem* pro Miltiade emendavit. Certe Alcibiades inter præcipuos auctores sectæ Cataphrygarum memoratur ab Eusebio supra in cap. 3. hujus libri. Aut igitur hic legendum est Alcibiades, aut illic scribendum Miltiades. VALES. Fateor mihi tam certam visam esse Langi et Valesii, quibus assentitur Strothius ad h. l. not. 27. sententiam, ut non dubitaverim scribere, κατὰ Ἀλκιβιάδην pro κατὰ Μιλτιάδην, quamvis non solum Valesius, sed etiam Strothius et Zimmermannus istud retinuerint. Sed vid. cap. xvii. ubi similis invenitur nominum illorum permutatio. Cph. scripsit τῶν κατὰ Φρύγας λεγομένην. Præterea pro λεγομένην quod cum Cph. dedit Valesius, scribendum duxi cum Strothio λεγομένων, necessaria non minus emendatione. Jam vero εἰς τὴν τῶν κατὰ Ἀλκιβιάδην λεγομένων αἵρεσιν interpretandum erit: contra hæresin eorum, qui secundum Alcibiadem appellantur, *Alcibiadis nomen gerunt*, *Alcibidianorum*. Moneo hoc propterea, quia non satis recte vertit Valesius: *Miltiadis hæresim*. Melius Strothius: *Die Ketzerei der Miltiadianer*. Cf. infra pag. 368. In his ipsis autem jam possem subsistere, nisi refutanda essent præterea ea, quæ contra monuit Danz. *de Eus.* p. 1?3. ubi hæc scripsit V. D. "Οἱ κατὰ Μιλτιάδην λεγόμενοι *non sunt qui Miltiadis nomen gerunt, sed potius, qui nomen habent a Miltiade ipsis impositum. Quale vero fuerit istud nomen non indicat Autor, utpote Avircio Marcello, cui inscriptus liber, probe notum. Forte nomine* τῶν ἐκστατικῶν *vel* Φρυγῶν *vel* τῶν κατὰ Φρύγας——*Miltiades Montanistas ludibrio habuit. Quicquid sit, Alcibiadis nomen, quod in hunc locum inseruit Jo. Langus, insiticium, nec ullo modo locum habere potest, cum nec linguæ leges, nec historia, quæ nomen sectæ ab Alcibiade derivatum plane ignorat, ferant.*" Quæ qua ratione scribere potuerit V. D., me non satis videre fatendum est. Primum enim, ut prorsus mittam lectionis varietatem, quomodo, quæso, οἱ κατά τινα λεγόμενοι esse possunt: *qui nomen*

habent ab aliquo impositum? Ubi ita dicta sit illa formula, equidem nescio, ex notissimo contra præpositionis κατὰ usu λέγεσθαι κατά τινα sæpius dicitur is, qui idem quod alius nomen accepit, qui *ex* aliquo nominatur. cf. Cic. ad div. ii. 3. 4. Deinde autem non magis potui intelligere, quomodo tam leves ob causas lectionem κατὰ 'Αλκιβιάδην damnare potuerit Danzius. Cur enim eam non ferant linguæ leges, illud vellem accuratius indicasset V. D., quod autem historiam nomen sectæ ad Alcibiade derivatum prorsus ignorasse affirmat, illud quidem est verissimum, sed eo nullo modo tollitur lectionis nostræ veritas. Dolendum quidem est, alibi hoc non tradi, eos hæreticos qui alias Montanistæ, Cataphryges, Pepuziani etc. vocati sunt, vocatos esse simul *Alcibidianos*, sed illud licet Nicephorus addiderit ἴσον—Μοντανὸν, neque per se est incredibile et quamvis Μιλτιάδην legamus, Miltiadiani non magis alibi inveniuntur. Sed suo se, ut aiunt, gladio jugulat Danzius. Quid enim? Si ejus sententiam plane velimus sequi, num historia edocti sumus, a Miltiade vocatos esse Montanistas τοὺς κατὰ Φρύγας vel τοὺς ἐκστατικοὺς vel τοὺς Φρύγας? *Forte*, inquit ipse Danzius, ita vocati sunt. Sed jam satis me ac lectionem meam defensam puto, atque illud unum addo, Alcibidianos historiæ ecclesiasticæ scriptoribus in posterum non prorsus tacendos esse, nisi si nostræ sententiæ h. l. expositæ refragentur. HEIN.

16, 3. διατεθρυλλημένην] Id est, personantem ac perstrepentem. Tota enim ecclesia illius loci, rumore novæ prophetiæ personabat, cum ob tantæ rei novitatem cuncti de ea re loquerentur. Ex quo apparet, donum prophetiæ jamtum illis temporibus in ecclesia rarum atque inusitatum fuisse, quippe cum exorta Montani prophetia, tantos tumultus tunc temporis in ecclesia excitaverit. Quod certe non contigisset, si solemne tunc ac pervulgatum in ecclesia fuisset prophetiæ donum. Porro διατεθρυλλημένην Langus vertit *decantatam*. VALES.

Ib. ἕκαστά τε] Amplector emendationem Christophorsoni, qui ἑκάστοτε correxit, id est, assidue, quotidie: et sic Savilius ad oram libri sui emendavit. VALES.

16, 4. καὶ τοὺς ἀντιθέτους] Malim ἀντιθέους, ut legitur ad

marginem editionis Genevensis. Cum enim jam dixerit τοὺς ἐξεναντίας ἀποκρουσθῆναι, ineptissima esset repetitio, si τοὺς ἀντιθέτους iterum nominaret. Verum ἀντιθέους quod longe gravius est, appellat Montanistas, id est, Dei adversarios, eo quod novum paracletum inducerent. Atque ita in codice Fuk. et Savil. scriptum habetur. Si quis vero ἀντιθέτους retinere maluerit, non repugnabo. Infra enim dicuntur ἀντιδιατιθέμενοι, ut et apud Greg. Nyssænum lib. i. contra Eunomium, et Paulum in 2. ad Timoth. VALES.

Ib. τοῦ 'Οτρηνοῦ] Male apud Nicephorum legitur 'Οστρηνοῦ. Distinguendus autem videtur hic Zoticus Otrenus, a Zotico Comanensi episcopo, cujus infra meminit hic auctor. Nam Comanensis ille antiquior fuit. VALES.

16, 6. ἐν τῇ κατὰ τὴν Φρυγίαν Μυσίᾳ] Rufinus vertit: *Vicus quidam esse dicitur apud Phrygiam Mysiæ civitatem*, ineptissime. Nec melius Musculus et Christophorsonus interpretantur *apud Mysiam Phrygiæ*. Quid enim, amabo, sibi vult Mysia Phrygiæ? Duplex olim fuit Mysia, sicut et Phrygia, teste Strabone in lib. xii. Alia major, quam Olympenem vocat Strabo, alia minor, quam Hellespontiam vocat Ptolemæus. Utraque porro Phrygiæ contermina fuit. Unde natum proverbium apud Græcos χωρὶς τὰ Μυσῶν. Fuit et altera Mysia in Europa, Thraciæ contributa, quam Latini quidem Mœsiam vocant, Græci vero semper Μυσίαν. Ad hujus ergo distinctionem ἡ κατὰ Φρυγίαν Μυσία hic dicitur Mysia Phrygiæ contermina, seu Asiatica. VALES.

Ib. παρα—ἔθος] Montanus vaticinatus esse dicitur probabiliter propterea, quod calamitates et interitum adeo prædicebat reipublicæ Romanæ et ita Romanorum in Christianos odium inflammabat, qui quamquam de Romanæ civitatis pernicie minime dubitabant, tamen non ita erant salutis suæ negligentes, ut illam opinionem divulgandam crederent, sed intra privatos parietes retinerent. Cf. Lucian. Philopat. Opp. tom. iii. p. 613 sq. ed. Reiz. HEIN.

16, 9. κατὰ τῶν παρηκόων] Rufinus *indisciplinatos* vertit, Musculus *immorigeros*: non male. Intelliguntur enim ii qui præceptum Domini, quo præmoniti fuerant, ut a falsis prophetis caverent, negligebant, τῆς διαστολῆς τοῦ Κυρίου ἐπιλαν-

θανόμενοι, ut supra loquitur hic innominatus scriptor. Pessime Christophorsonus. VALES.

Ib. τὴν ἀποκεκοιμημένην] Metaphora est a mulieribus, quæ relicto mariti thoro furtim ad mœchum transeunt. Nam κοιμᾶσθαι, seu dormire, de hujusmodi adulteriis dici solet, ut in libris sacris occurrit non semel. Quod cum non intelligeret Christophorsonus, *erroris somno consopitam* vertit. VALES.

16, 10. καὶ τοὺς μὲν χαίροντας] Hæc periodus connectenda est cum illa sequenti τὴν δὲ καθόλου, etc. Sic enim sensus integer absolvitur, quod interpretes non animadverterunt. Tamen acumen interpretis in hoc præcipue elucet, ut verborum ac sensus ἀκολουθίαν diligentissime consectetur. VALES.

Ib. ἵνα καὶ ἐλεγκτικόν] Sciebat Montanus, seu dæmon qui per Montani os loquebatur, olim a Domino prædictum fuisse, fore ut Spiritus Dei in adventu suo mundum argueret de peccato. Itaque dæmon ille ut verum Dei Spiritum se esse auditoribus confirmaret, eos interdum arguebat et objurgabat. Vide Ambrosium in epist. ad Thessal. cap. 5. Cujus verba hic merentur adscribi: *Hinc est, unde et Joannis apostoli epistola, Nolite, inquit, omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt, quia si multa bona dicat, in aliquo autem, quod fidei adversum est promat, sciatur non esse Spiritus Sanctus. Nihil enim erroris in Spiritu Sancto poterit reperiri. Sed aut per exercitium eloquii quædam spiritalia, quædam vero carnalia, quia omnis error carni deputatur, aut certe commento quodam astutiæ bona fingit, ut his inserat mala, sicut supra memoravi: quemadmodum in Montano et Maximilla et Priscilla prophetis Cataphrygarum spiritus mundi imitatione boni simulabat, ut per multa verisimilia, nec non et vera, mentiretur se esse spiritum sanctum.* VALES.

16, 11. εἰς τοῦτο συνελθόντων. Christophorsonus legisse videtur εἰς ταὐτὸ. VALES.

16, 12. ἀμετροφώνους] Alludit ad epithetum illud, quo Homerus in Iliade Thersitem affecit, ἀμετροεπὴς, quod idem est ac falsiloquus. Nam qui mentiuntur, nullum in dicendo modum servare solent. VALES.

Ib. Ὦ βέλτιστοι] Patet ex oratione indirecta in directam transiri h. l. Dicendum enim erat proprie: ἀποκρ. οἱ βέλτιστοι, εἴ κ. λ. HEIN.

16, 13. Ἰούδα—δίκην] Vid. Winer. *bibl. Realwörterbuch* p. 366. Ineptissima omnium, quæ de Judæ morte sunt effictæ, narratiuncula est Papiæ, quam refert *Paulus Comment.* t. iii. p. 686. HEIN.

16, 14. οἷον ἐπίτροπον] Rufinus hæc verba non agnoscit. Sic enim vertit: *veluti primogenitum prophetiæ ipsorum, Theodotum nomine.* Omnes tamen codices et Nicephorus, hanc vocem agnoscunt. Erat apud Montanistas arca quædam, in quam sodales stipem conjiciebant ad prophetarum alimoniam. Primus Theodotus hujus arcæ curam gessit, quem idcirco procuratorem prophetiæ hic scriptor vocat, quod reditus illorum et prædia procuraret. Erat alioqui Montanus cum suis prophetissis, magnus æruscator, qui pecuniam undique corraderet oblationum specie. Salaria etiam præbere solitus iis, qui doctrinam suam prædicarent, ut scribit Apollonius apud Eusebium in capite sequenti. Arcam igitur seu fiscum habuerit necesse est, et procuratorem ærarii, qui salaria, id est, pecunias numeraret iis quibus Montanus decreverat. VALES. Recte Valesii interpretationem jam improbavit Le Moyne in *Varr. Sacr.* t. ii. p. 465. *Et revera ipsa versio, quam probat Vir. Doct.* (Valesius vertit: qui primus prophetiæ illorum quasi procurator quidam fuit) *non videtur congruum fundere sensum. Nam non dicitur procurator prophetiæ. Istud loquendi genus est durum, et a re ipsa alienum. Non diceretur etiam Græce* τῆς προφητείας ἐπίτροπος (scilicet sensu illo proprio, quem Valesius defendit). *Hoc vidit ipse Valesius. Ideo non vult Theodotum hic procuratorem prophetiæ dici, quod tamen habetur in versione Latina, sed arcæ procuratorem, quia arcæ et Gazophylacii Montanistarum curator erat et Rationalis. Sed de arca apud Eusebium nulla exstat mentio.* Hactenus Le Moyne et recte contra Valesium disputat. Est autem ἐπίτροπος, si quid video, et quod satis declarat præcedens οἷον, sensu improprio h. l. dictum et loci ipsius sententia hæc: quemadmodum etiam multorum sermo evincit, mirum illud caput (Stroth. *iener seltsame Theodotus* melius etiam quam Vales. *admirabilis ille Theodotus*), Theodotum scilicet, qui primus et

summus vaticinationis Montanisticæ (proprie: *secundum eos*, Montani ac Maximillæ, ad quos pertinet αὐτοὺς, *appellatæ*; male Val. *propheticæ illorum*, pejus fere Stroth. *ihrer sogenannten* (?) *Weissagung*. Cf. supra pag. 364.) quasi quidam tutor et procurator erat, qui Montanisticam vaticinationem in summis habebat deliciis et quasi in sinu gestabat, hunc igitur falso mentis excessu abreptum fuisse. Ita omnia sunt plana, neque quisquam facile offendatur eo, quod Rufinus, quem sæpius liberrime vertisse constat, non accuratius illas voces οἷον ἐπίτροπον, imo ita vertit, quasi in Eusebio scriptum esset: τὸν πρῶτον τῆς προφητείας υἱὸν, quod tamen eandem sententiam funderet, Theodotum inter Montani παῖδας et discipulos unum omnium maxime operam suam et industriam impendisse προφητείᾳ, hujus dignitatem et auctoritatem summa vi et contentione studuisse promovere et augere. Cf. Mtth. xi. 19. Luc. vii. 35. Joh. xii. 36. ἵνα υἱοὶ φῶτος γένησθε. Similiter dicitur Marcion πρωτότοκος τοῦ Σατανᾶ ex Iren. iii. 3. apud ipsum Euseb. H. E. iv. 14, ut qui omnes alios hæreticos pravitate longe superaret. Jam vero nullo modo inde potest colligi, h. l. veram lectionem esse υἱὸν pro οἷον, in quo frustra desudavit Le Moyne l. l. p. 464. HEIN.

Ib. πολὺς αἱρεῖ λόγος] In codice Medicæo, Maz. et Fuk. legitur ἐρεῖ. Apud Eusebium tamen in lib. viii. bis ita scribitur, ut hoc loco scriptum vides, πολὺς αἱρεῖ λόγος. ubi αἱρεῖ idem valet ac κρατεῖ. VALES. Vim vocabuli non expressit Val. vertens: *plurimorum sermone perhibetur*. Est potius: multorum sermo *evincit*. Cf. vii. 24. Similiter αἱρεῖ legitur apud Plat. Crit. ix. cf. Horat. Serm. i. 3, 15. ii. 3, 250. HEIN.

Ib. παρεκστῆναι] Male interpretes omnes hunc locum cepere. Παρεκστῆναι est falso mentis eccessu abripi. Sic παρέκστασις supra sumitur, id est, falsa ecstasis. Sunt enim veræ ecstases, cujusmodi fuit Petri apostoli, in Actibus cap. 10. et 11. ubi Petrus vidisse dicitur in ecstasi visionem. Talis item fuit ecstasis Pauli apostoli, cum ad tertium usque cœlum abreptus est. Puerorum quoque ecstases in testimonium adducuntur a Cypriano in epistola nona. Sunt item falsæ ecstases apud hæreticos, quæ παρεκστάσεις eleganter dicuntur ab hoc scriptore. Eodem modo quo παραδιορθώσεις falsæ emendationes

dicuntur a Porphyrio in quæstionibus Homericis. Et hæ quidem falsæ ecstases, propius ad furorem accedunt, utpote a dæmone procuratæ. Illæ vero quæ a divino Spiritu immittuntur, placidæ sunt, nec statum mentis ullo modo perturbant, ut docet Epiphanius in hæresi Cataphrygarum, et hic auctor innominatus. Quare fallitur Nicolaus Rigaltius, qui in notis suis ad epistolam nonam Cypriani, ecstases *furorem* et *alienationem mentis* interpretatus est. Non ita Hieronymus, cujus hæc sunt verba ad Suniam et Fretelam: *Aliter enim Latinus sermo ἔκστασιν exprimere non potest nisi mentis excessum.* Ita etiam Tertullianus in libro de anima cap. 45. *hanc vim ecstasim dicimus, excessum sensus et amentiæ instar.* Idem tamen ecstasim absolute *amentiam* interpretatur, aitque spiritalem esse vim, qua constat prophetia. Sic in lib. de anima cap. 21. in libro contra Marc. c. 22. Verum hæc a Tertulliano scripta sunt, Montani erroribus jam decepto. VALES.

16, 16. *ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ τῷ κατὰ Ἀστέριον Οὐρβανόν*] Hæc verba scholion esse mihi videntur, quod vetus quidam scholiastes seu Eusebius ipse, ad marginem libri sui annotaverat ad ea verba quæ paulo ante præcesserunt, *αὖθις δὲ ἐν τῷ αὐτῷ φησὶ λόγῳ*. Porro ex his verbis elicitur, Asterium Urbanum auctorem esse horum trium librorum adversus Cataphrygas, non autem Apollinarem, ut credidit Rufinus et Christophorsonus. VALES. Recte præeunte Christophorsono, Dodwello, Fabricio (*Bibl. Gr.* vol. v. p. 190.) et Walchio (*Ketzergeschichte* t. i. p. 658.) monuit Strothius, verba *ἐν τῷ αὐτῷ κ. λ.* non esse habenda pro verbis Eusebii, sed potius scriptori illi anonymo, cujus fragmenta refert Eusebius, tribuenda. Retulisse enim illum scriptorem probabiliter quædam antea ex libro quodam Asterii Urbani, quæ vero Eusebius inde excerpere et nobiscum communicare haud necessarium esse duxerit. Nunc igitur ita pergere eundem anonymum: *ne dicat, quemadmodum in eodem Asterii Urbani libro*, (*ex quo scilicet jam supra quædam retulimus*) *spiritus*, etc. Ita autem interdum omittere Eusebium ea, quæ ad aliorum verba ab eo allata intelligenda sint necessaria. Cf. v. 7. 8. viii. 10. Stroth. *Uebers.* t. i. p. 366 sq. Möller. p. 92. Kestner. p. 74. in. HEIN.

Ib. *Κομάνης*] Oppidum videtur fuisse Pamphiliæ. Certe

Ephesius episcopus Comanenus memoratur in epistola episcoporum Pamphyliæ provinciæ ad Leonem Aug. quæ refertur in parte tertia concilii Chalcedonensis p. 391. VALES.

16. 17. *οἱ περὶ Θεμίσωνα*] Illustris hic fuit inter Montanistas, qui se confessorem et martyrem jactabat, aususque est epistolam catholicam exemplo apostoli scribere ad ecclesias, ut novam prophetiam commendaret. De hoc multa Apollonius in sequenti capite. VALES.

17, 1. Μιλτιάδου *μέμνηται*] Ex his patet error Hieronymi in lib. de scriptoribus ecclesiasticis, ubi hæc scribit: *Miltiades, cujus Rhodon in opere suo quod adversus Montanum, Priscillam, Maximillamque composuit, recordatur.* Non Rhodonem, sed innominatum hunc scriptorem debuit dicere. Nam Rhodon adversus Montanum et Cataphrygas non scripsit, sed adversus Marcionis hæresim, ut testatur Eusebius. VALES.

Ib. *τῷ Ἀλκιβιάδου τοῦ ἀδελφοῦ συγγράμματι*] Nescio quo fato Alcibiadis nomen pro Miltiade, et Miltiadis pro Alcibiade substitutum est. Nam superiore quidem capite Miltiadis vocabulum pro Alcibiade positum esse observavimus. Hic contra Alcibiades pro Miltiade irrepsit. Certe apud Nicephorum *Μιλτιάδου* legitur, quamquam nec Nicephorus, nec Christophorsonus hunc locum intellexit. VALES. *Ἀλκιβιάδου* habent Steph. Val. (MSt. MG. Ion. Reg. Maz. etc.) *Μιλτιάδου* Nic. Cph. Val. in sua interpretatione, Stroth. Ex Rufino nihil potest cognosci. Sed verissime Stroth. not. 60. *Ipsa ratio*, inquit, *jam docet, etiamsi omnes codd.* Ἀλκιβιάδου *exhiberent, scribendum esse* Μιλτιάδου, *quum et Alcibiades ipse Montanista fuerit, et Eusebius tam initio capitis quam in sequentibus aperte Miltiadis nomen posuerit et supra cap. xvi. —contra positum erat Miltiadis nomen pro Alcibiadis, unde patet, quam solemnis fuerit librariis horum nominum permutatio.* Itaque non dubitavi corrigere *Μιλτιάδου* ut melius simul mihi constarem, quam sibi constitit Strothius, qui supra cap. xvi. falsam lectionem *Μιλτιάδην* adhuc tulit. HEIN.

17, 2. *Ἀλλ᾽ ὅγε ψευδοπροφήτης ἐν παρεκστάσει*] Male Rufinus et Baronius hæc verba ex Miltiadis libro desumpta esse existimarunt. Neque enim hic innominatus auctor quicquam citat ex Miltiadis libro, sed tantum ex responsione Cataphrygarum adversus Miltiadis librum, quod non animadverterunt

interpretes. Est autem hic hujus loci sensus, magnum esse discrimen inter veros prophetas et falsos. Veri enim prophetæ, qui Spiritu Dei repleti erant, quieto ac tranquillo animo prædicebant futura. Pseudoprophetæ vero, qualis erat Montanus, cum furore et insania loquebantur. Certe catholici hoc præcipue objiciebant Montanistis, qui se prophetico spiritu plenos esse jactabant, quod in ecstasi prophetarent, cum tamen nec in novo, nec in veteri testamento prophetas in ecstasi unquam prophetasse legamus. Itaque Miltiades librum adversus eos scripsit hoc titulo: *περὶ τοῦ μὴ δεῖν προφήτην ἐν ἐκστάσει λαλεῖν.* Et Epiphanius adversus hæresim Montanistarum cap. 2. *ὅσα γὰρ οἱ προφῆται εἰρήκασι, μετὰ συνέσεως παρακολουθοῦντες ἐφθέγγοντο.* et cap. 4. ac sequentibus, hanc veræ ac spiritalis prophetiæ certissimam notam esse dicit, ut mentis suæ compotes sint, qui futura prædicunt. Similiter Johannes Chrysostomus homilia 29. in epistolam 1. ad Corinthios, ubi discrimen affert inter divinationem et prophetiam. Hoc enim, inquit, proprium est vatis seu divinatoris, emotæ esse mentis, pelli, trahi, raptari tanquam furentem. Propheta vero non ita, sed mente sobria, et cum modesta ac temperata animi constitutione, et quæ loquitur, intelligens dicit omnia. His adde Hieronymum in præfatione commentariorum in Nahum: *Non enim loquitur in ἐκστάσει, ut Montanus et Prisca Maximillaque delirant, sed quod prophetat, liber est visionis intelligentis universa quæ loquitur.* Idem in præfatione commentariorum in Habacuc. Idem in libro ii. commentariorum in epist. ad Ephesios: *Aut igitur juxta Montanum, patriarchas et prophetas in ecstasi locutos accipiendum, et nescisse quæ dixerint, aut si hoc impium est, (spiritus quippe prophetarum prophetis subjectus est,) intellexerunt utique quæ locuti sunt* etc. Porro notandum est hunc anonymum scriptorem nunquam ecstases appellare vanos illos mentis excessus Montanistarum, sed semper parecstases, ob eam rationem quam supra dixi. Quippe ecstases fere in bonam partem sumuntur a Cypriano et Tertulliano. Et viris sanctis immissæ leguntur a Deo, ut Adamo et Petro apostolo. At parecstasis semper in malam partem accipitur. VALES.

17, 5. *πρὸς Ἕλληνας*] Plenus titulus est: *λόγος πρὸς Ἕλληνας περὶ ἀληθείας.* Hunc librum non esse partem sequentis *contra*

Judæos sed peculiare opus Miltiadis, ex hoc Eusebii loco demonstrasse dicit Chr. G. Derlingium in *diatribe de Miltiade* §. 49., Danz. p. 98 sq. HEIN.

Ib. κοσμικοὺς ἄρχοντας] Hieronymus et Rufinus, eosque secuti ceteri interpretes, hæc de imperatoribus Romanis dici existimarunt, quibus Miltiades apologeticum suum nuncupasset.[p] Ego vero cum eo tempore non plures, sed unus fuerit imperator Romanus, Commodus videlicet, rectores provinciarum malim intelligere. Nam vox ἄρχοντες fere semper præsides provinciarum significat. His igitur apologeticum suum dicavit Miltiades, sicut Tertullianus postea fecit. Nam apologeticus quidem ejus ad omnes generaliter provinciarum præsides directus est. Specialiter vero ad Scapulam proconsulem Africæ, librum pro Christianis idem Tertullianus misit. Pæne omiseram, hunc Miltiadem ecclesiarum sophistam vocari a Tertulliano, id est, rhetorem. VALES. Cf. Torrenius *ad Valer. Maxim.* i. 8 ext. Sueton. Tiberius c. xi. de illustr. Grammatic. c. ix. HEIN.

18, 2. Ὁ νηστείας νομοθετήσας] Tres quotannis quadragesimas, ac præterea duas xerophagiarum hebdomadas Montanus instituerat. Ac de xerophagiis quidem testatur Tertullianus in libro de jejuniis. De tribus vero quadragesimis testis est Hieronymus, tum in epistola ad Marcellam, tum in commentariis ad caput 1. Aggæi ita scribens: *Et omnem laborem manuum, accipiamus jejunia eorum et observationes varias, et* χαμευνίας, *id est, humidormitiones, qui tribus quadragesimis per annum jejunantes, et* ξηροφαγίαις *humiliantes animam suam, et vel maxime de Tatiani radice crescentes, super hujusmodi laboribus audiunt: Tanta passi estis sine causa.* Idem in cap. 9. Matthæi: *hujus occasione testimonii Montanus, Prisca et Maximilla etiam per pentecostem faciunt quadragesimam.* Sunt qui existiment duas xerophagiarum hebdomadas, quarum meminit Tertullianus, nihil aliud fuisse quam duas quadragesimas, quas præter illam primam ac solennem catholicorum quadragesimam jejunabant Montanistæ. Cui sententiæ facile accedo. Nam Tertullianus eo loco propria duntaxat Montanistarum jejunia recenset. Sic enim loquitur: *Quantula enim est apud nos interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas*

[p] Marco Antonino scilicet et Lucio Vero. Idem censet Danz. p. 95. HEIN.

xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet sabbatis et dominicis offerimus Deo. De paschali autem jejunio nihil dixit, eo quod hoc jejunium non proprium erat Montanistarum, sed commune omnium Christianorum. Ceterum notandum est, hoc loco Apollonium tanquam gravissimum facinus objicere Montano, quod jejunia sub lege, ac sub præcepti forma constituisset, non quod jejunare crimen sit, aut quasi quibusdam in ecclesia non liceat, semperque licuerit indicere jejunia. Nam et Joannes apostolus triduanum Ephesiis jejunium indixit, priusquam ad scribendum evangelium se conferret. Et episcopi catholicæ plebi mandare jejunia solebant ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticæ causa, ut docet Tertullian. in lib. citat. cap. 13. Verum Montano id facere nullatenus licebat, homini hæretico, et ab ecclesiæ corpore segregato, nec ullum sacerdotium gerenti. Merito igitur eum reprehendit Apollonius, quod ex arbitrio suo, non ex apostolica traditione constituisset jejunia. Nam catholicorum quidem jejunia ex apostolorum traditione manant, de solemnibus ac publicis jejuniis loquor, quæ certis diebus in ecclesia quotannis observabantur. Hæreticorum autem jejunia, ex inani præsumptione, et sanctitatis simulatione procedunt. Cujusmodi fuere jejunia, quæ Montanus sectatoribus suis tanquam paracletus indixit. VALES. Hoc loco catholicum agere Valesium, quivis videt. Cf. *Stroth. Uebers.* t. i. p. 371. not. 4. *Montanus had appointed three fasts of forty days in the year. As the Roman church has the same legal fasts, Du Valois is here placed in considerable difficulty.——The remark which he makes upon this——is very shallow, and unworthy of the learning of the man.* Vid. Ittig. *de hæresiarchis* p. 227 sqq. viii. p. 236. xiv. HEIN.

Ib. σαλάρια] Vox veteribus plane inaudita et ab ipso Suicero omissa. Invenitur vero apud Du Fresne *Glossar. med. et infimæ Græcit.* p. 1326. ubi laudantur Glossæ Basilic. Σαλάριον, δαπάνη, δῶρον ἡμερήσιον, ἢ μηνιαῖον, ἢ ἐνιαύσιον, κυρίως δὲ τὸ διδόμενον ἀξιωματικόν. Cf. Eus. H. E. v. 28. Plin. xxxi. 7. *Sal honoribus etiam militiæque interponitur, salariis inde dictis.* HEIN.

18, 4. Δοκεῖ σοι] Nicephorus in lib. iv. cap. 26. negativam addit particulam, οὐ δοκεῖ σοι, etc. Atque ita Savilius ad marginem sui libri emendavit. VALES.

18, 5. Θεμίσων] Vid. quem laudat Reading., Cave *hist.* t. i. p. 46. HEIN.

Ib. τὴν ἀξιόπιστον πλεονεξίαν] Musculus vertit *indubitata avaritia circumdatus.* Christophorsonus vero *totus revera avaritiæ sordibus involutus.* Langus autem interpretatus est *inexplebilis avaritiæ sordibus obvolutus,* quasi ἄπληστον πλεονεξίαν legeretur. Ego vero non dubito, quin hic locus ita intelligendus sit ut verti.[q] Quod satis declarat vox ἠμφιεσμένος, qua velamentum et simulatio designatur. Etenim Montanistæ illi avaritiam suam religionis prætextu et specioso oblationum vocabulo obvelabant, ut supra dixit Apollonius: ὁ ἐπ' ὀνόματι προσφορῶν δωροληψίαν ἐπιτεχνώμενος. VALES. Valesium presse secutus est Strothius vertendo: *ein Mann, der sich dem durch einen guten Schein beschönigten Geiz ergeben.* Sed equidem Musculi et magis etiam Christophorsoni interpretationem solam veram esse censeo. Neque enim unquam ἀξιόπιστος eam, quam Valesius et Strothius ei subjecerunt, significationem habet, neque ea h. l. statuatur necesse est. Imo ἀξιόπιστος πλεονεξία est avaritia quam habuisse Themisonem recte possit credi, minime ficta, vera. In ἠμφιεσμένος vero non inesse simulationis notionem ipse Strothius sensit, qui recte vertit: *der sich dem—Geiz ergeben.* Cf. quæ monui ad v. 1. (pag. 328. sqq.) 1 Petr. v. 5. τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε. Vid. Jaspis. *ad h. l.* Lutherus bene vertit: *haltet fest an der Demuth.* Jud. v. 23. Apocal. iii. 4, 18. Lactant. Institt. div. vi. 13, 12. Danda igitur opera, ut *indumento justitiæ pietatisque velemur, quo nos exuat nemo.* vi. 19, 35. *immortalitatis velamine candidati.* Contra quod Valesius vult, 1 Petr. ii. 16, exprimitur per: ἐπικάλυμμα ἔχειν τινός τι. Itaque optime vertit nostro loco Christophorsonus: *totus revera avaritiæ sordibus involutus* s. inquinatus. HEIN.

Ib. τῆς ὁμολογίας τὸ σημεῖον] Christophorsonus quidem crucem intelligi putavit, eo quod in evangelio crux portari frequenter dicitur. Sed procul dubio vincula ipsa intelligit Apollonius, quæ Themison pro Christo portare nequiverat. Quod enim confessionis signum hic vocat Apollonius, sequente linea nominat τὰ δεσμά. VALES.

18, 6. ὀπισθόδομος] Athenis dicebatur ὀπισθόδομος, ædes

[q] *Speciosa avaritia obvelatus.* HEIN.

quædam post templum Minervæ Poliadis, in qua pecuniæ publicæ recondebantur, ut ex Demosthene docet Harpocration.[r] Sed et in omnibus templis erat ὀπισθόδομος. Varro in lib. i. de lingua Latina: *Ideo in ædibus sacris ante cellam, ubi sedes Dei est, Græci dicunt* πρόδομον, *quod post*, ὀπισθόδομος. Eadem habet Pollux in lib. i. Hic vero ὀπισθόδομος pro tabulario sumitur, seu pro loco in quo tabulæ publicæ asservabantur, non pro ærario, ut sumitur apud Athenienses. Infra δημόσιον ἀρχεῖον vocat Apollonius. VALES.

18, 8. διορισάσθωσαν ἐπὶ τούτοις] Musculus vertit, *et super ea nobiscum disceptent, ea lege ut*, etc. VALES.

18, 9. ὢν ἤδη παραβάτης] Hunc locum optime Rufinus exposuit hoc modo: *Judicatus est apud Æmilium Frontinum proconsulem Ephesi, non propter nomen Christi, sed propter quædam latrocinia. Nam a Christi nomine jam apostata exstiterat. Sed posthæc ut fideles quidam fratres, qui per illud tempus apud judicem aliquid poterant, pro ipso intercederent, simulavit se propter nomen Domini laborare, et per hoc dimittitur.* At Christophorsoni versio primum in eo peccat, quod παραβάτην *maleficum* vertit. Deinde in eo quod ἐκρίθη vertit *condemnatus est*. VALES.

Ib. Pro ὁ προφήτης quod dederunt Steph. Val., Strothius hoc etiam loco ut superius cum Cph. scripsit ἡ προφῆτις et statim post τῆς προφήτιδος pro τοῦ προφήτου. Sed Rufinus cujus solius auctoritate res definiatur eodem modo quo supra, videtur illis lectionibus minime favere. Vertit enim *quæ tamen ei servari, hi optimi prophetæ qui ei famulantur, ignorant*, et: *sine dubio et prophetarum ignorantia cum ipso pariter redarguitur.* Porro pro ὃν ὁ προφ. συνόντα Bong. Jon. habent ὃ ὁ προφ. συνὸν et hoc ipsum liberius expressisse videtur Ruf. verbis *quæ tamen ei servari.* Vera loci lectio vide an sit, ὃ (δημόσιον) οἱ προφῆται (i. e. Montanistæ) αὐτῷ (Alexandro) συνὸν πολλοῖς ἔτεσι, ἀγνοοῦσιν hoc sensu: quod publicum tabularium, quamvis per multos annos jam cum eo i. e. Alexandro agat, (cf. Passow. s. v. σύνειμι), in ejus scelera inquirat etc., tamen prophetæ ignorare videntur. Post ἀγνοοῦσιν ponendum esset deinde punctum et post ἐξελέγχομεν iterum

[r] Cf. Meursius *Lectt. Att.* vi. 33. Potter. *Archæol. gr.* i. 8. Boeckh. *Ath. Staatshaush.* t. i. p. 473. HEIN.

legendum, ut Rufinus videtur legisse, τῶν προφητῶν, ut sequentia hæc significent: Hunc nos convincentes, per ipsum prophetarum etiam naturam et indolem demonstramus, ut qui ejus scelera quamvis optime possint, tamen nolint nosse. HEIN.

18, 11. βάπτεται] Hieronymus in Catalogo hunc locum ita vertit: *Dic mihi crinem fucat propheta? stibio oculos linit? propheta vestibus et gemmis ornatur? propheta tabula ludit et tesseris? propheta fenus accipit?* Longe profecto elegantius quam Rufinus. Græci βάπτειν τὴν τριχὰ dicunt, quod Latini crines tingere seu rutilare. Id enim præcipue studebant matronæ, ut rutilum haberent crinem. Quam in rem cinere lixivio utebantur, ut docet Varro. Sammonicus Serenus de capillo tingendo ita præcipit:

Ad rutilam speciem nigros flavescere crines
Unguento cineris, prædixit Tullius auctor.

Vide Hesychium in ξανθίζειν. VALES. Quæ h. l. referuntur de Montano ejusque asseclis, tam plena esse declamatoriæ vanitatis esse judicavit Rigaltius in præfatione ad Tertullianum, ut ægerrime fides iis haberi possit. Cf. Cramer. *Fortsetzung des Bossuet*, tom. ii. p. 247. ed. ii. *We may judge from this how far the reproaches, brought against them by the orthodox, of concealing disgraceful avarice under equally disgraceful hypocrisy, and leading a voluptuous life in private, may be founded or unfounded.* Ac sane prima specie satis suspectæ fidei esse videantur, quæ de sacra auri fame qua Montanus ejusque socii sint exacti, deque aliis eorundem sceleribus ac flagitiis et de molliori quadam et affectata vitæ ratione quam secuti sint, circumferuntur. Erant enim Montanus et qui eum secuti sunt, ipso Cramero l. l. p. 243. recte judicante ea animi indole, ut phantasiæ ludibriis unice regi sese ac flecti paterentur, id est, mystici. Solet autem hæc mysticorum hominum natio, ut satis docet omnium et vel nostrorum temporum historia, solet, inquam, semper fere durius quoddam, austerum et rigidum vitæ genus amplecti, solet honestatis ac virtutis legibus, certe quantum ex factis judicari potest, studere, quin etiam plus amare facere, quam quod humanæ divinæque leges postulant. Hinc Montanum et Montanistas tam fœdis sese inquinasse vitiis et mollius vixisse, videatur incredibilius. At enim vero si

quis ex quo tanquam suo fonte manet severa illa omnium mysticorum disciplina, accuratius cogitaverit, ille Montanistas in ipsa illa severiori vivendi ratione quam alias sequebantur, tamen simul non solum ipsum corpus delicatarum muliercularum more quacumque tandem ratione exornasse sed etiam fœdioribus vitiis sese inquinasse haud admirabitur. Neque enim iniquius quisquam judicaverit, *πρῶτον ψεῦδος* omnium qui vere sunt, mysticorum magnum quendam esse et nimium sui amorem, cujus quasi parens sit ipsum illud sensuum imperium cui isti homines sunt mancipati. Inde autem fit, ut non solum ea, quæ durius tractant et quasi constringunt corpus et sensus hominum, sed etiam quæ suavius eos afficiunt et quasi titillant, amplexari possint et vere amplexentur, modo utrumque illam suam *φιλαυτίαν* et inanem animi fastum alat et nutriat. Eadem erat Montanistarum ratio. Ex altera enim parte ad virtutem quandam videbantur velle eniti, cujus vix capax esse possit natura hominis, et quæ omni sensuum imperio capitale bellum indiceret; ex altera parte magnopere sese amabant in illo vere muliebri corporis ornatu et quidvis aliud potius quam tetrici morum censores erant. Utrumque faciebant, ut mystici, qui quidquid agunt, ita agunt, ut eos regat *φιλαυτία*. Hac enim instigante, quam nihil nisi *φανταςία* gignit, homo mox reliquorum hominum sorte eximi posse et putat et cupit, ad quod efficiendum nihil est corporis ac sensuum contemtu potentius, mox autem ea tantum anquirit et appetit, quæ solis blandiuntur sensibus, quia *suapte quasi vi ac natura* nihil aliud potest anquirere et appetere, cum contra alterum *φιλαυτίας* genus ex quo illa durior vitæ disciplina sequitur, prima specie certe sit tolerabilius et minus apertum. Cf. quæ de mysticis et mysticismo disseruerunt C. A. Borger. *über den Mysticismus. Aus dem Lateinischen übersetzt von* Ernst Stange. Alton. 1826. H. Schmidt. *der Mysticismus des Mittelalters.* Jen. 1824. Tzschirner. *Briefe über Gegenstände der Religion und Politik herausgegeben von Krug* p. 40 sqq. p. 45. *The feelings when separated from the ideal and no longer watched by the understanding, are only too ready to pass over into the circle of sensuality, from which we may explain how it is that men oftentimes, even those whose virtue was certainly something more than*

mere grimace, have not yet ceased to sin, and have changed from devotion to pleasure and from pleasure to devotion, as is proved not by history only but by personal experience also. Adde Euseb. H. E. v. 1. ad fin. (pag. 329.) Moshem. *institt. histor. Christ. major. secul.* i. p. 359 sqq. Sed non solum ut mysticum, verum etiam ut Phrygem haud abhorruisse credibile est nominatim Montanum quem tamquam ducem sua sponte sequebantur sui asseclæ, certe ab illo elegantiori et bello, si diis placet, vitæ cultu. Phryges enim quam ignavi, quam imbelles et ab omni quæ viros decet, animi gravitate majorumque rerum, quam mundi muliebris studio alieni fuerint, satis docet ipse Euripid. Orest. v. 1104. ubi Pylades *Φρυγῶν γὰρ*, inquit, *οὐδέν' ἂν τρέσαιμ' ἐγὼ* et Orestes respondet: *οἵους ἐνόπτρων καὶ μύρων ἐπιστάτας*. Ubi præterea animadverti velim *ἐπιστάτας* eodem fere sensu quo supra cap. xvi. *ἐπίτροπον* dictum. Phrygum vero indoles egregie adumbratur ab eodem Euripide in eadem fabula magis etiam v. 1355 sqq. v. 1470 sqq. v. 1500 sqq., ubi ita sese gerens Phryx nescio quis a poëta introducitur, ut tandem Orestes exclamet:

> *μῶρος, εἰ δοκεῖς με τλῆναι σὴν καθαιμάξαι δέρην*
> *οὔτε γὰρ γυνὴ πέφυκας, οὔτ' ἐν ἀνδράσιν σύγ' εἶ.*

Et v. 1524 ita Orestes orationem suam finit:

> *ἀλλ' ἴτω ξανθοῖς ἐπ' ὤμων βοστρυχοῖς γαυρούμενος.*

Ita igitur nemo facile mirabitur non observasse Montanistas illud decorum quod, teste Cic. de offic. i. 17. *consentaneum sit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat* (cf. ibid. cap. 36.), nec *σεμνότητα* ac *σωφροσύνην* Christianam. Cf. 1 Tim. ii. 2, 9. Tit. ii. 2. Philipp. iv. 8. Clem. Alex. pædag. iii. 11. Præterea cf. I. E. Chr. Schmidt. *Handbuch der christlichen Kirchengeschichte* tom. iii. p. 64 sq. et quæ ipse monui ad Euseb. H. E. v. 1. not. 34. HEIN.

Ib. *στιβίζεται*] i. e. stibio linit oculos. Quid autem sit *στίβι* vel *στίμμι*, post alios optime docet Böttiger. *Sabina, oder Morgenscenen am Putztische einer reichen Römerin* p. 23. ubi leguntur hæc: *Stimmi is the Greek name for the eye-black, which the Romans call with a slight change Stibium. It was a powder either of sulphuret of lead or antimony or bismuth, just as is still used by the Orientals for the same purpose, and laid on in the same way,*

with two needles slightly curved at the top. Probably what the druggists call Stimmi, in the language of the toilet was called Kalliblepharon. Cf. Winer. *bibl. Realwörterbuch* p. 618 sq. Ipse autem Valesius ad Nicol. Damasc. p. 429. et p. 20. ed. Orell. ὁ κατεξυρημένος τε καὶ καθυπεστιβισμένος τὼ ὀφθαλμὼ, ψιμιθίῳ δὲ τὸ χρῶμα ἐναλειφόμενος laudavit Polluc. iv. 16. Hieronym. in epistola ad Furiam de viduitate servanda: *Non habuit crispantes mitras, non stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos.* Cyprian. de habit. virgin.: *Illi et oculos circumducto nigrore fuscare,* idem de bono pudicitiæ: *Quid capillorum mutatur color? Quid oculorum extremitates suffuscantur?* Ovid. Art. am. iii.

Nec pudor est oculos tenui signare favilla,
Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.

Ibi per favillam intelligit Val. pulverem e stibio, atque inde factum putat, ut hoc ipsum a quibusdam diceretur πλατυόφθαλμον, quod circumducto nigrore oculus dilatari videretur. Aliter tamen Plin. xxxiv. 6. Hæc Valesius. Multus præterea est de voce καθυποστιβίζειν Grotius in annott. ad 2 Reg. cxi. 30. Quid autem moverit Orellium, ut in supplement. notar. ad Nicol. Damasc. p. 18. loco Nicolai pro καθυπεστιβισμένος legendum putet καθυπεστιμμισμένος, non satis video. Neque enim στίμμι tantum et στιμμίζειν, verum etiam στίβι et στιβίζειν dixisse Græcos, docere eum poterat Corayus in scholiis Græcis ad Heliodor. lib. x. p. 355. quæ ipse laudavit. Cf. Maittaire *de dialectt. ling. Græcæ* p. 193. ed. Sturz. Ceterum feminas mundi sui studiosiores egregie depingit Chrysost. de Sacerd. vi. 2, 207. ed. Tauchn. καὶ γὰρ προσώπων εὐμορφία, καὶ κινημάτων διάδρυψις, καὶ βαδίσεως ἐπιτήδευσις, καὶ φωνῆς διάκλασις, καὶ ὀφθαλμῶν ὑπογραφαὶ, καὶ παρειῶν ἐπιτρίμματα, καὶ πλεγμάτων σύνθεσις, καὶ τριχῶν βαφαὶ, καὶ ἱματίων πολυτέλεια, καὶ χρυσίων ποικιλία, καὶ λίθων κάλλος, καὶ μύρων εὐοδμία καὶ τἄλλα πάντα, ἃ τὸ γυναικεῖον ἐπιτηδεύει γένος κ. λ. cf. 1 Petr. iii. 3. Xenoph. Mem. ii. 1. 22. Clemens Alex. Pædagog. iii. p. 296. ed. Potter. Chrysost. t. vi. p. 274. D. E. p. 275. A. ed. Montef. De Sardanapalo scribit Nicol. Damasc. p. 16. ed. Orell. ὅπλων μὲν οὐχ ἁπτόμενος, οὐδ' ἐπὶ θήραν ἐξιὼν, ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, ἐγχριόμενος δὲ τὸ πρόσωπον καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογραφόμενος, πρὸς δὲ τὰς παλλακίδας ἁμιλλώμενος

περὶ κάλλους καὶ ἐμπλοκῆς, τό τε σύμπαν γυναικείῳ ἤθει χρώμενος. cf. Athenæus, Deipnos. xii. 7. Xenoph. Cyrop. i. 3. Nicol. D. p. 22. *τοῦτον, ἔφη* (*Νάννβρος*) *ἄπαγε καὶ ξυρήσας τὸ ὅλον σῶμα καὶ κισηρίσας πλὴν κεφαλῆς δὶς τῆς ἡμέρας λοῦε καὶ σμῆχε ἀπὸ λεκίδου, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογραφέσθω κ. λ.* HEIN.

18, 12. *τεσσαρακοστὸν ἐτύγχανεν ἔτος*, etc] Jam videor mihi deprehendisse, quam ob causam Eusebius Apollonium hunc post anonymum illum scriptorem de quo in superiori capite actum est, collocaverit. Cum enim anonymus ille testetur, se quatuordecim annis post Montani et Maximillæ obitum libros suos scripsisse, hic autem Apollonius affirmet, quadraginta annis antequam scriberet, Montanum prophetiam suam invexisse, putavit Eusebius Apollonium anonymo illo scriptore recentiorem esse. In quo tamen, meo quidem judicio, longe falsus est; etenim Apollonius Montano adhuc superstite cum insanis suis vatibus Priscilla et Maximilla, librum suum composuit, ut ex his fragmentis quæ profert Eusebius elicitur, idque non uno loco, ut cum dixit: *ἡ προφῆτις ἡμῖν εἰπάτω τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον, τὸν λέγοντα ἑαυτὸν μάρτυρα, ᾧ συνεστιᾶται, ᾧ προσκυνοῦσι, καὶ αὐτῷ πολλοί.* Et paulo post de eodem Alexandro loquens ait: *ὃν ὁ προφήτης συνόντα πολλοῖς ἔτεσιν, ἀγνοεῖ.* Ex quibus verbis apparet, et Alexandrum et Montanum ipsum ac Maximillam adhuc vixisse, cum hæc scriberet Apollonius. Neque vero ait Apollonius, quadraginta annos effluxisse ab obitu Montani ad tempus quo ista scribebat. Sed id tantum dicit, quadraginta annis ante quam ipse ad scribendum accederet, Montanum pseudoprophetiam suam invexisse. Ponamus igitur Montanum anno ætatis tricesimo fabulam suam inchoasse. Cum Apollonius contra ejus sectam scriberet, vix Montanus septuagesimum annum excesserat. Maximillam autem et Priscillam non statim ab ipso sui erroris exordio Montanus comites habuit, sed eas diu postea prophetiæ suæ retibus implicuisse ac decepisse mihi videtur. VALES.

18, 13. *τὸν Σωτῆρα—Ἱερουσαλήμ*] Idem refert Clem. Alex. Strom. vi. 5. p. 762. ex prædicatione Petri. cf. Moshem. *Commentt. de rebus Christ. a. C. M.* p. 78. Schröckh. *christl. K. G.* t. ii. p. 121. HEIN.

19, 2. Ἐπιλεγομένης νέας προφητείας] Tertullianus de jejuniis initio: *Hi paracleto controversiam faciunt, propter hoc novæ prophetiæ recusantur.* Et in lib. iii. contra Marcionem sub finem de cœlesti Hierusalem loquens: *hanc et Ezechiel novit et Joannes apostolus vidit, et qui apud fidem nostram est, novæ prophetiæ sermo testatur; ut etiam effigiem civitatis ante repræsentationem ejus conspectui futuram in signum prædicarit.* Et in libro iv. cap. 22, et in libro de resurrectione carnis sub finem. Hieronymus in Catalogo ubi de Gaio. Firmilianus quoque in epistola ad Cyprianum: *Illi qui Cataphrygas appellantur, et novas prophetias usurpare conantur.* Et rursus in eadem epistola: *Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitant, qui etsi novos prophetas recipiunt*, etc. Vetus auctor qui adversus Cataphrygas scripsit, in prooemio ad Avircium Marcellum καὶ καταλαβὼν τὴν κατὰ Πόντον ἐκκλησίαν ὑπὸ τῆς νέας ταύτης, οὐχ, ὡς αὐτοί φασι, προφητείας, etc. Eodem referendum est, quod legitur in præfatione passionis SS. Perpetuæ et Felicitatis: *Itaque et nos, qui sicut prophetias, ita et visiones novas pariter repromissas et agnoscimus et honoramus* etc. quam quidem præfationem a Montanista quodam scriptam esse non dubito. Nam et superiora id docent, ubi dicit: *Sed viderint, qui unam virtutem spiritus unius sancti pro ætatibus judicent temporum: cum majora reputanda sint novitiora quæque* etc. Psychicos enim alloquitur. VALES.

19, 3. ἀπὸ Δεβελτοῦ κολωνείας τῆς Θράκης] Sic supra innominatus auctor de Zotico episcopo dixit: ἀπὸ Κομάνης, et Polycrates in epistola ad Victorem papam Θρασέας ἀπὸ Εὐμενείας. Multa hujusmodi ἐθνικὰ efferuntur cum præpositione, ut notavit Stephanus in libro de urbibus. Debeltum seu Develtum colonia in Thracia memoratur a geographis, et in nummis veteribus quos edidit Joannes Tristanus. Anchialus quoque quæ postea nominatur, urbs est Thraciæ satis nota. Sed non sine causa mirari subit, cur in hac epistola Serapionis Antiocheni episcopi, subscriptiones episcoporum Thraciæ fuerint adjectæ. Equidem si conjecturæ indulgere licet, existimo episcopos Thraciæ epistolam scripsisse ad ecclesias Asiæ et Phrygiæ adversus prophetiam Montani. Eodem plane modo, quo presbyteri Viennensis ac Lugdunensis ecclesiæ super eodem negotio ad illas scripserant, sententiam suam de nova illa

prophetia exponentes, ut supra retulit Eusebius. Certe has subscriptiones ad calcem alicujus epistolæ adjectas fuisse docet vel hæc una Aurelii Cyrenii subscriptio, *Aurelius Cyrenius martyr, opto vos bene valere.* Porro ipsius Serapionis epistolæ episcopos illos subscripsisse, nequaquam verisimile est. Primo quia Eusebius id non dicit, sed tantum subscriptiones plurium episcoporum in illa Serapionis epistola contineri, sicut Apollinaris Hierapolitani epistola eidem Serapionis epistolæ subjecta fuerat. Hoc enim consulto fecerat Serapio, ut plurium episcoporum auctoritate Montani sectam convinceret. Præterea qua ratione fieri posset, ut episcopi Thraciæ subscriberent literis episcopi Antiocheni? Credibilius itaque est id quod dixi, episcopos scilicet Thraciæ communi nomine scripsisse ad ecclesias Asiæ et Phrygiæ. Quod autem Baronius hæc in concilio gesta esse censet in annalibus ad annum Christi 173. numero 19., ægre id illi concesserim. Neque enim subscriptiones illæ synodicas literas sapiunt, nec Eusebius ullum concilium vel in Asia ab Apollinare, vel in Græcia coactum esse scribit. Sed nec Tertulliani locus ex libro de jejuniis quicquam facit pro Baronio: *Aguntur præterea per Græcias illa certis in locis concilia ex universis ecclesiis, per quæ et altiora quædam in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis Christiani, magna veneratione celebratur.* Hic enim Tertullianus non de conciliis catholicorum loquitur, sed de conventibus Montanistarum, ut sequentia aperte demonstrant. VALES.

Ib. ὁ ἐν Ἀγχιάλῳ] Id est, episcopus Anchiali, quod est oppidum in Thracia ut dixi. At Christophorsonus hæc ita vertit, quasi Sotas in urbe Anchialo dæmonium Priscillæ ejicere voluerit, quod falsum est. Neque enim Priscilla Anchialum venit, sed Sotas episcopus fama novæ illius prophetiæ excitus, ex Thracia in Phrygiam navigaverat, ibique Priscillam, non divino Spiritu, sed a dæmone agitari cernens, eam exorcismis purgare tentaverat. Non solus autem Sotas, sed et plurimi alii episcopi in Phrygiam tunc temporis profecti sunt, ad prophetiam illam de propinquo examinandam, ut diserte testatur anonymus ille scriptor in cap. 16. supra. Porro notandum est, Sotam mortuum jam fuisse, cum hæc scribebat Ælius Julius. Quod satis indicat vox illa μακάριος,

quam Græci de mortuis solent usurpare. Quod si Sotas adhuc superfuisset, ipse profecto hanc rem subscriptione sua firmasset. Sic etiam intelligendum est, quod Serapio Apollinarem *μακαριώτατον* appellat, quippe qui jam vivere desiisset. VALES. Sotam eundem esse cum Zotico, superiori capite commemorato, putavit Semler. HEIN.

20, 1. Ἐξ *ἐναντίας δὲ τῶν ἐπὶ Ῥώμης*] De epistola Irenæi ad Blastum vid. Dodwell. in *dissert. in Irenæum* iii. §. 24. vi. §. 7. Massuetus in *diss. in Iren.* ii. §. 59. HEIN.

Ib. *περὶ μοναρχίας*] Veteres Christiani hac voce crebro uti solebant, quoties adversus gentiles disputarent. Eoque titulo complures libros ediderunt, ut unum Deum omnium rerum conditorem regemque esse ostenderent. Et monarchiam quidem Deo patri, *οἰκονομίαν* vero, id est, dispensationem atque administrationem, adsignabant Filio et Spiritui sancto, ut docet Tertull. adversus Praxeam, et Tatian. adversus Græcos. Extat hodie Justini liber inscriptus hoc titulo. Porro ut ad Irenæi librum accedamus, ex ipso titulo colligi potest, Florinum duo principia invexisse, et Marcionis ac Cerdonis dogmatibus adhæsisse, et alterum quidem bonorum, alterum mali auctorem affirmasse. VALES. Certum est, Marcionem illo tempore vixisse et docuisse, at ex Irenæi libri inscriptione nullo modo potest concludi quod Val. voluit, neque aliorum testimoniis illud convenit. Vid. Grabius *prolegg. in Iren.* sect. ii. §. 7. tom. ii. p. 166. ed. Massuet. cf. Fuldner. *de Carpocratianis* l. l. p. 229. sq. Massuet. *dissert.* p. 104. n. 58. HEIN.

20, 2. *δι' ὃν αὖθις*] Transpositum est adverbium, ut ex versione nostra lector animadvertet. Amat autem hujusmodi verborum trajectiones Eusebius noster. Quod ab interpretibus minime observatum, hic semel monendum esse duxi. VALES.

Ib. *τὸ περὶ ὀγδοάδος*] Hieronymus in Catalogo habet, *περὶ τῶν ὀγδοαστῶν egregium σύνταγμα.* De Ogdoadibus Valentini vide Irenæum et Epiphanium. VALES.

Ib. *σημειώσιν*] Hieronymus et Rufinus *subscriptionem* verterunt, quos secutus est Christophorsonus. Fateor quidem *σημειώσιν* interdum pro *subscriptione* sumi, ut in superiori capite vidimus. Hic tamen ita sumi non potest. Nam sub-

scriptio nomen subscribentis debet exprimere. Quod cum hoc loco minime factum sit, nequaquam hæc subscriptio dici debet, sed potius *adnotatio*. Sic σημειώσεις dicebantur notæ illæ, quæ ad marginem scriptorum codicum appingebantur, ut lector rem notatu dignam ibi contineri intelligeret. Quæ nota in plerisque adhuc Græcis exemplaribus reperitur compendiose expressa duabus tantum prioribus literis quæ significant σημείωσαι.[s] Ceterum hoc Irenæi factum adeo placuit Eusebio, ut eandem quoque obtestationem ipse in vestibulo chronici sui apposuerit. VALES.

20, 7. ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ——αὐλῇ] Dodwell. *dissert. in Iren.* iii. n. 10. interpretatur hoc de aula Hadriani, cum imperator Smyrnæ ageret in Asia Lydiana s. proconsulari sitæ, quæ inferioris Asiæ nomine appellabatur, ut a superioris Asiæ provinciæ Bithynia, distingueretur, ut animadvertit Lowth. HEIN.

20, 10. καὶ ἐμφράξας τὰ ὦτα] Hic mos erat veterum Christianorum, ut si forte in familiari colloquio impium aliquem sermonem et a fidei Catholicæ regula dissentientem audiissent, protinus obturatis auribus sese in fugam darent. Qua de re locus exstat illustris in lib. ii. recognitionum Clementis, ubi Simon b. Petro ait: *Si dixero quod neque tibi consonum, nec vulgo huic imperito rectum videtur, tu quidem quasi obstupefactus, aures continuo occludens, velut ne blasphemia polluantur, verteris in fugam.* Sed et Irenæus in lib. iii. contra hæreses capite quarto eundem morem declarat his verbis: *Quibus si aliquis annuntiaverit ea quæ ab hæreticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium.* Præterea Athanasius in epistola ad solitarios: ὃ τίς ἀκούσας οὐ δακρύσειε, τάχα καὶ τὴν ἀκοὴν κλείσειεν, ἵνα μηδὲ ἑτέρου λέγοντος ἀνέχηται. Hieronymus denique in lib. i. adversus Rufinum: *Lectis nuper Theophili papæ epistolis, in quibus Origenis exponit errores, dicitur obturasse aures suas, et*

s Massuetus in *animadversionibus ad Fragmenta deperditorum operum Irenæi* t. i. p. 339. de veritate interpretationis Val. dubitat et non male *clausulam* libri σημείωσιν illam dici observat. Ducta autem esse possit et duci illa significatio inde, quod ipsæ subscriptiones, quæ alias vocantur σημειώσεις, ad finem alicujus scripti solent apponi. Cf. Du Fresne *Glossar. med. et inf. Græc.* p. 1362. HEIN.

auctorem tanti mali clara coram omnibus voce damnasse. Quibus addi potest locus ex epistola b. Petri Alexandrini episcopi, de his quæ Alexandriæ facta sunt ab Arianis: κατὰ τῶν τοῦ Χριστοῦ παρθένων ὕβρεις, ἃς ἡ γλῶττα προφέρειν οὐκ ἀνέχεται· αἰσχρὸν γάρ ἐστιν καὶ λέγειν. Καὶ γὰρ μόνον τις τῶν εὖ φρονούντων ταύτας ἄκουσας, ἔβυσε τὰς ἀκοὰς, καὶ μᾶλλον ηὔξατο ἂν γενέσθαι κωφὸς, ἢ αὐτήκοος γενέσθαι. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, p. 187. Porro hunc morem Christiani a Judæis hauserant. De quibus idem testatur Lucas in cap. 7. actuum apostolorum: κράξαντες δὲ φωνῇ μεγάλῃ, συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν, καὶ ὥρμησαν ὁμοθυμαδὸν ἐπ' αὐτόν. Hieronym. in ep. ad Pammach. adv. errores Joann. Hierosol. p. 235. item Aug. in serm. 84. de festivitate paschæ. VALES. Cf. quæ animadverti ad Euseb. H. E. vii. 30. HEIN.

21, 2. Ἀπεδύετο] Metaphora est ab athletis, qui luctaturi corpora nudabant, et variis artibus ac machinamentis adversarios prosternere studebant. VALES.

Ib. Ἀπολλώνιον] Hunc Apollonium Nicephorus quidem eundem esse existimavit cum illo, qui adversus novam Montani prophetiam scripsit, de quo supra in cap. 16. Sed Hieronymus in Catalogo eos distinxit, rectius ut apparet. Et hunc quidem de quo in præsenti capite scribit Eusebius, senatorem urbis Romæ vocat: de suo id admensus. Neque enim hoc dicit Eusebius. Verum de hac re infra videbimus. VALES.

Ib. ἐπιτηδείων αὐτῷ διακόνων] Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis hunc servum Apollonii esse existimavit, quem secutus est Christophorsonus. Certe ex versione Christophorsoni apparet, illum in Eusebio legisse αὐτοῦ διακόνων, contra fidem omnium exemplarium. Obscurum etiam est quod ait ibidem Hieronymus: *A servo Severo proditus*, quasi Severus nomen esset servi. Sophronius tamen vertit: παρὰ τοῦ δούλου παρὰ Σεβήρῳ προδοθεὶς, quasi Severus nomen esset judicis, ad quem delatus fuerat Apollonius. Sed hunc sensum refutat Eusebius, qui judicem ipsum apud quem Apollonius est accusatus, Perennem vocat, non Severum. VALES.

21, 3. κατὰ βασιλικὸν ὅρον] Intelligit legem Divi Marci, quæ pœnam capitis sanxerat in eos qui Christianos in judicium detulissent, ut testis est Tertullianus in apologetici cap.

5. Exstat lex ipsa M. Aurelii imperatoris ad commune Asiæ supra in lib. iv. c. 13. ubi vide quæ annotavi. At Rufinus legem Trajani videtur intellexisse, vel certe Hadriani ad Minucium Fundanum. VALES.

Ib. *λιπαρῶς ἱκετεύσαντος τοῦ δικαστοῦ*] Solebant interdum judices ipsi qui Christianos ad se delatos interrogabant, hortari ipsos et obtestari, ut parcerent et consulerent sibi, et deorum cultum amplecterentur. Cujus rei infinita exstant exempla apud Tertullianum, Eusebium, et in actis martyrum. VALES.

Ib. *ἐπὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς*] Miror id dici de Perenne, quem constat præfectum prætorii fuisse sub Commodo. Erant autem præfecti prætorio, illis temporibus ex equestri ordine, nec in senatu sedendi jus habebant. Itaque imperatores quoties præfectum prætorii exauctorare vellent, senatorem eum faciebant, laticlavia ei veste submissa, ut docent scriptores historiæ Augustæ. Quomodo igitur fieri potuit, ut Perennis qui erat præfectus prætorio, præciperet Apollonio ut in senatu rationem fidei suæ redderet? Quod si dicas Apollonium fuisse senatorem, ac proinde Perennem jussisse ut coram senatu rationem cultus sui redderet, id concedamus si placet. Sed tunc nascetur alia difficultas, quomodo Perennis de capite senatoris Romani judicare potuerit. Neque enim præfectus prætorio, sed præfectus urbi de causis senatorum cognoscebat. Ex his facile mihi persuadeo, Apollonium fuisse senatorii ordinis, ut scripsit Hieronymus; qui cum judicio nescio cujus desperati hominis, delatus fuisset ad Perennem præfectum prætorii quasi Christianus, interrogatus a judice, cujus dignitatis esset, cum se senatorii loci esse respondisset, jussus est a Perenne coram senatu rationem fidei suæ reddere. Quod cum Apollonius disertissime præstitisset, senatus sententia extremo supplicio affectus est. Quidni vero credamus Hieronymo, qui et in libro de ecclesiasticis scriptoribus, et in epistola ad Magnum, tam diserte significet Apollonium fuisse senatorem? Etsi enim hoc distincte non dicit Eusebius, id tamen ex ejus narratione omnino colligitur ut supra ostendi. Deinde potuit Hieronymus legere acta ipsa passionis Apollonii, ad quæ nos ablegat Eusebius. In quibus actis, et senator Romanus et a servo suo proditus

dicebatur, ut credibile est. Hæc autem acta Græco sermone perscripta fuerant Romæ a Græcis hominibus, eodem modo quo acta martyrum Lugdunensium Græce scripta sunt Lugduni. VALES.

Ib. παρασχὼν ἀπολογίαν] Hieronymus ex hoc Eusebii loco male intellecto, Apollonium inter scriptores ecclesiasticos numeravit. *Apollonius*, inquit, *Rom. urbis senator, sub Commodo principe a servo proditus quod Christianus esset, imperato ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit, quod in senatu legit, et nihilominus sententia senatus pro Christo capite truncatus est.* Quæ sine dubio Hieronymus ex prava Rufini interpretatione hausit, quam secutus quoque est Christophorsonus.[t] Verum Eusebius Apollonium coram judicibus pro fidei suæ defensione disertissime perorasse tantum dixit, non autem apologeticum ab eo esse conscriptum. Hunc Rufini et Hieronymi errorem jampridem notavit Scaliger in animadversionibus Eusebianis pag. 208. Cui in hac quidem parte libenter accedo. In eo vero quod Eusebii nostri verba interpolavit, longe, meo quidem judicio, fallitur. Cum enim in Eusebii libris legatur: πολλὰ λιπαρῶς ἱκετεύσαντος τοῦ δικαστοῦ, καὶ λόγον αὐτὸν ἐπὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς αἰτήσαντος, Scaliger correxit ἱκετεύσας τοῦ δικαστοῦ καὶ λόγον αὐτῷ ἐπὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς αἰτήσας δοῦναι. Atque ita interpretatur: *Deo autem acceptissimus martyr, postquam multis precibus a judice contendisset, ut in senatu rationem reddere sibi liceret,* etc. Verum huic emendationi omnes scripti codices, et ratio ipsa refragatur. Hieronymus quoque ita legit ut hodie editum est, vertit enim: *Imperato ut rationem fidei suæ redderet.* VALES.

Ib. ὡς ἀπὸ δόγματος] Omnes interpretes et ipse Scaliger hunc locum ita verterunt, quasi prima particula otiosa sit. Quod tamen verum non puto. Primum quia senatores judices non erant, nec jurisdictionem habebant. Deinde Perennis qui judex erat in ea causa, Apollonium ad senatum remiserat, non ut senatus de eo judicaret, sed ut Apollonius coram eo

[t] Hoc nullo modo potuisse fieri, cum multis annis Hieronymus scripserit catalogum suum, antequam Rufinus verteret Eusebium, monuit Pagi *Crit.* t. i. p. 180. ad a. C. 187. citante Readingo ad h. l. cf. Halloixius in *notationibus ad vitam Apollinaris* c. 3. et Pearson. *vind. Ign.* P. i. p. 88. quos laudat Pagi, qui l. l. quoque ostendit Apollonium martyrium fecisse ante a. C. 186. HEIN.

rationem cultus sui redderet. Hunc scilicet honorem senatui deferendum putavit, ut hominem senatorii ordinis non prius damnaret, quam senatus ipse de ejus crimine cognovisset. Senatus igitur cum Apollonium audiisset, hominem juxta legum præscripta judicandum esse respondit. Posthæc Apollonius capite plexus est, judicio quidem Perennis ipsius, sed tamen ex senatus sententia, eo quod senatus reum audierat, et in damnationem ejus consenserat. VALES.

Ib. *ἀρχαίου παρ' αὐτοῖς νόμου*] Lex pro more et consuetudine hic sumi videtur. Quamquam interpretes de lege scripta hæc accepisse video. Legem igitur seu rescriptum Trajani ad Plinium secundum intelligo, in quo cavetur Christianos quidem inquirendos non esse, oblatos vero puniri oportere. VALES.

23, 4. *τῶν ἀρχαίων μαρτύρων συναχθείσης ἡμῖν ἀναγραφῆς*] Longe rectius in cod. Maz. et Fuk. legitur *μαρτυρίων*. Nam Eusebius passiones martyrum quæ Græce *μαρτυρία* dicuntur, collegerat, partim ex actis judicialibus, partim ex epistolis fidelium, ut ipse testatur in lib. iv. cap. 15. Hoc opus inscriptum erat *ἀρχαίων μαρτυρίων συναγωγὴ*, ut videre est in procemio hujus libri. Quod postea Symeon Metaphrastes in collectionem suam transfudit. VALES. Duplex composuerat Eusebius opus, in quo de iis, qui ad sua usque tempora martyrium passi erant, copiose exposuit, majus, nunc deperditum, in quo de iis qui in universo imperio Romano martyres facti erant egit, minus, quod etiamnum exstat, in quo de martyribus Palæstinentibus magis proprio Marte egit, quam illud fecerat in majori. cf. viii. 13. Möller. p. 18. In hoc ipso autem conficiendo minime imitari voluisse Eusebium Julium Africanum qui teste Surio *act. Sanctt.* p. 210. n. 1., historiam martyrum Romanorum conscripserit, recte negat contra Baillet. *Abhandlung von der Geschichte der Märtyrer und Heiligen* p. 13. Danz. *de Eus.* p. 58. sq. HEIN.

22, 1. *Δέκα πρὸς τρισίν*] At in chronico anni 15. assignantur Eleuthero, et ad ultimum usque Commodi annum ejus pontificatus producitur. Quæ profecto mira dissensio est. VALES. Vid. quos laudat Reading., Dodwell. *dissert. de pont. Rom. succ.* p. 40. Pagi *Crit.* t. i. p. 182. Pearson. *de annis Rom. pont.* c. xiv. in. HEIN.

22, 2. Βάκχυλλος] Rectius apud Nicephorum scribitur Βάκ-

χυλος, nec aliter Rufinus et Hieronymus. Græci hujusmodi ὑποκοριστικὰ per simplex λ efferre solent, Βάκχυλος, ex quo Βακχυλίδης, Σιμύλος, Παπύλος, Αἰσχύλος, Δημύλος. Interdum tamen per duplex λ efferunt diminutiva vocabula, ut Δίυλλος et Ἡρύλλος, quod est parvus Jupiter, parvus Hercules. Ita ergo Βάκχυλλος parvus Bacchus. VALES.

23, 1. Ὅτι δὴ τῆς Ἀσίας ἅπασαι αἱ παροικίαι] Asia tribus modis sumitur, ut docet Aristides in allocutione Smyrnæa ad imperatorem. Interdum enim accipitur pro tertia parte orbis terrarum, interdum pro provincia, in novem conventus seu jurisdictiones divisa, quæ parebat Romano proconsuli, nonnunquam strictius sumitur pro ea regione quæ ad fontes Mæandri porrigitur. Cum igitur Eusebius hic affirmet Asiæ totius ecclesias diem paschæ una cum Judæis celebrasse, quæri merito potest quomodo hic sumendum sit Asiæ nomen. Mihi quidem videtur intelligi provincia Asia quam proconsul regebat. VALES.

Ib. πάσχα ἑορτῆς] Πάσχα h. l. de paschate σταυρωσίμῳ dici patet. Vid. Walch. *Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzereien*, t. i. p. 670. sqq. Cf. Stroth. *Uebersetzung der K. G.* t. i. p. 390. not. 3. HEIN.

Ib. κατὰ ταύτην τὰς τῶν ἀσιτιῶν ἐπιλύσεις] Jacobus Usserius in Prolegomenis ad Ignatii epistolas c. 9. scribit Asianos qui primo azymorum die cum Judæis pascha celebrabant, eum diem cum luctu ac jejunio transegisse eoque demum transacto jejunium quadragesimale solvisse. Verum huic sententiæ refragatur Eusebius, qui diserte affirmat Asianos die 14. primi mensis, quamvis non esset dominica, finem statuisse quadragesimæ. Quod vero Usserius affert Chrysostomi testimonium, meo quidem judicio ejus sententiam nihil adjuvat. Nam Chrysostomus in oratione illa adversus eos qui primo pascha jejunant, invehitur adversus quosdam Quartadecimanos, qui 14. luna cum Judæis pascha celebrabant, eoque die jejunabant ac mysteria celebrabant, id enim proprium erat Quartadecimanorum, ut in eorum hæresi tradit Epiphanius. Verum priscos Asianos ita fecisse, nec Chrysostomus, nec alius quisquam dixit. VALES. Cf. Petavii *animadvv. Epiph.* p. 291. HEIN.

Ib. ταῖς ἀνὰ τὴν λοιπὴν ἅπασαν οἰκουμένην ἐκκλησίαις] No-

tanda sunt hæc Eusebii verba, quibus aperte significat, solos Asianos tunc temporis pascha cum Judæis celebrasse, reliquas autem omnes ecclesias aliter observasse. Quare non assentior Halloixio nec Usserio aliisque, qui credunt Syros etiam ac Mesopotamenos ac Cilicas idem tunc fecisse quod Asianos. Immo vero Syri et Mesopotameni hoc quidem tempore recte sentiebant, ut patet ex eorum conciliis, quæ hic ab Eusebio memorantur. Nam Osdroëne pars est Mesopotamiæ. Postea vero ad Judaicam observationem delapsi sunt, idque ante concilium Nicænum, ut docet Athanasius. Contra vero Asiani, damnato pristino errore saniorem sententiam amplexi sunt. Certe ante concilium Nicænum Asiani morem ecclesiæ Romanæ sequebantur in observatione paschæ, ut docet epistola Constantini ad ecclesias, quam refert Eusebius in libro iii. de ejus vita cap. 18. VALES.

Ib. *τὰς νηστείας ἐπιλύεσθαι*] Paulo ante dixerat *τὰς τῶν ἀσιτιῶν ἐπιλύσεις ποιεῖσθαι*. Cyrillus in homiliis Paschalibus *περιλύειν τὰς νηστείας*, pro eodem frequenter usurpat. Dicebantur etiam *ἀπολύειν*. Ita Epiphanius in hæresi 75. quæ est Aerianorum *ποίαν τε ἡμέραν ἄγειν, πῶς τε ἀπολύειν εἰς ἐπιφωσκοῦσαν κυριακὴν φανερόν ἐστι*. Item in expositione fidei catholicæ, *ἐν ἄλλοις δὲ τόποις οὐ γίνεται λατρεία τῆς οἰκονομίας, ἢ μόνον ἐπιφωσκούσης τῆς κυριακῆς, ὅτε ἀπολύει περὶ τὴν τῶν ἀλεκτρυόνων κλαγγήν*. Scio quidem doctissimum Epiphanii interpretem *ἀπολύειν* vertisse *dimittere populum*. Verum interpretationem nostram confirmat Clemens in libro v. Constitutionum cap. 15. qui pro verbo *ἀπολύειν*, quo usus est Epiphanius, posuit *ἀπονηστίζεσθαι*. Qua voce usus est etiam Dionysius Alexandrinus in epistola ad Basilidem, et Hippolytus in canone paschali. Quæsitum fuit apud veteres, qua hora solvendum esset jejunium paschale. Alii usque ad diluculum dominicæ paschalis post galli cantum aiebant producendum esse jejunium, ut videre est apud Epiphanium et Clementem. Alii vespera sabbati paschalis jejunium dissolvebant. Atque ita præcipit Cyrillus in homiliis paschalibus. Quæ quidem institutio utilior videtur, et rationi magis consentanea. Nam cum nocte quæ paschalem diem antecedit, pernoctandum esset in ecclesia, propter laborem vigiliæ sic jejunium solvi oportuit, ne fideles in ecclesia fatiscerent.

Certe olim in ecclesia Romana sabbatis per quadragesimam non jejunabant, propterea quod ab eo die in ecclesia b. Petri vigilias agere consueverant, ut docet Leo in sermone 4. de quadragesima. Sed et monachi quoties vigilandum esset, maturius finiebant jejunium, διὰ τὸν κόπον τῆς ἀγρυπνίας, ut legitur in Typico sancti Sabæ. VALES.

23, 2. ἐκκλησιαστικὸν δόγμα] Beveregius hoc refert ad Can. apostol. vii. hunc: εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας (æquinoctium) μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσειε, καθαιρείσθω in *Cod. Canon. eccles. primit. vindic.* ii. 3. et *annott. in Canones apostol.* p. 4. citante Readingo. HEIN.

23, 3. ὧν προὐτέτακτο Θεόφιλος] Nicephorus cum hunc Eusebii locum exscriberet, Narcissum Hierosolymorum episcopum Theophilo Cæsariensi episcopo præposuit, in quo longe falsus est. Nam Cæsariensis episcopus, ante concilium Nicænum, et diu postea, Metropolitani honorem ac dignitatem semper obtinuit, ita ut omnibus Palæstinæ conciliis præsideret tanquam primæ sedis episcopus. Nihilominus tamen Hierosolymorum episcopis honor semper est habitus, utpote apostolicæ ecclesiæ quæ prima episcopum habuisset. Itaque quodam honoris privilegio fruebantur ejus sedis episcopi, nec Cæsariensi episcopo subjacebant, sed erant αὐτοκέφαλοι. Id declarat Canon 7. concilii Nicæni. Sed et Græcus auctor Synodici, cum Cæsariensem episcopum Hierosolymitano anteponi minime ferret, duas ex una finxit synodos, primam Hierosolymitanam Narcissi, secundam Cæsariensem Theophili. VALES.

Ib. καὶ τῶν ἐπὶ Ῥώμης—δήλουσα perperam vertit Valesius: *Alia item exstat epistola synodi Romanæ, cui Victoris episcopi nomen præfixum est.* Nullum enim in illis verbis vestigium synodi Romanæ, et ex nomine Victoris epistolæ præfixo luculenter apparet, epistolam ipsam non fuisse concilii multorum episcoporum, sed unius Victoris, propterea quod synodicas epistolas omnes episcopi qui aderant, solebant subscribere. Neque igitur inde probari posse, quod voluerunt probare pontificii, Victorem in lite de paschate concilium etiam episcoporum Italicorum Romæ habuisse, verissime monuit Moshem. *Commentt. de rebus Christ. a. C. M.* p. 276. sq. Nec

recte Strothius: "*Gleichermaassen hat man noch einen andern Brief, von den Bischöffen, die zu Rom wegen dieser Streitigkeit versammelt waren, denen der Name des Bischofs Victor vorgesetz ist.*" Nihil enim ex illis verbis potest effici, nisi Victorem in concilium vocatis *presbyteris Romanis*, ex eorum consensu et ecclesiæ suæ nomine illas litteras exarasse. HEIN.

Ib. Πάλμας] Erat hic episcopus Amastridis in Ponto, de quo Dionysius Corinthiorum episcopus in epistola ad ecclesiam Amastrianorum, teste Eusebio in lib. iv. cap. 23. Eodem nomine fuit quidam vir consularis quem Hadrianus occidi jussit, ut scribit Spartianus. Male a Rufino et Christophorsono Palmas dicitur et Palmeas. Nam Πάλμας Latinis est Palma, ut Μίδας Mida, Θρασέας Thrasea, Μνασέας Mnasea. Porro Eusebius hunc Palmam præsedisse ait ob antiquitatis prærogativam: non autem quasi metropolitanum. Neque enim Amastris, sed Heraclea metropolis fuit urbium Ponti. Verum in ecclesiasticis conciliis diversa fuit sedendi ratio pro diversis temporibus ac locis. Simplicissima quidem et rationi maxime consentanea sessionis fuit ratio, ut antiquissimus episcopus ceteris præsideret. Postea episcopis primariarum urbium seu metropoleon, id honoris concessum. Apostolicæ vero sedes utpote matres reliquarum ecclesiarum, citra controversiam principem semper locum obtinuerunt. Inter quas Romana ecclesia, tanquam caput omnium ecclesiarum ab apostolicis usque temporibus habita est. VALES.

23, 4. καὶ ἰδίως Βακχύλλου] Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis hunc locum ita exponit: *Bacchylus Corinthi episcopus sub eodem Severo principe clarus habitus, de pascha ex omnium qui in Achaia erant episcoporum persona, elegantem librum scripsit.* Ex his apparet, Hieronymum vocem ἰδίως ita interpretatum esse, quasi Bacchylus seorsum et ipse in Achaia concilium congregaverit. Verum alius quoque sensus afferri potest, ut scilicet Bacchylus privato nomine epistolam scripserit de pascha, non autem synodicam ut ceteri. Sic ἰδίαν ἐπιστολὴν dicit Eusebius in lib. vi. cap. 11. VALES. Præterea cf. iv. 14. HEIN.

24, 1. Πρὸς Βίκτορα cf. supra iii. 31. HEIN.

24, 2. De verbis μέγαλα στοιχεῖα cf. supra iii. 31, (pag. 185. sq.) Euripid. Iphig. A. v. 1050 sqq. μέγα—μέγα φῶς—

γεννάσεις. Cicer. de offic. iii. 16. qui *lumen illud* progenuit. Ernesti *Clav. Cic.* s. v. *lumen.* HEIN.

24, 3. τὸ πέταλον πεφορεκὼς] Hieronymus in lib. de scriptoribus ecclesiasticis hæc Polycratis verba sic vertit: *Qui supra pectus Domini recubuit, et pontifex ejus fuit, auream laminam in fronte portans.* Rufinus vero ita interpretatur: *Qui fuit summus sacerdos et pontificale* πέταλον *gessit.* De pontificatu Judæorum hæc non esse accipienda, satis apparet. Neque enim Joannes pontifex fuit Judæorum, aut ex genere sacerdotali. Itaque recte Hieronymus vocem addidit *pontifex ejus*, id est, Christi.[u] Tria enim in Joanne notat Polycrates, quæ ad commendationem ejus faciebant. Primum quod sacerdos fuerit, deinde quod martyr, tertio quod doctor seu evangelistes. Proinde ut martyr Christi et evangelistes Christi fuit, sic etiam sacerdos Christi intelligatur necesse est. Quod autem de lamina dicit Polycrates, credibile est primos illos Christianorum pontifices exemplo Judaicorum pontificum, hoc honoris insigne gestasse. Certe et Jacobum fratrem Domini qui primus Hierosolymis episcopus est ordinatus, pontificalem laminam in fronte gestasse, auctor est Epiphanius in hæresi Nazaræorum, et in hæresi 78. Idem de Marco evangelista tradit auctor MS. passionis ejus: *Quem quidem b. Marcum juxta ritum carnalis sacrificii, pontificalis apicis petalum in populo gestasse Judæorum, illustrium virorum syngraphæ declarant, ex quo manifeste datur intelligi, de stirpe eum Levitica, immo pontificis Aaron sacræ successionis originem habuisse.* VALES. Cf. supra iii. 31. Hieronym. de scriptt. eccles. c. 45. Epiphan. hær. xxix. Suicer. *Thes.* t. ii. p. 698. Le Moyne in *varr. sacr.* t. ii. p. 25. sqq. propter illud πέταλον illam Polycratis epistolam aut interpolatam esse aut ipsum Polycratem fabulam narrare illi similem, quam Hegesippus, Eusebius, Epiphanius de pontificatu, πετάλῳ, morte et sepulchro Jacobi narrant, contendit. Ita autem Le Moyne (l. l. p. 26. sq.) disputat: "*Quis facile potest adduci, ut credat Joannem in fronte gestasse* πέταλον (i. e. laminam auream), *et insignia manifesta summi sacerdotii. Christus ipse summus pontifex abstinuit ab istis insignibus, an credibile est Joannem*

[u] Neque vero dicitur h. l. Johannem fuisse *summum* sacerdotem Christi, sed simpliciter sacerdotem. HEIN.

illis voluisse gloriari? An Christiani hoc tulissent (?), *an tulissent ipsi Judæi, an non in illum irruissent, tanquam in eum, qui involasset jura summi pontificis? An in Judæorum offendiculum, tam inutili et intempestiva ornamentorum pontificalium affectatione gaudere voluisset? Quid si regiis insignibus voluisset superbire, et coronam Herodis gestare, an non omnibus se ridendum et pellendum se præbuisset? Cui ergo fiet verisimilius, illi impune fuisse pontificalibus ornamentis, et lamina sacerdotali coronari et indui, nullo certe sano et profuturo consilio, cum typhus iste Christianis ingratus fuisset* (de eo tamen potest dubitari!), *Judæorum animos alienasset et exasperasset, ludibria vero et cachinnos excitasset ethnicorum, qui Judæos et Judaica despuebant et contemnebant?*" Ipse tamen V. D. statim post l. l. p. 27. sq. aliis quibusdam interpretationibus illam narrationem tueri studet, quarum vero nulla nisi secunda mihi quidem nonnihil placet. Satis enim improbabile est, quod proponit primo loco: "*Vel Polycrates Joannem apostolum habuit pro Joanne baptista, qui cum esset ex genere sacerdotali, hinc Joanni summum* (?) *sacerdotium et laminam auream tribuit,*" neque magis se commendat, quod tertio loco dicit (p. 28.) et quod ipse præfert: "*Vel — metaphorice loquitur Polycrates, qui cum summum sacerdotem lamina instructum aurea, sanctuarium penetrasse, mysteria Dei et arcana explorare novisset, ut Joannem apostolum laudibus eveheret, illius exquisitam cognitionem et doctrinam aliorum cognitioni anteferret, illum in sinu Domini recubuisse memorat, summum* (?) *fuisse sacerdotem, familiares cum Domino habuisse sermones, illum adyta Dei explorasse et evangelii arcana præ omnibus aliis penetrasse.*" Similiter illum vocari etiam θεόλογον (imo adeo θεολογικώτατον a Theophylacto. cf. Suicer. *Thes.* t. i. p. 1359. sq. 3. a.), *utpote quo nullus melius de Deo, de λόγῳ, de generatione æterna filii Dei disseruerat, et cui mysteria illa præ omnibus aliis videbantur reserata. Adeo ut videatur cælos ipsos penetrasse, sanctuarium ipsum ingressus, et summi sacerdotis functus munere, in ecclesia Christiana.*" Provocat denique V. D. ad Eunodium, qui epigramm. 77. de Ambrosio ita cecinerit:

Serta redimitus gestabat lucida fronte,
Distinctum gemmis ore parabat opus.

Sed neminem *tam talpam et cæcum esse, qui non animadvertat ista esse tropice intelligenda*, ut ipse facillime largior Le Moyne, ita nostri loci longe aliam esse rationem, neminem non videre itidem contendo. Improprius enim ille sensus ex illis ὃς—πεφορεκὼς nonnisi extorqueri potest, præsertim cum Polycrates sobria oratione pedestri, neque vero audaciori poetica loquatur. Eadem est ratio loci Euseb. H. E. X. 4. ubi vid. et Gregor. Nazianz. orat. apologeticæ: *κοινωνὸν ποιῇ τῶν φροντίδων, καὶ τῶν στεφάνων. Διὰ τοῦτο χρίεις τὸν ἀρχιερέα, καὶ περιβάλλεις τὸν ποδήρη, καὶ περιτίθης τὴν κίδαριν, καὶ προσάγεις τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ εἰσάγεις εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἐποπτεύσαντα.* Itaque certe speciosius esse mihi videtur, quod secundo loco Le Moyne (p. 27.) disseruit: "*Vel loquitur* (Polycrates) *de Joanne sacerdote et lamina instructo dum adhuc viveret inter Judæos, sicut autor martyrii Marci evangelistæ narrat, illum, et quia erat de stirpe Levitica et originem habebat sacræ successionis pontificis Aaronis juxta ritum carnalis sacrificii, pontificalis apicis petalum inter Judæos gestasse.*" De voce πέταλον cf. quæ monuit V. D. ibid. p. 26. Utitur ea etiam paraphrastes Chaldæus, פטלין Job. xxviii. 16. 19. xxxi. 24. (cf. Thren. iv. 1.) pro כֶּתֶם, aurum. Sed quod ad narrationem ipsam pertinet, simul videnda sunt, quæ pro ea disputavit Joh. G. Heineccius *Exerc. de habitu et insignibus apostolorum sacerdotalibus*, Lips. 1702. 4. p. 12. sq. et Magn. Crusius in *Notitia et Θεολογουμ. Macarii Magnetis*, Gotting. 1737. 4. p. 20. sq. præ ceteris autem I. F. Cotta *de lamina pontificiali apostolorum Joannis, Jacobi et Marci*, Tubing. 1755. 4., quos laudavit Danz. p. 136. cf. Paulus *das Leben Jesu*, t. i. P. i. p. 150. Ceterum vid. Fr. Brenner. *geschichtliche Darstellung der Verrichtung und Ausspendung der Eucharistie* etc., Bamberg. 1824. 8. p. 286. sq. Augusti *Denkwürdigkeiten*, t. viii. p. 207. sqq. HEIN.

Ib. *καὶ Θρασέας*] Hic est Thrasea martyr, cujus mentionem facit Apollonius in libro contra Cataphrygas supra cap. 18. in fine: *καὶ Θρασέα δέ τινος τῶν τότε μαρτύρων μνημονεύει.* Hunc in urbe Smyrna martyrio consummatum esse scribit Rufinus, quem secuti sunt Beda, Ado et ceteri qui martyrologia scripsere. Polycrates tamen tantum dixit: ὃς ἐν Σμύρνῃ κεκοίμηται. VALES.

24, 4. *Σάγαριν ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα.*] Hujus martyris mentionem facit Melito Sardianus episcopus in libro de pascha his verbis: *ἐπὶ Σερουϊλίου Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, ᾧ Σάγαρις καιρῷ ἐμαρτύρησεν, ἐγένετο ζήτησις πολλὴ ἐν Λαοδικείᾳ*, etc. quæ citavit Eusebius supra in libro 4. Fuit hic episcopus Laodiceæ in Asia: cujus temporibus commota est quæstio in urbe Laodicea de festo paschali. In veteri martyrologio Romano quod edidit Rosueydus, quinto die Octobris hæc habentur: *Eumeniæ Thraseæ episcopi, apud Smyrnam coronati, qui unus fuit ex antiquis.* Die autem sequenti hæc notantur: *Sagaris episcopi Laodicensis, de antiquis Pauli apostoli discipulis.* VALES.

Ib. *Παπείριον τὸν μακάριον*] Polycrates quidem non dicit cujus urbis episcopus fuerit hic Papirius. Invenio tamen apud Simeonem Metaphrastem, Papirium hunc successorem fuisse b. Polycarpi Smyrnæorum episcopi. Verba Symeonis hæc sunt in vita S. Polycarpi: *κατέστησε δὲ ὁ Πολύκαρπος καὶ ἄλλους μὲν διακόνους· ἕνα δὲ ᾧ ὄνομα Καμέριος, ὃς καὶ τρίτος ἀπ᾽ αὐτοῦ μετὰ Παπύριον ἐπίσκοπος γεγένηται.* VALES.

Ib. *τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον*] Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis hæc Polycratis verba ita vertit: *Et Melitonis in sancto Spiritu eunuchi, qui semper Domino serviens positus est in Sardis.* Ex quibus apparet, Hieronymum verba Polycratis male distinxisse in hunc modum: *Μελίτωνα τὸν εὐνοῦχον τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι, πάντα πολιτευσάμενον.* Rectius Rufinus ita interpretatur: *Melitonem propter regnum Dei eunuchum, et Spiritu sancto repletum.* Sic enim supra Polycrates de Philippi filia locutus est: *καὶ ἡ ἑτέρα αὐτοῦ θυγάτηρ ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πολιτευσαμένη*, id est: *Spiritu sancto repleta.* Certe Melitonem a plerisque prophetam existimatum fuisse testatur ipse Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis ita de eo scribens: *Hujus elegans et declamatorium ingenium laudans Tertullianus in septem libris quos scripsit adversus ecclesiam pro Montano, dicit eum a plerisque nostrorum prophetam putari.* VALES.

24, 5. *ἑπτὰ μὲν ἦσαν συγγενεῖς*] Rufinus existimavit septem ordine parentes seu propinquos Polycratis, episcopatum Ephesi gessisse. Sic enim vertit: *Septem namque ex parentibus meis per ordinem fuerunt episcopi, et ego octavus.* Certe

hic sensus ex verbis Græcis elici potest. Tamen cum Polycrates non addat, propinquos suos Ephesinæ urbis omnes episcopos fuisse, possumus intelligere illos in diversis Asiæ urbibus sacerdotium obtinuisse. VALES. De verbis *ὁ μικρότερος πάντων* cf. quæ observavi ad iii. 8. HEIN.

Ib. *ὅταν ὁ λαὸς ἤρτυε.*] Hæc lectio ferri non potest. Nam quartadecima luna primi mensis populus Judæorum non parabat fermentum, sed potius projiciebat. Sic enim diserte lex jubet. Quare hoc loco restituenda est scriptura optimorum codicum Vaticani, Regii et Mazarini, in quibus diserte scriptum est *ἤρνυε τὴν ζύμην.* In Fuk. scriptum inveni *ἤρνευε.* Sed et in codice Medicæo prius scriptum erat *ἤρνυε*: sed postea erasa litera *ν*, ejus loco *τ* substitutum est. Est autem *ἀρνύειν* plebeium vocabulum, cujusmodi verbis amat uti Polycrates, ut ex hac epistola apparet. Significat autem tollere, removere, unde et *ἀρνεῖσθαι.* Ceterum in antiquis codicibus Vaticano et Mazarino ad marginem scriptum est eadem manu *Γρ. ἤρτυε*, id est, alias scribitur *ἤρτυε.* Quam deteriorem lectionem Rob. Stephano placuisse miror. Certe Rufinus *ἤρνυε* legit, ut ex versione ejus apparet. Sic enim vertit: *Qui omnes ita observarunt hunc diem, ut conveniret cum illo quo fermentum Judæorum populus aufert.* Facessat igitur deinceps emendatio eorum, qui *ἤρτυε τὰ ἄζυμα* hic restituunt. VALES.

24, 7. *οὓς ὑμεῖς ἠξιώσατε μετακληθῆναι ὑπ' ἐμοῦ*] Scripserat igitur Victor papa ad Polycratem Ephesinæ urbis episcopum, ut convocato episcoporum Asiæ concilio, literas suas et sententiam Romani concilii de celebratione festi paschalis ipsis recitaret, minatus sese illum a communione Romanæ ecclesiæ segregaturum, nisi decretis suis obtemperaret. Et minis quidem Victoris ita respondet Polycrates, *οὐ πτύρομαι ἐπὶ τοῖς καταπλησσομένοις.* Ceterum quod attinet ad convocationem episcoporum, Polycrates Victori obtemperavit, ut ex hoc loco apparet. VALES.

24, 8. *καὶ στηλιτεύει*] Langus quidem vertit *notat*, Musculus vero et Christophorsonus verterunt *invehitur*, quia scilicet *στηλιτευτικὸς λόγος* invectiva oratio dicitur.[w] Ceterum cum hæc ab Eusebio obscurius narrata sint, multi dubitarunt,

[w] Recte vertit solus Valesius *στηλ. ἀνακηρύττων datis literis pronuntiat.* HEIN.

utrum Victor papa ecclesias Asiæ a communione sua revera sejunxerit, an vero id tantum conatus atque interminatus sit. Quod ad me attinet, hoc postremum verius puto. Etenim Eusebius diserte dicit *ἀποτέμνειν πειρᾶται.* Deinde epistolæ Irenæi et aliorum episcoporum ad Victorem scriptæ, satis arguunt rem adhuc in pendenti fuisse, nec damnationis sententiam etiamtum a Victore in Asianos fuisse prolatam. Sic enim scribit Eusebius de Irenæi literis ad Victorem: *τῷ γεμὴν Βίκτορι προσηκόντως ὡς μὴ ἀποκόπτοι ὅλας ἐκκλησίας Θεοῦ, πλεῖστα ἕτερα παραινεῖ.* Nondum ergo ecclesias Asiæ a communione Victor absciderat, cum has literas scriberet Irenæus, quandoquidem Victorem Irenæus his literis admonet, ne illas ob vetusti moris observantiam a totius ecclesiæ corpore sejungere velit. Socrates tamen in libro v. cap. 22. Eusebii verba ita accepit, quasi Victor Asianos a communione sua separaverit. Atque ita auctor libri synodici, cujus tamen testimonium parvi facio. Observavi enim illum scriptorem quisquis fuerit, multa temere confingere. Sed nostram sententiam confirmat primo Eusebius ipse in locis supra citatis. Deinde Photius in bibliotheca cap. 120, ubi scribit Irenæum plures dedisse literas ad Victorem papam dum illum hortatur, ne ob dissensionem de pascha ullos a communione ecclesiæ segregaret. Ergo ante literas Irenæi, neminem adhuc Victor a communione præsciderat. Sed neque dici potest, post epistolas Irenæi id a Victore factum fuisse. Primo enim Eusebius hoc non dicit, non omissurus utique, si id a Victore postea factum fuisset. Immo vero prorsus contrarium innuit, dum Irenæum ob hujusmodi literas vocat *εἰρηνοποιὸν,* id est, pacis auctorem. Literæ igitur Irenæi ad Victorem papam scriptæ, pacem ecclesiæ præstiterunt. Cum enim Victor paratus esset excommunicationis sententiam promere adversus Asianos, Irenæi epistola eum ab hoc consilio dimovit. Quare non assentior Halloixio, qui ad vitam Irenæi pag. 668. asserit Victorem adversus Asianos excommunicationis tulisse sententiam. VALES. Vid. *Excursus* vi. HEIN.

24, 9. *Εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο*] Fuit igitur hæc Irenæi epistola synodica, utpote scripta nomine ecclesiarum Galliæ, cujus caput erat Lugdunum. Proinde hæc epistola referri debuerat inter concilia Galliæ, ut olim monui Jacobum Sirmondum virum doctissimum, nec unquam nisi honorifice

nominandum. Etenim ille editionem suam conciliorum Galliæ a Constantini temporibus exorsus est, hoc solum in præfatione sua monuisse contentus, duas synodos Lugdunenses quibus præfuit Irenæus, memorari, quarum in altera Valentinus et Marcion damnati sint. In altera vero pascha nonnisi die dominico celebrandum cum tredecim episcopis Irenæus decrevit. Verum quoniam harum synodorum obscurior esset memoria, ideo se illas prætermisisse scribit. Ego vero prioris quidem illius synodi Lugdunensis fateor obscuram esse memoriam. Sed posterior illa in qua de die paschæ actum est, illustrissimo Eusebii testimonio confirmatur. Locus est in cap. 23. hujus libri, ubi de synodis episcoporum agit, quæ ob controversiam super pascha variis in locis congregatæ sunt, et de synodicis cujusque concilii literis tractans Eusebius, Lugdunensem synodum cui præfuit Irenæus, non postremo loco commemorat, *καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει.* Subjungit etiam Eusebius epistolam synodicam Irenæi, de qua nunc agimus. Quamquam dubitari potest, utrum hæc synodica Irenæi epistola ad Victorem papam eadem sit cum illa cujus meminit Eusebius in dicto capite 23. an autem diversa, et in alia synodo Lugdunensi conscripta. Equidem unam eandemque esse existimo. Id enim suadere videntur Eusebii verba, cum dicit *παρίσταται μὲν τὸ δεῖν ἐν μόνῃ τῇ τῆς κυριακῆς ἡμέρᾳ τὸ τῆς τοῦ κυρίου ἀναστάσεως ἐπιτελεῖσθαι μυστήριον.* Deinde quod ait Eusebius, hanc epistolam ex persona fratrum, id est, episcoporum Galliæ ab Irenæo esse conscriptam. Neque enim verisimile est, duas synodos de una eademque re tam brevi temporis intervallo in Gallia congregatas fuisse. Porro si quis scire desiderat, undenam Jacobus Sirmondus duas illas Lugdunenses hauserit synodos, sciat id desumptum esse ex veteri synodico Argentorati edito. Sed hujus libelli auctorem, sublestæ fidei esse jam supra monuimus, qui cum sciret Irenæum adversus Valentinum et alios hæreticos scripsisse, arrepta hinc occasione finxit synodum Lugduni adversus illos hæreticos ab Irenæo collectam fuisse. VALES.

Ib. *ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους αὐτοῦ τῆς νηστείας*] Duplicem ait Irenæus tunc temporis fuisse dissensionem in ecclesia, primam de die paschæ, alteram de forma jejunii. Non dicit dissen-

sionem fuisse de jejunio, sed tantum de jejunii forma, id est, quot diebus esset jejunandum, ut postea explicat Irenæus. Omnes enim, tam ii qui pascha die dominico celebrabant, quam illi qui cum Judæis quartadecima luna festum illud peragebant, in eo quidem conveniebant, quod ante pascha jejunarent. Quod jejunium ex traditione apostolica susceperant perinde ac festum paschale. Certe Eusebius in libro secundo, capite decimo septimo, testatur Christianos in Ægypto temporibus beati Marci evangelistæ, paschale jejunium celebrasse. Ac licet fortasse quis concesserit Eusebium illic falli, qui Therapeutas illos de quibus Philo in libro de vita contemplativa, Christianos fuisse crediderit, illud tamen ex eo loco colligitur, paschale jejunium usitatum fuisse temporibus apostolorum juxta Eusebii sententiam. Idem quoque ex Epiphanio licet colligere. VALES.

Ib. *τῆς νηστείας*] Tres apud veteres Christianos fuere jejunii species. Primum fuit jejunium quartæ et sextæ feriæ, quod solvebatur hora diei nona, post finem stationis seu *συνάξεως*. Quare a Tertulliano vocantur stationum semi-jejunia. In Typico monasterii sancti Sabæ dicitur *νηστεία τῆς ἐννάτης*. Secunda species fuit jejunium quadragesimale, quod sub vesperam solvebatur. Nam hora nona fiebat synaxis, et post missarum solemnia vespertinum canebatur officium, ac deinde populus dimittebatur, ut docent Epiphanius, Amalarius et concilia Anglicana. Tertium genus jejunii fuit omnium strictissimum, quod usque ad galli cantum et primæ lucis exortum producebatur. Quod idcirco *ὑπέρθεσις* dicebatur, Latine superpositio. Hæc tria jejunandi genera aperte distinguit Epiphanius in expositione fidei catholicæ, quæ legitur ad calcem librorum illius contra hæreses. Postquam enim de jejunio quartæ et sextæ feriæ, idemque de jejunio quadragesimæ locutus est, transiens ad jejunium paschalis hebdomadis, ait fideles per eam hebdomadam solo pane et aqua vesci ad vesperam. Additque *ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς καὶ τριπλᾶς καὶ τετραπλᾶς ὑπερτιθέασι, καὶ ὅλην τὴν ἑβδόμαδα τινὲς ἄχρις ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς.* Id est: *Verum hi qui studiosi sunt, biduum ac triduum et quatriduum superponunt, quidam totam hebdomadam usque ad galli cantum.* Dionysius quoque Alexandrinus in epistola ad Basilidem, *νηστείαν* et *ὑπέρθεσιν*

aperte distinguit. Postquam enim dixit, per sex illos jejuniorum dies qui pascha antecedunt, non ex æquo ab omnibus jejunari, subdit hæc verba: *οἱ μὲν πάσας ὑπερτιθέασιν ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας· οἱ δὲ οὐδεμίαν. Καὶ τοῖς μὲν πάνυ διαπονηθεῖσιν ἐν ταῖς ὑπερθέσεσιν, εἶτα ἀποκαμοῦσι καὶ μονονοὺκ ἐκλείπουσι, συγγνώμη τῆς ταχυτέρας γεύσεως· οἱ δέ τινες οὐχ ὅπως οὐχ ὑπερτιθέμενοι, ἀλλὰ μηδὲ νηστεύσαντες*, etc. Id est: *Alii quidem totum sex dierum spatium superponunt, jejuni perseverantes, alii vero biduum, quidam triduum, nonnulli quatriduum, alii ne unum quidem diem superponunt. Et iis quidem qui multum in superpositionibus desudarunt, ac deinde fessi propemodum deficiunt, indulgenda est celerior refectio. Si qui vero non modo non superposuerunt, sed ne jejunarunt quidem*, etc. Vides jejunium a superpositione hic distingui a Dionysio, et *ὑπέρθεσιν* quidem sumi pro abstinentia a cibo usque ad galli cantum, jejunium vero pro inedia usque ad vesperam. Tertullianus quoque tres agnoscit species jejunii. Primam penitus sublati cibi, secundam diminuti, tertiam demorati. Primam simpliciter jejunium solet appellare, secundam vero alicubi vocat portionale jejunium et xerophagiam, tertiam stationum semi-jejunia. Cum tres ergo fuerint species jejunii, quæri non immerito potest, de qua loquatur hic Irenæus. Ac primum constat Irenæum non hic loqui de jejunio quartæ et sextæ feriæ, seu de jejunio stationum. Quippe Irenæus hic manifeste loquitur de jejunio diei solidi, non autem dimidiati. Ait enim *οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν*, etc. At jejunium quartæ et sextæ feriæ non erat plenum jejunium, nec diei solidi, ut supra dixi. Quare locus Irenæi de hoc jejunio intelligi non potest. Restat ergo ut vel de jejunio quadragesimali quod solvebatur ad vesperam, vel de superpositione locum hunc accipiamus. Ac Dionysius quidem Alexandrinus et Epiphanius in locis supra memoratis suadere videntur, ut de superpositione potius intelligamus. VALES. Cf. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archæologie*, tom. i. p. 157—159. tom. ii. p. 95. sq. p. 128. sqq. HEIN.

24 10. *οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν*] Hæc Irenæi verba varie a variis accepta sunt, dum pro suo quisque studio Irenæum ad suas partes trahere conatur. Bellarminus quidem

de quadragesima locum hunc intellexit, id est, de quadraginta dierum jejunio ante pascha. Itaque cum Irenæus scribit quosdam unum diem jejunasse, id Bellarminus ita intelligit, ut diem unum, verbi gratia secundam feriam, absque ullo transegerint cibo, ac deinde modica refectione corpus curaverint. Idem deinceps tertia feria, idem quarta, quinta et sexta fecerint, donec totam quadragesimam explessent. Verum hæc explicatio, et a verbis et a sensu Irenæi penitus abhorret. Nonnullos vidi qui hunc Irenæi locum de quadraginta quidem dierum jejunio acciperent, sed ita explicarent, ut quidam uno die, quidam biduo aut triduo jejunarent per singulas quadragesimæ hebdomadas. Quæ quidem expositio priore illa multo videtur probabilior. Alii inter quos est cardinalis Perronius, Irenæi locum accipiunt non de tota quadragesima, sed de hebdomade paschali, quæ incipit a secunda feria majoris hebdomadæ. Confirmat hanc sententiam Dionysius Alexandrinus in epistola ad Basilidem, his verbis: *ἐπεὶ μηδὲ τὰς ἓξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας ἴσως μηδὲ ὁμοίως πάντες διαμένουσιν· ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πᾶσας ὑπερτιθέασιν*, etc. ut supra. Non ovum ovo similius est, quam sunt inter se similia hæc duo loca, Irenæi ac Dionysii, adeo ut Dionysius cum hæc scriberet, Irenæi locum in mente habuisse mihi videatur. Tertius his adjungi potest locus Epiphanii in expositione fidei catholicæ, supra jam a nobis commemoratus. VALES.

Ib. *μίαν ἡμέραν*] Sine dubio intelligit Irenæus sextam feriam majoris hebdomadæ. Cum enim de jejunio paschali loquatur, et quosdam uno duntaxat die jejunare dicat, quem alium diem intelligere potest, quam diem paschæ? Sic enim vocabatur dies ille, ut ex Tertulliano jampridem ab aliis observatum est. Quo quidem die communis et publica jejunii religio erat, ut scribit Tertullianus in libro de oratione. Qua de re insignis est Methodii locus in convivio virginum, oratione tertia qui hic meretur adscribi: *ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐν ἡμέρᾳ τοῦ πάσχα καὶ τῆς νηστείας ἐπισφαλῶς νοσηλευομένῳ προσέφερε τροφὴν, καὶ ἐκέλευε διὰ τὴν ἀσθένειαν ἀπογεύσασθαι τούτων τῶν προσφερομένων, λέγων· ὡς ἄρα τὸ μὲν ἀληθῶς, ὦ οὗτος, καλὸν, ἐχρῆν ὥσπερ δὴ καὶ ἡμᾶς, καί σε καρτερῶς διαμείναντα, τῶν αὐτῶν μεταλαβεῖν· ἀπηγόρευται γὰρ σήμερον διαίτης ἐπιμνησθῆναι τὸ σύνολον.* Id est: *Nam quemadmodum si cui periculose ægrotanti*

die paschæ ac jejunii, cibum aliquis porrigat, jubeatque ut ob corporis infirmitatem degustet aliquid ex iis quæ porriguntur, ita dicens, bonum revera esset, o amice, oportebat te quoque, sicut et nos, fortiter perseverantem eadem percipere. Hodie enim penitus interdictum est ullam cibi mentionem facere. Et hoc est jejunium quod in canonibus Timothei Alexandrini vocatur *ἡ νηστεία τοῦ πάσχα.* De ejusdem diei solemni jejunio Tertullianus in libro de jejunio ita loquitur: *Cur stationibus quartam et sextam sabbati dicamus, et jejuniis parasceuem?* Quippe hic dies *κατ' ἐξοχὴν* dicebatur parasceue. Cyrillus Hierosolymitanus in catechesi 18. *διὰ δὲ τὸν κάματον τὸν προγενόμενον ὑμῖν ἔκ τε τῆς ὑπερθέσεως τῆς νηστείας τῆς παρασκευῆς, καὶ τῆς ἀγρυπνίας*, etc. Id est: *Ob laborem vero antecedentem, tum ex superpositione jejunii parasceues, tum ex pervigilio*, etc. VALES.

Ib. *οἱ δὲ δύο*] Parasceuem scilicet et sabbatum magnum. His enim diebus catholici omnes, nisi quibus morbus causa esset, jejunabant. Tertullianus in libro de jejunio: Certe in evangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus, et hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum. Et infra capite 13. ejusdem libri: Ecce enim convenio vos et præter paschæ jejunantes, citra illos dies quibus ablatus est sponsus. Denique in capite 14. eos dies paresceuem fuisse et sabbatum significat his verbis: Cur stationibus quartam et sextam sabbati dicamus et jejuniis parasceuem? Quamquam vos etiam sabbatum continuatis: si quando, nunquam nisi in pascha jejunandum secundum rationem alibi redditam. VALES.

Ib. *οἱ δὲ τεσσαράκοντα*] Antequam hunc locum exponamus, stabilienda est ejus lectio. Christophorsonus quidem et Savilius hunc locum ita legerunt ac distinxerunt: *οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν· οἱ δὲ δύο· οἱ δὲ καὶ πλείονας· οἱ δὲ τεσσαράκοντα· ὥρας τε ἡμερίνας καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι, τὴν ἡμέραν αὐτῶν.* Cui lectioni favet Rufini interpretatio. Sic enim vertit Rufinus: *Quidam enim putant uno tantum die observari debere jejunium, alii duobus, alii vero pluribus, nonnulli etiam quadraginta; ita ut horas diurnas nocturnasque computantes, diem statuant.* Eandem lectionem secutus est Joannes Langus, qui Nicephorum interpretatus est. Verum huic lectioni omnes nostri codices refragantur.

Certe in codice Maz. hic locus uno tenore ita scribitur: *οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν.* In Med. vero et Fuk. post vocem *ὥρας* apponitur virgula. Regius autem codex ita interpungit: *οἱ δὲ, τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινὰς καὶ νυκτερινὰς, συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν.* Quod si post vocem *τεσσαράκοντα* distinctionem affixeris, nullus jam erit sensus. Quo enim referentur verba illa quæ sequuntur *ὥρας ἡμερινὰς*, etc. utrum ad illos qui unum diem, an ad hos qui quadraginta dies jejunant? Ad hos certe referenda potius videntur, utpote ultimo loco positos. Jam vero si ad hos retuleris, illud necessario consequetur, eos qui quadraginta dies jejunabant, toto illo tempore nihil prorsus comedisse, quandoquidem horas tam nocturnas quam diurnas jejunio deputabant. Deinde cum Irenæus jam dixerit alios uno die, alios biduo, alios vero pluribus diebus jejunare, quid necesse est addere alios quadraginta diebus jejunare, cum in eo quod plures dies dixit, quadraginta satis comprehendantur? Verior itaque est nostrorum codicum scriptura, quam Musculus in interpretatione sua fideliter expressit hoc modo: *Si quidem alii unum sibi diem jejunandum esse putant, alii duos, alii plures, alii quadraginta horas diurnas et nocturnas computantes, diem suum statuunt.*[y] Constituta jam lectione hujus loci, ad illius expositionem veniamus. Ait igitur Irenæus quosdam quadraginta continuis horis diurnis simul ac nocturnis jejunasse. Sunt qui existiment hoc quadraginta horarum jejunium ab illis celebratum fuisse in memoriam spatii illius, quod a morte Christi ad ejus resurrectionem interfuit. Id autem spatium fuit horarum circiter quadraginta, ab hora scilicet sexta parasceues usque ad diluculum primæ feriæ. Ego vero, illud quadraginta horarum jejunium ab his potius celebratum esse crediderim in honorem ac memoriam quadraginta dierum ac noctium, quibus Christus in solitudine jejunavit. Nam cum veteres illi Christum omnibus modis imitari studerent, jejunium illud quadraginta dierum, quod supra humanas vires erat, hoc saltem quadraginta horarum jejunio æmulabantur. Tria igitur ex hoc Irenæi loco colligimus. Primum est, jejunium antepaschale jam inde ab apostolicis temporibus semper in ecclesia usita-

[y] Vid. *Excursus* vii. HEIN.

tum fuisse. Alterum, jejunium illud in honorem quadragesimæ Christi fuisse celebratum. Postremo, varie a variis fuisse jejunatum. Semper autem meminisse debemus, Irenæum hic loqui de jejunio superpositionis, quod per magnam hebdomadam a Christianis celebrabatur. Ceterum semel admisso hebdomadis paschalis jejunio, etiam quadragesima admittenda est. Nam hebdomas paschalis, pars est quadragesimæ. Ac interdum quidem jejunium illius hebdomadis distingui videmus a jejunio quadragesimæ, ut apud Epiphanium in expositione fidei, apud Clementem in constitutionibus apostolicis. Sed et vetus auctor in tractatu contra Græcos quem edidit Petrus Steuartius in tomo singulari insignium auctorum pag. 599. de Græcis ita scribit: *Nec quadragesimam celebrant, cum quadragesima sit jejunium quadraginta dierum. Ipsi vero majorem septimanam a numero quadragesimæ secludentes, sex hebdomadis quadragesimam claudunt. Tot enim sunt a prima eorum septimana, usque ad sabbatum quod palmarum ramos præcedit. In quo universaliter ab illis cantatur: Quæ animæ utilis est complemus quadragesimam.* Verba sunt ex officio Græcorum in sabbato ante dominicam palmarum. Verum neque hic auctor, nec plerique alii recentiores satis intellexisse mihi videntur, cur hæc magna hebdomas interdum distinguatur a quadragesima. Non enim ita distinguitur, quasi revera non pertineat ad quadragesimam. Verum ab illa distinguitur, ut pars a toto. Cur autem a quadragesima interdum distincta fuerit, duplex ratio afferri potest. Prima, quod districtiori jejunio celebraretur, superpositionis scilicet ut supra ostendimus. Secunda ratio, quod hæc hebdomas proprie ad pascha pertinet. Feriæ enim hebdomadis denominantur a sequente dominica, et ad eam pertinent, ut alibi demonstrabitur. Quare cum hæc hebdomas dominicam paschalem proxime antecedat, merito etiam ad eam pertinet. Hinc est quod hebdomas μεγάλη dicitur. Cujus vocabuli causas affert Chrysostomus homilia 30. in Genesim. Sed vera illius vocabuli ratio est quam dixi. Cum enim hæc sit hebdomas paschæ, dies autem paschæ appelletur ἡ μεγάλη κυριακὴ τοῦ πάσχα, recte etiam hæc hebdomas sancta et magna cognominatur. In Typico sancti Sabæ singuli dies hujus hebdomadis sancti et magni vocantur hoc modo: ἡ ἁγία καὶ μεγάλη

δευτέρα, et sic deinceps. Incipiebat autem hebdomas illa a feria secunda, ut discimus ex Cyrillo et Theophilo in homiliis paschalibus et ex Epiphanio in Aërianis. Porro quamvis a quadragesima nonnunquam distingueretur ob eas quas dixi causas, revera tamen conjuncta erat quadragesimæ ejusque extrema pars erat et complementum. Certe id manifeste colligitur ex homiliis paschalibus Cyrilli: in quibus hæc septimana perpetuo distincta legitur a reliqua quadragesima, et septimana paschæ vocatur. Eadem tamen quadragesimæ contribuitur, quippe quæ quadraginta dierum numerum adimpleat. Denique illud etiam observandum est, quod scribit Socrates in lib. v. cap. 22., veteres Christianos paschale suum jejunium vocasse quadragesimam, quamvis non totis quadraginta diebus omnes jejunarent. Ejusque vocabuli varias a variis causas afferri dicit. Mihi quidem quadragesima dicta videtur eodem modo, quo quinquagesima quæ est post pascha. Nam ut quinquagesima seu pentecoste, proprie quidem est ultima dies de quinquaginta illis diebus paschale festum subsequentibus, tamen late sumpto vocabulo, interdum significat totum illud spatium dierum, quod est a pascha ad pentecosten, ut apud Hieronymum in epistola ad Marcellam, apud Cassianum et complures alios. Sic etiam quadragesima proprie quidem est dies unus de quadraginta, dies scilicet parasceue, qui quidem apud Alexandrinos erat quadragesimus, ut ex Cyrilli homiliis paschalibus constat. Latius tamen sumpto vocabulo, designat etiam quadraginta dies jejuniorum qui pascha antecedunt. VALES. Vid. Jo. Dallæus *de jejuniis et quadragesima*, Daventr. 1654. 8. HEIN.

Ib. συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν] Miror tot homines eruditos, qui hunc Irenæi locum in suis libris exposuerunt, ejus vitium non animadvertisse. Quis enim est sensus horum verborum? aut quis unquam credat fuisse homines, qui quadraginta horarum spatio diem metirentur? Atqui quadraginta horæ biduum jejunantibus efficiunt. Equidem non dubito, quin Irenæus ita scripserit: οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν νηστείαν. Qua scriptura nihil planius esse potest. Quare aut Irenæus omnino ita scripsit, aut certe ita scribere debuit. Sed antiquarii, vocabulo ex supe-

riore linea huc translato, locum corruperunt. VALES. Vid. *Excursus* vii. HEIN.

Ib. *τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς, ὡς εἰκὸς, κρατούντων*] Hunc locum non intellexerunt interpretes. Solus Musculus sensum assecutus est, sed ex parte tantum. Sic enim vertit: *Et ista jejunantium varietas non nostro demum tempore, sed multo antea per illos cœpit, qui ante nos præter accuratam diligentiam, ut verisimile est, rerum habenis potiti, simplicem ac vulgatam consuetudinem posthabuerunt ac mutarunt.* Est certe hic Irenæi locus admodum intricatus et obscurus. Vult autem ostendere Irenæus, unde orta sit tanta diversitas jejunii paschalis. Ait igitur eam natam esse, non ex lege aliqua ab apostolis aut a Christo data, sed paulatim usu quodam increbuisse, ac postea episcopos quosdam in iis quæ ad disciplinam pertinent parum diligentes nec satis accuratos, id quod simpliciter introductum fuerat, licet singulare et ab aliarum ecclesiarum more diversum, in consuetudinem vertisse ac posteris observandum reliquisse. Reprehendit igitur illos Irenæus, quod *παρὰ τὸ ἀκριβὲς* egerint. Est enim diligentis episcopi, videre ne quid novum in ecclesiam inducatur præter reliquarum ecclesiarum consuetudinem. Ita Socrates hunc Irenæi locum cepisse videtur in cap. 22. lib. v. ubi postquam de jejuniorum et hujuscemodi rituum apud varias ecclesias discrepantia abunde disseruit, ita concludit: *αἴτιοι γὰρ, ὡς ἡγοῦμαι, τῆς τοιαύτης διαφωνίας οἱ κατὰ καιρὸν τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες, οἱ δὲ ταῦτα παραλαβόντες, ὡς νόμον τοῖς ἐπιγινομένοις παρέγραψαν.* VALES. Neque Valesium cum Musculo recte esse interpretatum Irenæi locum, contendit Massuet. *dissert. in Iren.* p. 88. n. 27. *Τοὺς κρατοῦντας* enim nunquam simpliciter dici de *dominantibus* s. *præsidentibus* (cf. Bevereg. *Cod. can. eccl. prim.* iii. 7. 4.), imo Irenæum hoc dicere, nonnullos ex simplicitate et ignorantia, rudiores proinde ac privatos homines, formam jejunii non accurate *observasse* s. *retinuisse.* HEIN.

Ib. *τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν*] Ad hunc locum Irenæi videtur alludere Tertullianus in libro de virginibus velandis cum ait: *Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur.* VALES.

Ib. ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι] Idem ait August. in epist. 86. ad Casulanum: *Sit ergo una fides universæ quæ ubique dilatatur ecclesiæ, tanquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum est, impeditur.* VALES.

24, 11. Τελεσφόρον καὶ Ξύστον] Colligere inde Pearson. *diss. i. de succ. Rom. pontif.* c. 7. n. 7. cui assentiatur Dodwellus *diss. vi. in Iren.* n. 22. Xystum primum inter pontifices Romanos festum paschatis aliter observasse quam Asianos, animadvertit Lowth. citante Reading. HEIN.

Ib. τοῖς μὴ τηροῦσι] Amplector emendationem quæ in libris Turnebi ac Moræi habetur ad marginem, ἐν τοῖς μὴ τηροῦσι. Est autem hic hujus loci sensus. Cum observantia alicujus moris et inobservantia sint inter se contraria, tamen quoties is qui morem observat quempiam, versatur inter eos qui minime observant, tunc ipsa diversitas magis elucet. Hoc est, quod vulgo dicitur in scholis philosophorum, contraria juxta se invicem posita magis elucescunt. VALES. Valesius et Strothius verterunt καί τοι—τοῖς μὴ τηροῦσι quasi ἐν τοῖς μὴ τηροῦσι legissent. Ille enim interpretatus est: *Atqui (?) observantia inter eos qui minime observabant, tanto magis contraria videbatur*, hic: *Da doch hier der Unterschied, zwischen denen, die die Ostern so hielten* (scil. eodem die quo Judæi), *und denen, die sie nicht so hielten, mehr in die Augen fiel.* Sed neque ἐναντίον esse puto *contrarium* i. e. *diversum* (vid. Passow. in *Lexic.* s. v.) et lectio ἐν profecta videtur ab iis qui quamvis quo sensu ἐναντίον h. l. dictum sit, intelligerent, tamen dativum τοῖς τηροῦσιν magis explicare vellent. Puto enim ἐναντίον commode h. l. accipi posse ita, ut legitur illa vox apud Homer. Od. vi. 329., ubi significat *coram* et eodem modo jungitur dativo. Tunc optima loci sententia hæc est: et tamen tunc, siquidem ex aliis ecclesiis advenerant, in quibus id observabatur, magis erat conspicua et adspectabilis observantia iis qui non observabant. Ita idem fere dicitur, neque tamen insolentior verbo ἐναντίον significatio tribuitur et *quibus* observantia illius moris i. e. ejus discrimen et perversitas magis apparuerit, accurate definitur, id quod quamvis in eo magna vis insit, tamen altera interpretatio non definit. Ceterum

post πρὸς αὐτοὺς minime interpungendum duxi cum Valesio quem secutus est Zimmermannus, sed cum Strothio demum post τηροῦσι, quia aperte arctissime cohærent verba καί τοι—τηροῦσι cum antecedentibus, contra post ἀπεβλήθησάν τινες non colon cum Strothio et Zimmermanno, sed comma posui. HEIN.

24, 12. ἀπεβλήθησάν τινες] Rufinus hanc vocem pluribus verbis exposuit, quæ scholii vicem præstant. *Nunquam tamen ob hoc repulsi sunt ab ecclesiæ societate, aut venientes ab illis partibus non sunt suscepti.* Ἀποβάλλειν igitur duo significat, aut ejicere ab ecclesia, quæ frequentior significatio est, ut in capite ultimo hujus libri, aut omnino non admittere venientem. VALES.

Ib. ἔπεμπον εὐχαριστίαν] Solebant olim episcopi, tempore paschalis festivitatis eucharistiam ad alios episcopos eulogiarum nomine transmittere. Idque tandem vetitum fuit concilio Laodiceno capite 14. At Rhenanus hunc locum aliter intellexit. Sic enim adnotavit ad marginem Rufini: *Ex hoc Irenæi loco apparet, quod si episcopus aliquis Romam venisset, Romanus pontifex eucharistiam hospiti solemniter transmittebat.* In quo dupliciter fallitur, tum quod id pontificis Romani privilegium esse sensit, tum quod solis hospitibus seu advenis id præstari existimavit. Atqui ex concilio Laodiceno discimus, hunc morem promiscuum fuisse, et ab omnibus passim episcopis usurpatum, ut ad aliarum civitatum episcopos benedictionis nomine eucharistiam transmitterent. Putavit scilicet Rhenanus, in his Irenæi verbis: τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν, subaudiri verbum ἐλθοῦσι. Quod tamen non est necessarium. Nam οἱ ἀπὸ τῶν παροικιῶν, sunt episcopi ecclesiarum, quemadmodum ἀπὸ Δεβέλτου, est episcopus Debelti: ἀπὸ Εὐμενείας episcopus Eumeniæ, ut supra observavimus. Porro ad hunc morem transmittendæ eucharistiæ, facit in primis locus Justini in prima apologia: εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν, ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι· καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. Id est: *Postquam antistes gratiarum actionem perfecit, et populus omnis apprecatus est, diaconi ex pane et vino et aqua consecratis partes*

dividunt unicuique præsentium, et ad absentes portant. Hic cibus vocatur eucharistia. Scio quidem Justini locum de ægris explicari posse. Sed nostra explicatio planior esse videtur. Illustre etiam hujus moris exemplum exstat in actis Luciani martyris. Notandum porro est in loco Justini supra citato, panem consecratum a Christianis vulgo dictum esse eucharistiam, quod confirmat etiam Irenæus tum in hoc loco, tum in libro v. contra hæreses cap. 11. Clemens i. Stromat. pag. 117. Tertullian. de pudicitia c. 9. VALES. Cf. Le Moyne *Varr. Sacr.* tom. ii. p. 53. sq. HEIN.

Ib. *καὶ τοῦ μακαρίου Πολυκάρπου ἐπιδημήσαντος τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ Ἀνικήτου*] Baronius in annalibus, hunc Polycarpi adventum in urbem Romam refert anno 5. M. Aurelii Antonini, eodemque anno pontificatum Aniceti orditur, quod nequaquam probabile mihi videtur. Hoc enim anno, Polycarpus major erat octogenario. Mortuus quippe est anno 7. M. Aurelii imperatoris, cum sextum et octogesimum ætatis annum jam exegisset. Ita enim scribitur in epistola ecclesiæ Smyrnensis quam supra retulit Eusebius in lib. iv. *ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ.* Id est : *octoginta et sex annos illi servio.* Quod si annos illos non a primo statim ortu, sed a pueritia ordiri lubet, quando primum homines ratiocinari incipiunt, sequetur omnino, Polycarpum centenario majorem aut proximum e vivis abiisse. Atque ita juxta computationem Baronii necesse erit dicere, illum nonagesimo ætatis anno venisse Romam, quod profecto nequaquam credibile est. Eusebium vero hæc objectio nullatenus involvit. Quippe Eusebius Aniceti pontificatum orditur sub Antonino Pio, decem fere annis ante Baronium. Idipsum in Baronio reprehendit Halloixius in notationibus ad cap. 10. vitæ b. Polycarpi. VALES. Contra Valesium disputat Pearson. *de annis pr. Rom. episc.* p. 285. citante Readingo ita : Hic hæret doctissimus Valesius. Ætatem Polycarpi secundum veteres libenter amplexus est ; sed cum martyrium ejus septimo Marci anno alligaverat, novam expositionem super addere coactus est, quam alibi tueri noluit. Nam cum Publium Athenarum episcopum secundum sub Marco Antonino passum esse male putaret, lib. iv. c. 23. contendit eum contra communem sententiam, Dionysio Areopagitæ haud proxime successisse, quia plus

quam lxx. annis in episcopatu eum vixisse dicendum esset. HEIN.

Ib. *περὶ τούτου τοῦ κεφαλαίου*] Pessime hunc locum interpretatus est Christophorsonus, cujus versio Baronium postea in errorem induxit. Sic enim vertit: *Quin pro hoc festo observando, quod controversiæ caput videbatur, caritatis vincula neutiquam ruperunt.* Cui interpretationi nimium fidens Baronius ad annum Christi 167. scribit Polycarpum ideo Romam venisse, ut dissidia quæ de paschali festo orta fuerant, cum Aniceto componeret, idque Eusebium et Irenæum affirmare. Atqui Irenæus id non dicit, nisi forte ex versione Christophorsoni. Hoc tantum ait Irenæus, cum Polycarpus Romam venisset Aniceti temporibus, et leves quasdam cum illo de aliis rebus controversias habuisset, ambos tamen illico pacem inter se fecisse, ac de festo paschæ noluisse inter se contendere.[z] Non igitur ob quæstionem de festo paschæ, sed ob alias quasdam controversias Romam venerat Polycarpus. Scio Hieronymum in libro de scriptoribus ecclesiasticis Baronii sententiam confirmare. Sic enim ait de Polycarpo: hic propter quasdam super die paschæ quæstiones sub imp. Antonino Pio, ecclesiam regente Aniceto, Romam venit. Ita etiam Eusebius noster in lib. iv. cap. 14. Sed cum Hieronymus id ex Eusebio sumpserit, Eusebius autem ex Irenæo, inquirendum est a nobis, non quid Eusebius dixerit ac Hieronymus, sed potius quid senserit Irenæus. VALES. Recte negat Valesius Irenæum eo consilio Polycarpum ad Anicetum esse profectum scribere, ut quod inter eos ortum erat, de festo paschali dissidium componeretur. Neque vocem *κεφαλαίου* cum Christophorsono de controversiæ totius capite s. summa interpretari velim, imo rectius verba illa *περὶ τούτου τοῦ κεφαλαίου* simpliciter *de hoc capite* Valesium, vel: *über diesen Punkt*, Strothium vertisse puto. Quamvis enim *κεφάλαιον* alias et sæpius etiam significet rem præcipuam, de qua maxime quæritur, quod quæstionis caput est ac summa (vid. Suicer. *Thes.* t. i. p. 95. ii. cf. interpp. ad Hebr. viii. 1. Wahl.

[z] Quod si noluissent omnes, profecto non facta esset *νόσος ἀργαλεωτάτη ἐκ μακροῦ διενοχλοῦσα ἡ τῆς σωτηρίου ἑορτῆς διαφωνία* teste Euseb. V. C. iii. 5. cf. ibid. iii. 18, 19. Egregium Polycarpi et Aniceti exemplum seriori tempore secutus est Patricius. vid. Neander. *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums*, tom. iii. p. 219—225. ed. ii. HEIN.

Clav. N. T. s. v. κεφάλαιον), tamen h. l. περὶ τούτου τοῦ κεφαλαίου aperte respondet præcedentibus: περὶ ἄλλων τινῶν et iis quæ paulo superius leguntur: διὰ τὸ εἶδος τοῦτο, i. e. *ob ejusmodi consuetudinem*, Valesio, *dieses Umstandes wegen*, Strothio interprete. Quam significationem satis insolentem vocis εἶδος non debebat omittere Suicerus. Præterea nostræ verborum περὶ τούτου τοῦ κεφαλαίου explicationi magis convenire videtur totius orationis series. Neque enim Irenæus hanc de Polycarpo et Aniceto narrationem eo consilio retulit, ut doceret, illam de paschate quæstionem fuisse summam ac præcipuam ex illis, quæ præterea inter illos viros agitabantur, imo simpliciter τοὺς πρὸ Σωτῆρος πρεσβυτέρους, Anicetum et reliquos propter illum de paschate locum (cf. iv. 14. διά τι ζήτημα περὶ τῆς κατὰ τὸ πάσχα ἡμέρας. Cic. de offic. ii. 21. tantum *locus* attingendus fuit) amicitiæ vinculum minime rupisse, voluit ostendere. Præterea neque satis accurate et justo liberius Christophorsonus addidit verba: *pro hoc festo observando.* Cf. Le Moyne *Varr. Sacrr.* tom. i. p. 27. sq. Sed non possum non jam commemorare, in quo Valesium etiam ac Strothium lapsos putem. Neque enim rectius quam Christophorsonus vertit Valesius: *cum beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset*, et Stroth.: *Als der selige Polycarpus zu den Zeiten des Anicetus nach Rom kam.* Ubi tandem illud dixit Irenæus, qui nihil refert nisi ætate Aniceti Romæ peregrinatum, tanquam peregrinum versatum esse, neque vero tunc demum Romam venisse Polycarpum, quod vel antequam Anicetus Romæ episcopus creatus est, factum esse potest? cf. iv. 14. (pag. 243.) Nam non ἐπιδημήσαντος εἰς Ῥώμην sed τῇ s. ἐν Ῥώμῃ Iren. scripsit. Vid. Heindorf. *ad Plat. Phæd.* p. 57. A. Kuinoel. *Commentar. ad Actor.* ii. 10. Nihilominus eadem chorda, ut aiunt, et simul alia oberravit Valesius supra iv. 14. ubi verba Ἐπὶ δὲ τῶν δηλουμένων——ἱστορεῖ vertit: Eadem tempestate Aniceto Romanæ ecclesiæ præsidente, Polycarpum qui etiamnum superstes erat, *Romam venisse ob quæstionem quandam, quæ de pascha inciderat*, et cum Aniceto colloquium habuisse tradit Irenæus. Neque rectius Strothius h. l. verba γενέσθαι τε ἐπὶ Ῥώμης reddidit: *Polycarpus—kam nach Rom*, cum nihil significent nisi: Polycarpum versatum esse Romæ. Verba autem καὶ εἰς ὁμιλίαν τῷ Ἀνικήτῳ—ἡμέρας rectius jam

interpretatus est Strothius: *und pflog Unterredung mit dem Anicetus über die Streitigkeit von dem Tage des Osterfestes.* Ipse igitur Eusebius iv. 14. hoc tantum referre Irenæum dicit, tempore Aniceti Polycarpum Romæ esse versatum et aliquando cum ibi versaretur, propter quandam de paschate quæstionem cum Aniceto esse collocutum. Quocirca erravit Valesius etiam in verbis: "*Ita etiam Eusebius noster in lib. iv. cap.* 14." Sed detegendum denique est tertium σφάλμα Valesii, qui ne hoc quidem recte animadvertit, Irenæum tradere Polycarpum *ob alias quasdam controversias* venisse Romam, cum illud tantum scribat Irenæus, Polycarpo sub Aniceto Romæ peregrinante, hoc ipso tempore leves quasdam inter eos fuisse controversias nescio qua occasione ortas tum de aliis rebus præter locum de pascha, tum de hoc ipso paschatis capite. Nam ad ἄλλων τινῶν illud: præter locum de pascha, esse supplendum nemo non videt. Vid. Galat. i. 6, 7. θαυμάζω ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε—εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον· ὅ οὐκ ἔστιν ἄλλο i. e. ad aliam doctrinam præter Christi et meam, cum tamen non sit alia præter hanc. Cf. Passow. s. v. ἕτερος 2. Cic. de orat. ii. 14. 51. poëtas *quasi alia quadam lingua* locutos non conor attingere i. e. alia quam nostra, quod sane h. l. eodem redit quo alienus, neque tamen propterea alius pro alienus positum esse dici posse puto cum Muellero ad l. l. Ciceronis. ibid. i. 5. 18. quid de actione *plura* dicam? scil. quam opus est, vel quam de ceteris dixi. Cf. quæ observavi ad Euseb. H. E. iii. 8. Corte *ad Plin. epist.* vii. 25. p. 531. Erfurdt. *ad Sophocl. Œdip. T.* v. 231. p. 39. Denique formula μικρὰ ἔχειν πρὸς ἀλλήλους qua Irenæus usus est, ex vitæ quotidianæ usu probabiliter nata est. Vid. Matth. v. 23. ὁ ἀδελφός σου ἔχει τι κατὰ σοῦ Actor. xxiv. 19. εἴ τι ἔχοιεν πρός με. Apocal. ii. 14. 20. cf. Matth. xxi. 3. ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τί. Johann. vii. 26. οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι. Æschin. diall. iii. 22. HEIN.

24, 13. παρεχώρησεν ὁ Ἀνίκητος τὴν εὐχαριστίαν] Hunc honorem Anicetus pontifex Romanus habuit venerabili seni Polycarpo, ut illum in ecclesia sacra facere sineret, et quidem præsente se, quod in primis notandum est. Sic Irenæi verba et Rufinus et ceteri interpretes acceperunt. Sed Franciscus Florens antecessor Aurelianensis vir doctus et nobis dum vixit

amicissimus, hæc Irenæi verba aliter intelligenda esse contendit in tractatu ad titulum 7. decretalium de translatione episcopi. Vult enim Anicetum porrexisse duntaxat eucharistiam Polycarpo, non autem concessisse illi jus sacra mysteria celebrandi. Verum si hunc Irenæi locum ita intelligimus, quid honoris tributum fuerit Polycarpo ab Aniceto? Hoc enim diserte notat Irenæus, tum illo verbo *παρεχώρησε*, quod de suo jure concedere significat, tum illis verbis quæ addit, *κατ' ἐντροπὴν δηλονότι.* Id est, honoris causa et contemplatione, ut vertit Rufinus. Certe si eucharistiam tantum Polycarpo porrexisset Anicetus, nullum ei præcipuum honorem detulisset, cum omnibus peregrinis episcopis id passim tribui soleret, ut cum episcopo civitatis simul communicarent, quemadmodum scribit ipse Florens ibidem. Sed et in Concilio Arelatensi capite 20. decretum est, ut peregrino episcopo locus sacrificandi detur. VALES. Valesii interpretationem tuetur Lowth. laudans præterea constitut. apost. ii. 58. *ἐπιτρέψεις δ' αὐτῷ καὶ τὴν εὐχαριστίαν ἀνοίσειν* episcopo peregrino scilicet. Florenti assentitur Petrus de Marca de concordia v. 2. et Le Moyne in *prolegomm. ad Varr. Sacr.* tom. i. p. 28. sqq. Ac recte quidem, quamvis Valesium secutus etiam Stroth. *Uebers.* t. i. p. 391. verterit: *Anicetus räumte dem Anicetus Ehren halber ein, in seiner Gemeinde das Abendmahl zu halten.* Durissima enim profecto esset locutio *παραχωρεῖν τὴν εὐχαριστίαν* eo sensu, ut sit: *consecrandæ eucharistiæ munus concedere*, et alia ratio est illius loci quem attulit Lowth. Contra facillime illud eodem modo potest dici, quo antea dicebatur *ἔπεμπον τὴν εὐχαριστίαν* s. *τὴν εὐλογίαν* ut loquitur concilium Laodicenum, *τὰ ἅγια*, ut concilium Carthaginiense, et *τὸν ἄρτον εὐχαριστηθέντα*, ut Justinus M. Quas autem contra movit dubitationes Valesius, eæ evanescunt, modo recte interpretemur verba *κατ' ἐντροπὴν*, quæ minime significant, *honoris causa*, sed *reverentiæ causa*, quam scilicet Anicetus habebat erga Polycarpum, et quæ major erat, quam ut propter minutam illam de paschate digladiationem amicitiæ vincula laxare vellet, imo: *ἐκοινώνησαν ἑαυτοῖς* i. e. se ipsos concordes significarunt publica cœnæ sacræ celebratione, quam Polycarpo quamvis dissidenti a se et peregrinanti Romæ concessit Anicetus. Cf. Le Moyne l. l. p. 29. HEIN.

25, 2. Παρ' ἡμῶν δὲ τὰ γράμματα] Intelliguntur hic literæ paschales, quas ἑορταστικὰς vocabant. Ceterum hujus synodi Cæsariensis acta quædam exstant apud Bedam in libro de vernali æquinoctio, quæ licet a nonnullis illegitima habeantur ac spuria, haudquaquam spernenda mihi videntur. Baronius certe ea pro veris amplexus est. VALES.

26, 1. Ἀλλὰ γὰρ πρὸς τοῖς ἀποδοθεῖσιν Εἰρηναίου] In hoc libro maxima erat capitulorum perturbatio etiam in scriptis codicibus, quæ nos ex Rufino restituimus. Rufino etiam adstipulatur codex Regius, Maz. et Fuketii. Ab his enim verbis caput ordiuntur supradicti codices hoc titulo: ὅσα τῆς Εἰρηναίου φιλοκαλίας, sed in eo peccant quod caput istud numerant 28. cum sit revera caput 26. ut constat ex indice capitum qui libro præfixus est. Causa erroris fuit, quod superiorum capitum tituli bis appositi sunt in memoratis codicibus per negligentiam librariorum. VALES.

Ib. εἰς ἐπίδειξιν] Forte legendum est εἰς ἀπόδειξιν. VALES.

Ib. βιβλίον τὶ διαλέξεων] Rufinus *dialogos* vertit, Hieronymus vero *tractatus*. Sed Rufini interpretatio magis placet. Sic Γαΐου διάλεξις memoratur ab Eusebio, quæ nihil aliud erat quam dialogus seu disputatio Caii adversus Proclum, ut infra demonstrabimus. Potest tamen etiam sumi pro tractatu seu sermone ad populum. Nam διαλέγεσθαι pro concionari in ecclesia sumit Eusebius in libro vi. capite 19. et διαλέξεις appellat homilias Origenis in capite 36. ejusdem libri. Sed et Basilius in libro de Spiritu sancto cap. ult. διαλέξεις vocat homilias Origenis in Psalmos: ἤδη δὲ καὶ Ὠριγένην ἐν πολλαῖς τῶν εἰς τοὺς ψαλμοὺς διαλέξεων εὕρομεν, etc. Quem locum Erasmus ita vertit: *Jam vero et Origenem multis in locis expositionum quas in Psalmos edidit.* Atqui διαλέξεις homiliæ sunt seu tractatus ad populum, non autem expositiones. Et in homiliis quidem fere hæc solemnis erat clausula, ut tractator Deo Patri et Filio cum Spiritu sancto gloriam daret, quam clausulam in omnibus fere Origenis in Psalmos homiliis appositam esse testatur Basilius. In libris autem expositionum id minime observavit Origenes. VALES. In illo διαλέξεων libro Irenæum plura contra Nicolaitas disputasse, suspicatus est Moshem. *dissert. ad hist. eccl. pertt.* vol. i. p. 422. HEIN.

27, 1. Ὧν γε μὴν αὐτοὶ διέγνωμεν] Musculus et Christo-

phorsonus vocem διαγνῶναι pro simplici γνῶναι acceperunt, quod equidem non damno. Tamen διαγνῶναι, proprie significat internoscere ac distinguere. Ait igitur Eusebius, scriptores illos quos certa aliqua nota ab hæreticis scriptoribus distinguere potuit, esse Heraclitum, Maximum et ceteros. Pro Heraclito Heraclium legit Rufinus et Hieronymus. Porro articulus ille postpositivus ὧν γεμὴν, non refertur ad vocem ὑπομνήματα ut putavit Christophorsonus, sed ad vocem ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν. Nam si referretur ad vocem ὑπομνήματα, dixisset Eusebius: ἅ γε μὴν αὐτοὶ διέγνωμεν. Refert igitur Eusebius hoc loco, primum ecclesiasticos illius temporis scriptores quorum nomina potuit cognoscere. Deinde illos commemorat, quorum libri quidem adhuc supererant, sed nomina ignorabantur. VALES.

Ib. καὶ τὰ Μαξίμου] Hujus Maximi liber inscriptus erat περὶ τῆς ὕλης, et in dialogi modum compositus, ex quo luculentissimum fragmentum profert Eusebius in libro 7. præparationis evangelicæ capite ultimo, ubi et scriptorem hoc elogio afficit: Μαξίμῳ δὲ τῆς Χριστοῦ διατριβῆς οὐκ ἀσήμῳ ἀνδρὶ, καὶ λόγος οἰκεῖος συγγέγραπται ὁ περὶ τῆς ὕλης. VALES.

Ib. πολυθρυλλήτου] cf. Tertull. de præscript. hæret. c. vii. *Eædem materiæ apud hæreticos et philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur unde malum et quare? et unde homo et quomodo?* cf. Euseb. H. E. vi. 22. Walch. *Historie der Ketzereien*, t. i. p. 217. sqq. Le Moyne *Varr. Sacr.* tom. ii. p. 1117. HEIN.

Ib. οὔθ' ἱστορίας μνήμην ὑποσημήνασθαι] Hunc locum non intellexerunt interpretes, quod miror. Solet Eusebius ex auctorum quorum meminit scriptis, historias quasdam depromere. Sic supra ex Irenæi libris, et ex Clemente et Hegesippo ac Papia aliisque passim varias excerpit narrationes, quoties tempus ipsum quo auctores illi scribebant, cognitum habet. In his porro scriptoribus quos in hoc capite commemoravit, negat Eusebius id se præstare potuisse, propterea quod tempus ipsum quo vixissent, certo scire non potuerat, cum nullum ejus judicium aut argumentum ipsi suppeteret. Atque ita fere Nicephorus, nisi quod verba illa διὰ τὸ μηδεμίαν ἀφορμὴν ἔχειν male intellexit. Pro his enim Eusebianis ista substituit: ὧν διὰ τὸ μὴ συμβάλλεσθαι τῇ παρούσῃ πραγματείᾳ,

οὔτε τοὺς χρόνους, οὔτε τὰς αὐτῶν ἱστορίας μερικῶς ἀναγράφομεν. VALES. Recte ex hoc ipso loco collegit Kestner. *de Euseb. auct. et fide dipl.* p. 3. Eusebium deperdita illa scripta eam tantum ob causam laudasse, quia in universum statuerat operi suo intexere multifarias de scriptoribus ecclesiasticis eorumque libris notitias. Videantur et conferantur loci potissimum hi: v. 22. vi. 20. 22. iv. 24. 25. 26. 30. vi. 46. vii. 20. 26. iii. 9. ii. 18. vi. 13. et præ reliquis iv. 22—29. Quin etiam Eusebius ipse haud tecte hoc suum in conscribenda historia ecclesiastica *consilium litterarium* significavit l. l. verbis: *ὅσοι κατὰ γενεὰν ἑκάστην ἀγράφως ἢ καὶ διὰ συγγραμμάτων τὸν θεῖον ἐπρέσβευσαν λόγον.* cf. Reuterdahl. *de fontt.* p. 7. Itaque sane cavendum est, ne inter fontes historicos Eusebii referamus, quos ille pro iis non usurpavit, id quod non satis observavit ex mea sententia Danz. *de Euseb.* p. 88. sqq. Verum enim vero altera ex parte nec leviter lapsus mihi videtur Kestnerus, qui multa inter fontes Eusebianos non retulit, quæ erant referenda, inductus eo nulla alia re, nisi quod sæpius Eusebius, ubi res factas ex aliorum scriptis tradit, simul illigat alius cujusdam generis notitias. At propterea, quæ sunt historici generis, non debent cum aliis confundi, neque Kestneriana fontium Eusebii in *didacticos* et mere *historicos* divisio commoda est, cum illi non possint dici fontes quibus Eusebius in conscribenda historia usus sit, imo nonnisi ultimi recte possint spectari, de quorum dignitate judicium nonnisi ex peculiari singulorum disquisitione ponderari posse puto, non ex hac illave fontium divisione repeti. Cf. Kestner. l. l. p. 26. Reuterd. l. l. p. 3. Neque vero aut inde, quod de fontium nonnullorum historicorum quibus usus est Eusebius, autoritate difficilius judicari potest, aut quod exigua tantum supersunt nonnullorum fragmenta, aut quod apud Eusebium solum quædam reperiuntur, aut non amplius illi habentur, sequitur, eos inter illos fontes Eusebianos non esse referendos quamvis ita censente Kestnero l. l. p. 27. 28. Quare indicem fontium Eusebii quos *primarios* et *secundarios* dixerim, in calce Tomi tertii subjectum et a Valesio jam exhibitum passim quidem mutatum et emendatum, sed ad Kestnerianam rationem non transformatum lectores invenient. HEIN.

28, 1. *Ταῖς ἐξεταζομέναις ἡμῖν ἱστορίαις*] Musculus eumque

secutus Christophorsonus, ita vertit: *Historiis nostris quas undique conquisivimus.* Eodem verbo utitur Eusebius in hoc libro cap. 5. prope finem: *οὗ τὰ κατὰ τοὺς χρόνους ἡμῖν ἐξετάζεται.* VALES. Verbum vero quod statim ante legitur *διήγησις*, synonymum est verbo *ἱστορία* et hac in re proprium. Vid. Dorville *ad Chariton.* p. 202. cf. Euseb. H. E. i. 1. *τὴν ἀφήγησιν ποιήσασθαι.* HEIN.

Ib. *παραθεὶς ὁ λόγος*] Nicephorus in libro iv. cap. 21. hunc librum auctoris ignoti inscriptum esse dicit *μικρὸν λαβύρινθον.* Photius autem in bibliotheca capite 48. Caium hujus libri auctorem facit: *τοῦτον τὸν Γάϊον πρεσβύτερόν φασι γεγενῆσθαι τῆς κατὰ Ῥώμην ἐκκλησίας, συντάξαι δὲ καὶ ἕτερον λόγον ἰδίως κατὰ τῆς Ἀρτέμωνος αἱρέσεως*, etc.[a] Hic est ipse liber cujus fragmenta hic profert Eusebius, quem tamen a labyrintho Photius aperte distinguit. Sed Nicephori sententiam confirmat Theodoretus in libro ii. hæreticarum fabularum capite quinto, ubi agens de Theodoto coriario, eamque de Natale episcopo referens historiam quam hic narrat Eusebius, ex libro qui parvus labyrinthus dicitur illam esse depromptam testatur. VALES. Rectius Gieseler. *Lehrb. der K. G.* t. i. p. 176. not. e. hæc omnia nihil nisi conjecturas esse affirmat. Neque aliter statuit Stroth. *Uebers.* t. i. p. 315. not. 6. *It is rather strange to wish to know the author of a book, whom Eusebius himself, as he expressly asserts, did not know. The case was the same in cap.* 16. *in the fragment against the Montanists.* Cf. Le Moyne *varr. sacr.* t. ii. p. 938. sqq. Ittig. *de hæresiarch.* p. 259. sqq. Moshem. *de rebus Christ. a. C. M.* p. 277. HEIN.

28, 4. *Ψαλμοὶ δὲ καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπαρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι*] Scribendum est *ἀπ' ἀρχῆς*, ut habet Codex Med. Fuk. Savil. et Nicephorus. Porro ex his verbis apparet morem fuisse antiquissimum in ecclesia, hymnos et psalmos in honorem Christi componere. Certe Plinius in epistola ad Trajanum auctor est, Christianos in unum convenientes Christo hymnos canere consuevisse. De his psalmis et hymnis intelligendus videtur Hippolytus in oratione de consummatione mundi sub

[a] Photio assentitur Kappius in *historia Artemonis et Artemonitarum*, p. 25. sqq. cf. Routh *reliqq. sacr.* vol. ii. p. 7. sqq. Danz. *de Eus.* p. 101. HEIN.

finem: τὸ στόμα ὑμῶν πρὸς δοξολογίαν καὶ ψαλμοὺς καὶ ᾠδὰς πνευματικὰς ηὐτρέπισα λαλεῖν. Hujusmodi hymnus in honorem Jesu Christi a Clemente Alexandrino compositus exstat ad finem ejus librorum qui pædagogi inscribuntur. VALES. Verba ψαλμοὶ——θεολογοῦντες recte vertit Valesius: *Psalmi quoque et cantica fratrum jam pridem a fidelibus conscripta, Christum verbum Dei concelebrant divinitatem ei tribuendo.* Ita statim antea ἐν οἷς ἅπασιν θεολογεῖται ὁ Χριστός: *in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur.* De hoc frequenti verbi θεολογεῖν usu vid. Suicer. *Thes.* t. i. p. 1355. ii. c. Ad rem simul vid. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archæologie*, tom. v. p. 263. sq. ubi ad hunc Eusebii locum observat V. D. hæc: *Psalms or odes therefore committed to writing, by which the Christians glorified their founder as God, are the subject here spoken of, so that from these songs we may derive an historical proof (?) of the divinity of Christ. For the whole of this emphasis is laid on the word θεολογοῦντες, as it is well known, that in the fourth and fifth centuries θεολογία meant the doctrine of the divinity of Christ.* Cf. ibid. p. 262. *They appear to have intentionally avoided the word ὕμνος, ὑμνολογεῖν, &c. in order to exclude any comparison between the Christian and the heathen worship.* Præterea conferendus est locus apud Eusebium H. E. x. 4. ext. τὴν ὑπερκόσμιον πόλιν τοῦ ζῶντος Θεοῦ, ἐν ᾗ μυριάδες ἀγγέλων πανηγύρεις καὶ ἐκκλησία πρωτοτόκων ἀπογεγραμμένων ἐν οὐρανοῖς ταῖς ἀρρηταῖς καὶ ἀνεπιλογίστοις ἡμῖν θεολογίαις, τὸν σφῶν ποιητὴν—γεραίρουσιν, οὗ τις θνητὸς οἷός τε κατ' ἀξίαν ὑμνῆσαι; et quæ animadverti ad H. E. iv. 15. (pag. 363. sq.) Denique observat Augusti l. l. p. 264. **, præeunte Routhio l. l. p. 22., Whitakerum *de Arianismi origine* p. 284. pro ψαλμοὶ δὲ ὅσοι hoc Eusebii loco, quem præ manibus habemus, legi voluisse ψ. δ. ὅσιοι. Quæ conjectura nemini, credo, facile probabitur. HEIN.

Ib. τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα—ἀποστασίας] Vid. Möller. *de fide Eus. C.* p. 104. sq. "*In numero peccatorum chronologicorum tamen non ea loca pono, in quibus Eusebius aliquid* κατὰ πρόληψιν, *ordinis forte, quem realem dicunt, ratione habita, exponit v. c. H. E. v. 28., ubi jam sub Victore,—hæreseos Artemonis mentionem facit, quamvis ea serius demum invaluerit; sed cum Theodotus, qui Victore sedem Romanam adhuc tenente publice*

prodiit, hic tanquam hæreseos Artemonianæ sive verus autor sive antecessor repræsentetur, non a loco alienum erat ipsius quoque Artemonis mentionem injicere. Nemo sane in lectione annalium tam hospes est, ut nesciat, ejusmodi προλήψεις *etiam in iis qui alias annorum ordinem sequuntur, sæpius occurrere.*" Idem ante Möllerum jam animadvertit Stroth. *Uebersetz.* t. i. p. 395. not. 6. Adde quod plures Theodoti discipuli sub Zephyrino vixerunt, ut paulo post dicitur et quod Artemonitas sub eodem episcopo viguisse ex fine capitis luculenter apparet. Præterea cf. initium capitis et quidem verba: Τούτων ἔν τινι σπουδάσματι κατὰ τῆς Ἀρτέμωνος αἱρέσεως πεπονημένῳ——φέρεται τις διήγησις ταῖς ἐξεταζομέναις ἡμῖν προσηκούσα ἱστορίαις, unde, cur hoc loco statim Artemonitarum mentionem Eusebius fecerit, non minus intelligi potest. HEIN.

28, 5. Τούτου—πρόσταντος] Victorem obiisse a. 197. dicit Pagi ad a. 201. p. 192. Caveus a. 201. citante Reading. ad h. l. HEIN.

28, 6. Νατάλιος ἦν τίς] Nescio an hic sit Cæcilius Natalis, qui disputatione Octavii Januarii coram Minucio Felice Romæ habita, ad Christi fidem conversus est ut scribitur in dialogo Minucii Felicis. Nomen certe convenit, et tempus atque professio. VALES.

28, 7. ἐπίσκοπος κληθῆναι] Ita scriptum præfert codex Regius, cui consentit Rufini interpretatio. Sed quatuor reliqui codices Maz. Med. Fuk. et Savil. scriptum habent κληρωθῆναι. VALES. Κληρωθῆναι quod simul habent Venet. MSt. Cph. Ion. Stroth., haud dubie vera est lectio. Idem vero verbum κληροῦν h. l. simpliciter dici de electione episcopi, non minus patet, unde haud temere concluseris, antiquiori tempore certe non constanter perversam illam ipsi voci κλῆρος subjectam esse significationem de qua cf. quæ observavi ad Euseb. H. E. x. 7. Vid. Neander. *Denkwürdigkeiten*, tom. i. p. 427. *This word is used for the election to spiritual offices by Clemens quis div. salv. 42. and in a fragment of the early part of the third century in Euseb. v. 28. —— It cannot therefore make anything against this derivation (to wit that* κλήρικοι *originally* = κληρούμενοι, κληρωτοὶ *the persons elected to church offices,* κλῆροι *the offices settled by election, and* κλῆρος *the whole spiritual order collectively) that the spiritual offices were* ἄρχαι χειροτονηταὶ *or*

αἱρεταί; and generally these were expressly opposed to the ἄρχαι κληρωταὶ, the offices settled by lot. This word, otherwise not appropriate to the mode of election, was used partly with reference to that first drawing of lots (Act. i. 25.), *partly with reference to the θεῖα μοῖρα, and the general language of the New Testament.* Qua quidem in re V. D. plane assentior et similem sententiam protulit jam Suicer. *Thes.* t. i. p. 111. s. v. κλῆρος. Minus autem probabile videtur, quod statim post l. l. Neanderus conjicit, fieri etiam posse ut primum κλῆρος dictum sit de iis, quæ divinitus alicui contigerunt, non solum quod propriæ verbi κλῆρος vi prior ratio magis conveniat, sed etiam quia Augustini et Chrysostomi testimonia ab ipso V. D. l. l. p. 426. exposita illud maxime suadent. Neque 1 Petr. v. 3. κλῆροι esse possunt munera ecclesiastica presbyteris demandata sed potius cœtus eorum curæ commissi, τὸ ποίμνιον, quod statim sequitur. cf. v. 2. τὸ ποιμνίον τοῦ Θεοῦ. Kuinoel. *Commentar. ad Acta apostol.* i. 17. p. 18. ed. ii. Bengel. in *nott. ad Chrysost. de sacerdot.* vi. 7. 553. p. 504. sq. HEIN.

28, 8. Ὑπὸ ἁγίων ἀγγέλων] Recte Stroth. l. l. p. 598. not. 8. hoc perstringens hæc scripsit: *No very honourable employment for the holy Angels, but doubtless they were Angels with good strong bones and nerves.* Inde tamen non sequitur, quæ ab ἀνωνύμῳ illo de Theodotianis et Artemonitis referuntur, omnia esse suspecta. HEIN.

28, 9. πότερον συνημμένον ἢ διεζευγμένον] Quid sit συνημμένον et quid διεζευγμένον, docent dialectici. Pronuntiata quæ Stoici ἀξιώματα vocant[b] alia sunt simplicia, ut illud, *dies est:* alia non simplicia. Ex his quæ non sunt simplicia; alia sunt συνημμένα, id est, connexa, quæ constant ex duobus diversis pronuntiatis, ut illud: *si dies, lux est.* Alia διεζευγμένα seu disjuncta, ut illud: *aut dies est, aut nox est.* Vide Diogenem Laertium in Zenone. Sextus Empiricus τὸ συνημμένον definit, τὸ συνεστὸς ἐξ ἀξιωμάτος διαφορουμένου, ἢ ἐξ ἀξιωμάτων διαφερόντων, διὰ τοῦ εἰ ἢ εἴπερ συνδέσμου. Et exemplum connexi quod sit ex pronuntiato διαφορουμένῳ, hoc affert: si dies est, dies est. Ex quo corrigendus est Diogenes Laertius in Zenone hoc modo: ἐξ ἀξιώματος μὲν διαφορουμένου, οἷον, εἰ ἡμέρα ἐστὶν, ἡμέρα ἐστὶν.

[b] Cf. Upton. *ad Dion. de comp. verb.* p. 72. ed. Schäfer. HEIN.

Porro tam apud Sextum quam apud Laertium mallem scribere *διφορουμένου*, quemadmodum legitur apud Alexandrum Aphrodisiensem in priora Analytica. Nam *διφορούμενον* idem est quod *δὶς λαμβανόμενον*. Et hæc quidem de harum vocum interpretatione dicta sufficiant. Quod vero spectat ad hujus loci interpunctionem, scripti codices inter se dissentiunt. Nam Regius quidem codex quem secutus est Rob. Stephanus, post vocem *διεζευγμένον* virgulam habet appositam, ut scias voces illas *συνημμένον καὶ διεζευγμένον*, referendas esse ad *τὸ ῥητὸν* quod præcessit, non autem ad *σχῆμα συλλογισμοῦ* quod proxime sequitur.[c] Sed reliqui codices Maz. et Med. cum Fuk. et Saviliano, post vocem *διεζευγμένον* nullam adhibent distinctionem, sed tantum post vocem *συνημμένον*. Quam distinctionem secutus Rufinus ac reliqui interpretes, connexum ac disjunctum, duo syllogismorum genera esse existimarunt. Mihi prior distinctio magis placet. VALES.

28, 10. *τὸν ἄνωθεν ἐρχόμενον*] Christophorsonus vertit: *Christum qui de cœlo venturus est, penitus ignorant.* Quam interpretationem equidem non damno. Sic enim loqui solent sancti patres de supremo adventu Christi, quo mundum judicaturus est, non quasi de futuro, sed tanquam de præsenti: *ἔρχεται κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς.* Ita Hegesippus in martyrio sancti Jacobi, et alii passim ab Eusebio citati. Possunt tamen hæc verba etiam de primo Christi adventu intelligi, quomodo accepit Rufinus. VALES.

Ib. *φιλοπόνως γεωμετρεῖσθαι* i. e. *studiose coli*, interprete Valesio. Ac recte quidem, sequitur enim *θαυμάζονται* et *προσκυνεῖται.* Minus recte Strothius: *Euclides wird also von einigen unter ihnen bei der Geometrie* (?) *mit vielem Fleiss getrieben.* Facile enim patet illam notionem geometriæ in illo verbo h. l. plane non spectari, non magis quam Rom. i. 10. in *εὐοδωθήσομαι*, itineris faciendi notio respicitur; sequitur enim ibi statim *ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς.* Est tamen, ut videtur, hæc ratio ad illud verbum *γεωμετρεῖσθαι* translata paulo insolentior. Simile autem exemplum inveni vi. 19. *βιβλία Ἑλλήνων φιλο-*

[c] Hoc quomodo possit fieri, non video. Quid enim deinde fiet cum verbis *σχῆμα συλλογισμοῦ*? Recte igitur Val. interpunctionem Stephani deseruit, quamvis paulo post eam præferat. HEIN.

λογῶν, Græcorum libros *studiose evolvere*, interprete Val. Cf. Chrysost. de sacerdot. vi. 9. 448. ἐν ταῖς ἀλλοτρίαις φιλοσοφεῖν συμφοραῖς i. e. summo et indefesso studio aliis mala parare. Isocrat. Panegyr. cap. i. πῶς οὐ χρὴ σκοπεῖν καὶ φιλοσοφεῖν τοῦτον τὸν λόγον, ubi vid. Morus p. 6. ibid. p. 9. τὴν περὶ τοὺς λόγους φιλοσοφίαν. HEIN.

Ib. Γαληνὸς γὰρ ἴσως ὑπό τινων καὶ προσκυνεῖται] Galenus enim de figuris syllogismorum et de tota philosophia libros conscripserat, ut ex librorum ejus indice cognoscimus. Est autem illustre hoc testimonium de Galeno, quippe quod auctoris sit antiquissimi, et Galeni temporibus pæne æqualis. Nec vero ex hoc tantum scriptore, verum etiam ex aliis quampluribus idem colligere licet, qui Galenum Aristoteli ac Theophrasto, ipsique adeo Platoni æquare non dubitarunt. Certe Alexander Aphrodisiensis in librum octavum Topicorum non procul ab initio, satis indicat ita omnes de Galeno existimasse. Postquam enim docuit problematum alia ἔνδοξα esse, alia ἄδοξα, et ἔνδοξα quidem in duplici esse differentia, alia enim esse ἁπλῶς, alia ὡρισμένως, hæc subjungit: ὡρισμένως δ' ἔνδοξα, τὰ τῷδε τινὶ τῶν ἐνδόξων ἑπόμενα, οἷον, Πλάτωνι ἢ Ἀριστοτέλει, ἢ Γαληνῷ. VALES.

28, 11. καπηλεύοντες] Vid. *Excursus* viii. HEIN.

28, 12. διὰ τὸ—ἐγγεγράφθαι τοὺς μαθητὰς i. e. quod discipuli *perscripserunt*. Vid. Matthiæ *ausführliche griechische Grammatik*, p. 926. d. cf. p. 935. 6. HEIN.

28, 13. ὑπ' αὐτῶν κατασκευασθέντα] Christophorsonus legit ὑπ' αὐτοῦ. Quomodo etiam Savilius ad oram sui codicis emendavit. Nostri tamen codices nihil mutant, et vulgata lectio confirmatur tum ex sequentibus, tum ex Theodoreto. Nam Theodoretus in libro ii. hæreticarum fabularum cap. 5. hujus loci sensum ita expressit: καὶ οὐδὲ τοῦτο συμφώνως αὐτοὺς δεδρακέναι λέγει, ἀλλὰ ἄλλως μὲν τὸν Θεόδοτον, ἑτέρως δὲ τὸν Ἀσκληπιάδην. Καὶ Ἑρμόφιλον ἄλλως, καὶ τὸν Ἀπολλωνίδην ἑτέρως· καὶ τούτων δὲ ἕκαστον ἐπιδιορθώσεις τῶν οἰκείων ποιήσασθαι. Ex quibus apparet, Theodoretum hic legisse in plurali numero: τὰ πρότερον ὑπ' αὐτῶν κατασκευασθέντα. Ipsa tamen orationis consequentia poscere videtur, ut ὑπ' αὐτοῦ potius scribatur. De solo enim Apollonide id affirmat Caius,

seu quis alius auctor fuit parvi labyrinthi, illum scilicet duas editiones composuisse sacrorum librorum, quarum posterior multum a priore differret. VALES.

28, 15. *ἀνόμου καὶ ἀθέου διδασκαλίας*] Subaudiendum videtur *ἕνεκα* vel *διὰ τῆς ἀνόμου καὶ ἀθέου διδασκαλίας.*[d] Ita fere Langus et Musculus hunc locum interpretati sunt, melius profecto quam Christophorsonus. Male etiam Rufinus vertit: *et obtentu impiæ hujus assertionis*, quasi Græca sic construenda sint: *ἀνόμου καὶ ἀθέου διδασκαλίας προφάσει.* Atqui *προφάσει χάριτος* dixit Eusebius. Quippe hæretici illi, obtentu gratiæ quæ per evangelium donata est, legem ac prophetas repudiabant. Unde eorum doctrina merito *ἄνομος* et *ἄθεος* dicitur, *ἄνομος* eo quod legem rejicerent, *ἄθεος* eo quod prophetas unius ac veri Dei nuntios repudiarent. VALES.

[d] Minime vero. Recte jam Strothius locum explicat ita, ut verba *ἀνόμου καὶ ἀθέου διδασκαλίας* appositio sint vocis *χάριτος* atque construantur et intelligantur sic: *προφάσει χάριτος, ἥτις ἦν* (vel potius: *ἥντινα εἶναι ἔλεγον*) *ἡ ἄνομος καὶ ἄθεος αὐτῶν διδασκαλία.* HEIN.